GVLIELMI ALANI ANGLI, REGII SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS IN ACADEMIA DVACENSI.

LIBRI TRES.

Id est,

- De Sacramentis in genere, *Lib. I.*
- De Sacramento Eucharistiæ. *Lib. I.*
- De Sacrificio Eucharistiæ. *Lib. I.*

Ex viuæ vocis diligenti & accurata Tractatione, quam idem his de rebus contra nostri temporis Hæreticos in Schola Theologorum habuit.

Cum duplici Indice, vno in fronte, Capitum; altero in Calce, Rerum & verborum.

S. Hieron. Com. in Ezech. 38.

Cùm enim Ecclesiastici sermonis apparuerit fortitudo, omnia Hæreticorum corruent munimenta.



ANTVERPIAE,
Apud Iohannem Foulerum Anglum.
M. D. LXXVI.
CVM PRIVILEGIO.

SANCTISSIMO GREGORIO DECIMOTERTIO, CHRISTI Domini Nostri In Terris Vicario, Religionis Svmmo Magistro Ac Pontifici Maximo.

DIu multumque (Gregori Pontifex beatissime) mecum dubitaui essémne vel dulcissimæ ac sanctissimæ matri Ecclesiæ vllum pernecessarium officium præstiturus, vel multis miserè errantibus mortalibus aliquod operæpretium facturus, si has nostras lucubrationes Academicas vni tãtùm Duacenę Scholæ comparatas, orbi & posteritati communes facerem: non nescius sanè, fore, vt hoc nostrum institutum varias & Hæreticorum & maleuolorum hominum reprehensiones incurreret. Sed postquam istos vt contemnerem, illud vt facerem, non modò disciplinę & Gymnasij nostri alumni efflagitassent; verumetiam alij doctrina, pietate, & prudentia excellentes viri diligenter admonuissent, ne quo minùs plures mea opera proficerent, in mora essem; facileque persuasissent (nam id iam antè semper senseram) nullum genus scriptiõis hoc ipso quod Acroamaticum dicitur, vel magis elaboratum industria, vel arte, ordine, ac doctrina magis exquisitum, vel ad veri inuestigationem & contentiosos homines reprimendos accommodatum magis existere; itaque demum effecissent, vt cordis ac conscientiæ meæ in hac re syncera simplicitate coram Deo & hominibus rectissimè iam sustentari, atque sapientissimorum consiliorum rationibus in istis edendis niti videar: an essent illa tuo Sanctissimo nomini inscribenda, id verò nunquam dubitaui. Non quòd putem à me hoc pertenui officio Scholastico quicquam tam Sancta & sublimi sapientia tua, non modò diuturnis anteactæ vitę studijs sed iam vnctione ipsa edocta omnia, dignum adferri posse, sed quòd vel summis minima

quæ debentur, honeſtè reddi videam, cum vltrò offerri nō niſi magna ſoleant. Quamuis ea in te ter magna terque olim ad hoc diuinū quod geris munus expetita charitas,quę,nō dubiū, prę omnibus alijs virtutibus quibus & multis & magnis excellis,te ad hanc ſublimem Chriſti vicariā Cathedrā euexit, nec vnquā à benignitate & māſuetudine eſt ſeiuncta,facilè facit,vt ne humillimū ab Eccleſię tuę filio profectū munuſculū aſpernere. Quantulacunque ſint igitur, magna ſint, minuta ſint, nō modò iſta quę nunc offero, ſed his in hoc genere laborum meorū quaſi primitijs,doctrinā, operā, ſtudia per reliquam vitam omnia,humillimo obſequio,& ſynceriſſimo animi affectu Sanctiſſimę Maieſtati tuę, & fœliciſſimo Gregorij nomini dicata conſecrataq; vehementer velim. Neque verò id ſolùm vt tanta authoritate ac patrocinio conquieſcant noſtra ſecurius, placeāt magis, legantur libentiùs,maleuolorū inuidiam reformident minùs,ipſique Eccleſiæ vniuerſæ ex ſummi & Sanctiſſimi Patroni benedictione reddantur ſalutariora;verumetiam idque inprimis,vt quoniam de recondita, cùm cæterorum Sacramentorum, tum maximè ſacroſanctę Euchariſtiæ Myſterijs,in quibus multa ſunt perobſcura & minùs explicata, ſæpe ſubtiliùs, interdum liberiùs, nonnunquam etiam aduerſariorum Hæreticorum importunitate commotiori animo diſceptandum fuit, vbi facilè homo cùm ſim, ignoratione ac temeritate falli ac errare potuerim, ea omnia & quęcūq; impoſterū ſcripſero,dixero, ſenſero, eò tantum vſq; à me dicta ac defenſa intelligantur,quouſque Sacroſanctę ſedis Apoſtolicæ,hoc eſt, tuo,Gregori Decimetertie,& Eccleſiæ Catholicæ iudicio cōſentanea videantur. Ad quam fidei & veritatis petram, ſtabilemque columnam, dum meas rationes exigo, dumque meipſum ad ſupremum illud Religiōis in Petri Cathedra à Chriſto conſtitutum tribunal ſiſto, cum aliàs confirmor mirificè, tum maximè in hoc contentioſo genere vbi nuſquam abeſt aduerſarius, inſidiæ deſunt nunquàm, ſaluus ac ſecurus reddor.

Memini

Memini etenim Maioribus nostris, primis illis ac summis Ecclesię Magistris, nihil fuisse antiquius, quàm vt concertationum suarum cum Hæreticis Commētarios (ita hoc genus disputationis nusquam vacat calumnia ac periculo) ante omnia summis Christi ministris, supremis Religionis Magistris, Pontificibus Romanis probatos redderent. Vnde D. Augustini, qui ingenio, doctrina, diligentia omnibus pene mortalibus præstitit, nobilissimis contra Pelagium monumentis, tantum authoritatis, roboris, ornamenti accessit ex Innocentij, Zosimi, Bonifacij, Celestini collaudatione & approbatione, vt cum antea ab ipsis Catholicis timidiùs legerentur, à nonnullis etiam planè damnarentur, tum deinceps semper omnium in se admirationem studiaque conuerterint. Hieronymus verò, & ipse omnibus disciplinis, linguis, litteris instructissimus, & in verbi controuersia, vbi Hæretici semper summa contentionum præsidia collocare solent, censor exactissimus, tamen de vna Hypostaseos in Sanctæ Trinitatis confessionem inducenda vocula, cuius vim & notionem propriam minimè omnium ignorauerat, ab Arrianis sollicitatus, nisi priùs qui esset Apostolicæ Sedis sensus & sententia, quàm supplicibus litteris à Sanctissimo Damaso ex Syria vsque humillimè experiuerat, intelligeret, in explicationem fidei vt admitteret, se adduci nunquàm est passus. Quo nos summi viri exemplo cùm ad salutarem Romanæ fidei obedientiam plurimum permoueri decet, tum ij omnes quibus cum Hæreticis de Religionis sententia disceptatio existit grauiter admonentur, ne vnquàm sola doctrina & ingenio, licèt summis, ita confidant, vt iudicia sacra Ecclesiastica vel contemnant, vel negligant. Idem aliàs sapientissimè admonuit virginem Demetriadem, fœminam doctam & acutulam, atque inter hæreticos, vt videtur, nōnunquàm versatam, his vèrbis memoria æterna dignissimis: Illud te (inquit) pio charitatis affectu præmonendam puto, vt Sancti Innocentij, qui Apostolicæ Cathedræ, & Beati Anastasij successor & filius est, teneas fidem, nec peregrinam

quamuis tibi prudens callidaque videaris doctrinam recipias. Ita ille non modò rerum in sacra disciplina peregrinitatem, sed & vocum prophanam nouitatem fugiendam censuit, cum nihil tamen nouum aut prophanum iudicaret, quod supremis Ecclesiæ iudicibus, Pontificibusque inprimis maximis, qui, vt D. Irenæi verbis vtar, cum successione Episcopatus charisma veritatis certum secundum beneplacitum Patris acceperunt, approbatum cerneret.

Cùm ergo tales ac tanti Magistri nihil à se dici aut scribi, ab alijs credi nihil voluerint, nisi Apostolicæ sedis iudicio id sanum ac sanctum videretur: cumque à Christo Domino cuncta doctus Paulus, ac Gentium omnium in fide ac veritate factus doctor; cum prædecessore tamen tuo, tuique ordinis primo Petro, & cæteris Columnis, quibus ipse nec spiritu nec doctrina fuit inferior, Euangelium quod prędicabat gentibus, ne in vacuum curreret, conferendum esse iudicauerit: Nos homunciones, ac vnius tantùm scholæ Magistelli, & peccatis proprijs prępediti, & horum communium temporum tenebris ex vicina Hæresi circumfusi, id non faceremus? Facio equidem, & perlibenter facio: idque non meo solùm, verumetiam, quia Scholæ sunt propria quæ offero, & quia omnibus Collegis gratum id & ratum fore non dubito, totius quoque Duacenæ Academiæ nomine profiteor: quæ & Sanctitatis tuæ Prædecessoris Pauli quarti fœlicibus auspicijs ac priuilegijs; & Philippi Hispaniarum secundi, mortalium Regum optimi & maximi, incomparabili beneficio non ante multos annos condita; & tua etiam (Sanctissime Pater) in gentem nostram, quæ ibi sedem exilij sui collocauit, munificentia singulariter aucta & ornata; optimæque & Catholicissimæ vrbis, atque aliquot nobilium Abbatũ studio, & inprimis Sanctissimæ Societatis Nominis Iesu operà & exemplo culta & informata, ita hodie cùm omnium maximarum artium disciplinis mirificè floret, tum istud seriò & reliqua tota, & inprimis nostra Theologorum Schola triumphat in Domino, quòd cùm

eius

eius initia inciderint in ipsam veteris fidei ac Reipublicæ Belgicæ indignam perturbationem, tamē Dei optimi maximi beneficio sit non solùm ab hæresi casta & integra, sed ab omni in Religione singulari sententia abhorrēs. cuius temeritatis grauissimæ culpæ, de qua & magni quidam viri & maxima interdum orbis Gymnasia pœnas luerunt, ne simus affines, non modò in doctrina sacra Communionis ac societatis tuæ dexteram expetimus, sed obedientiæ & subiectionis nostræ hoc æternum testimonium apud sanctissimos pedes tuos deponimus.

Et hæc quidem non leuis causa extitit, cur hos minutos labores rectè Tuæ Sanctitati consecrandos censeam: sed id tamen est commune multorum. Istud verò ita nostrum est & peculiare, & ita ad Gregorium Decimumtertium propriè pertinet, vt eius recordatio nobis iucundior, & ad suæ Sanctitatis sempiternam in Christo memoriam gloriosior existat. Cui enim ego, homo non modò Anglus, & cæterorum Anglorum qui in hoc Seminarium Duacenum Religionis & institutionis Catholicæ causa his sex annis continuò coëunt, ab ijs qui primas eleemosynas vel ipsi dederunt vel ab alijs procurarunt, factus præsidens & præceptor; verum etiam tui quoq; diuini & immortalis beneficij in idem Seminarium, quod nūc & tuum, hoc est Gregorij Decimitertij verè nuncupatur, & in iustissimum ac numerosissimum Collegium excreuit, à tua Sanctitate dispensator designatus: cui (inquam) mortalium os studiorum meorum fructus quantumuis exiguos iustiùs uàm tibi offerri vel deberi putem, qui in hoc diuturno exilio c sancta nobis otia, studia, vitam, salutem omnium nostrûm, eoque totius patriæ, cùm alijs antea modis multis, tum mamè hoc vno constituti Anglicani Collegij ineffabili recenti neficio tam sanctè das ac conseruas. de quo si vllam vnquam clesiam habituri simus liberam ac Catholicam, & si pro se ui potuerit, immortales olim aget ipsa tuæ Sanctitati, non le aliquibus vulgaribus meritis, sed vt de se seruata, restituta, libe-

ta,liberata,gratias. Neque enim quicquam vel ad ipsius charas reliquias colligendas ac continendas, vel ad reconciliationis suæ spem excitandam, vel ad suorum in Apostolicam Sedem, cuius in ipsos à religione Christi suscepta summa semper extiterunt beneficia, tanctam reparandam obseruantiam, à Deo optimo maximo per tuam Beatitudinem vel cōcedi diuinius, vel à se potuit expeti gratius. Et hic est bonorū omnium, maximèque nostrorum hominum sensus, qui illam tuam cum admirabili prudentia & munificentia coniunctam charitatem Apostolicam, qua non modò immeritam gentem nostram & auersam, sed ingratam etiam atque rebellem amore complecteris, ac beneficijs etiā æternis auges, incredibiliter suspiciūt ac admirantur; foreque confidunt, vt vel his tam suauibus remedijs Petri successore ac Gregorij nomine dignissimis redeat ad se paulatim Anglia vniuersa, aut certè maxima pars pristinę fidei ac Ecclesiasticæ saluti restituatur. Vt enim videāt, se miserè & perniciosè errare, scientesq; ac prudentes in æternum se exitium pręcipitare, est necessum, cùm ex suorū Collegio Catholico tam vicino semper vera fidei ac Religionis consilia, & hæreseos expugnandæ solidissimas rationes habeāt in promptu. Iampridem sanè innumeri sunt, falsissimæ, & omnium Sectarum quæ vnquam extiterunt, vanissimæ, pertæsi: ijque ipsi qui rerum potiuntur, licèt horum temporum tempestate & educationis errore Catholicam fidem vel non sciant, vel non profiteantur, tamen vt quisque est vita & moribus paulò moderatior, sæculi etiam sapientia cęteris pręstabilior, incipit magis habere suspectam causam Hæreticorū, quorum fœdis libidinibus, infinita auaritiā, immani discordia factum est, vt vel nihil omnino credatur, vel ipsis præ alijs omnibus minimè in salutis ratione credatur. Sed me miserum (Pater Beatissime) væq; peccatis nostris, quibus eò nunc ventum est, vt nostri quò se coniecerunt imprudenter, ex tempore referre pedem, etiam cùm velint, non queant. Veruntamen quod non adeò expeditè & subitò varijs impeditum & irretitum

tum modis malum auferri poteſt, id his ſanctis conſilijs tuis, adeò moderatè & ſuauiter inſtitutis, prorſus tandem ſublatum iri confidimus: vtque noſtri hic homines exules tuo ſubſidio freti, doctrinæ, diligentiæ, pietatis laude excellentes, ita in omni genere aduerſarios noſtros ſuperent ac frangant, vt victa Hæreſis propediem prorſus iaceat, ac ab omnibus deſeratur. Ad quam rem tuo fœliciſſimo nomine & auſpicijs gerendam, quia hos noſtros Commentarios conducere poſſe plurimum ſperamus, prę ſertim apud Anglos, ab homine Anglo profectos, nolui committere, vt aliûs quàm tuo Sanctiſſimo Patrocinio ſuſtententur: cuius per Chriſtum authoritate & ſpiritu omnis orbis Chriſtianus fide ſtat ac conquieſcit. Quem Dominus Ieſus pro infinita clementia ſua nobis obedientiſſimis filijs ſuis, Sanctiſſimę Sedi Petri, ac vniuerſæ Eccleſiæ ad multos annos hic viuum & valentem ſeruet, & poſtea ſempiterna in cœlis beatitudine donet. Datum Duaci 5. Id. Decemb. ANNO DOMINI 1575.

Tuæ Sanctitatis deuotiſsimus cùm filius tum ſeruus,

Gulielmus Alanus Preſbyter.

** Ad

Ex Præfatione ad Auditores.

DE generis humani natiua & insita cæcitate multa olim philosophatos nouimus Sapientes huius sæculi. Et illud quidem quod Democritum dixisse Cicero in Academicis memorauit, *in profundo veritatem esse demersam:* clara voce laboriosissima studiorum omnium experientia omnibus loquebatur. Multoq; id magis, quòd ipsa studia non quasi vnam vno consensu eruerint veritatem, sed pro ingeniorum varietate varias sentētias, & propterea mēdacia plerūque erroresque pepererint. Quòd verò ista considerantes quidam philosophorum, ijque facilè omnium principes existimati, prorsus in desperationem vllius eruendæ veritatis sese coniecerint, idque eò vsque, vt cum Socratis illa fuisset professio, *Hoc solum scio quòd nihil scio*, Arcesilas adhuc ꝓgrederetur lōgius, & negaret esse quicquam quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset; eaque de causa censerent, nihil oportere neque profiteri neque affirmare quenquam: declarabant certè hac desperatione sua, se eum qui genus humanum ab his liberaturus erat tenebris, penitus ignorare. Vnde & in illis erant, qui alia adhuc peiore desperatione, vt ait Apostolus, *desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.* Vt autem agnitâ sic miseria sua, agnoscerent etiam liberatorem, opus erat prius, vt miseriæ suæ originem intelligerent. Illi verò nihil aliud videbant, vel dicebant, nisi tantam se infœlicitatem cum materno lacte suxisse, & naturam accusare nouercam: Quod autem Fidelium habet traditio, & quod S. Augustinus noster in præclarissimo opere *de Ciuitate Dei* illorum posteros sapienter admonuit, & luculenter ostendit, omnium mortalium progeniem pro primorum parentum peccato fuisse damnatam, & hinc existere, nō solùm à lacte, sed omnino

Eph. 4.

Aug. lib. 22. Ciu. ca. 22.

nino

no antè etiam quàm naſcamur, horrendam iſtam profundi-
tem ignorantiæ,& vanæ cupiditatis abundantiam: hoc neq;
li eorum priùs cognouerunt, neque multi eorum poſtmo-
m recipere voluerunt.

Diabolus ſcilicet poſtquàm non ſtetiſſet ipſe in veritate,in- Ioan.8.
diâ exardeſcens,Parentes noſtros ijſdem ſecum tenebris ſer-
ntina calliditate fraudulentus inuoluit. Vbi cum Deum cer-
ret non ſic deſerere plaſma ſuum, ſed ſecundam admouere
num, & reparationem per Semen mulieris meditari: nec
e ſibi quieſcendũ eſſe putauit,ſed audito ſtatim ex ore Dei,
micitias ponam inter te & mulierem,& ſemen tuum & ſemen il- Gen.3.
, maiore iam deflagrans inuidia, qui primæuam aboleuerat
titudinem,ſperabat, reparationis quoque conſilium ſe poſ-
diſſoluere. Ab illo igitur tempore, quo talem ſibi cognouit
micum diuinitùs paratum eſſe,nunquàm ceſſauit, nũquam
titit, donec, ſinente Deo omnes Gentes ingredi vias ſuas, Act.14.
tam vniuerſis fere hominibus caliginem offudiſſet, vt licèt
rofundis ſe tenebris eſſe perſpicerent,tamẽ neque memo-
n originis,neque ſpem vllam liberationis haberent. Tunc
ur factum eſt quod Pſalmus quadrageſimusoctauus admo-
t,& ſecundò etiam inculcauit: *Homo cùm in honore eſſet,non* Pſal.48.
llexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt
Et quod Sapiens eodem modo: *Solummodo hoc inueni,quòd* Eccleſ.7.
rit Deus hominem rectum: & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtio-
s. In tanta autem quæſtionum & contentionum multitu-
e vnum duntaxat erat, in quo totus conuenire error vide-
ır; quod ſic pulcherrimè Auguſtinus dixit: *Scholas habebãt* De ver.Rel. ca.1.5.
ntientes,& templa communia. Iterumq; in eodem libro: *Ea-*
ſacra ſuſcipiebant cum populis,& de ſuorum Deorum natura, ac
no bono, diuerſas contrariaſq; ſententias in Scholis ſuis perſona-
. Nulli autem eorum reperti ſunt,vt eis Paulus imprope- Rom.1.
qui Creatorem licèt ex creaturis agnitum,glorificarent ſi-
Deum.

Creator nihilominus memor miſericordiæ ſuæ,promiſſum

 olim

olim liberatorem, iam in plenitudine temporis non distulit exhibere. Hic igitur *serpēs antiquus qui seducit vniuersum orbem*, videns demum *mulierem peperisse filium illum masculum*, tam sibi formidabilem, tam nobis desiderabilem, qui & de se dicit, *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati*: maiore, quàm vnquam, furore, sed (laus Deo) incomparabiliter minore successu molitur errores. Nam vt elegantissimè & sapiētissimè scripsit de Vnitate Ecclesiæ Cyprianus, *Christi aduentu detectus ac prostratus inimicus (postquam lux Gentibus venit, & sospitandis hominibus salutare lumen effulsit, vt aperirent ad Deum oculos suos cæci, & claudi ad Ecclesiam currerēt) videns ille* non solum Scholas dissentientes philosophorum, verum ipsa etiam communia *idola derelicta, & per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitauit nouā fraudem, vt sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos. Hæreses inuenit & schismata, quibus subuerteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet vnitatem. Quos detinere non potest in viæ veteris cæcitate, circumscribit, & decipit noui itineris errore. Rapit de ipsa Ecclesia homines, & dum sibi appropinquasse iam lumini, atque euasisse sæculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit: vt cum Euangelio Christi, & cum obseruatione eius, & lege non stantes, Christianos se vocent; & ambulantes in tenebris, habere se lumē existiment.* Neq; verò fraude hac solùm rapit homines de Ecclesia, qui intrauerant, sed multos etiam, ne intrent, impedit ac deterret. Quod tamen ne accideret vllis, & maximè primis, qui scilicet intrauerūt, curauit Christus Dominus, vt intus inuenirēt, tum à se tum ab Apostolis suis, fraudes istas fuisse prędictas, & suos vniuersos diligenter esse præmonitos. Ob eamque causam Ecclesiam suam, quasi Ciuitatem in monte positam, in illa luce collocauit, vt neque his qui foris neque his qui intus sunt, vllo vnquam tempore possit abscondi. Qui vnus est contra omnes Hæreticorū & fraudes & vires inexpugnabilis & inconcussus aries. Quem propterea Hæretici omnes ediuerso, vt aditum ad animos hominum fallacijs suis parent, subrue-

Apoc. 12.
Ioan. 18.
Cyp. de vnit. Eccl. nu. 2.
Math. 24.
2. Petr. 2.
Act. 20.
Math. 5.

ſubruere primitus moliuntur. Sed planè fruſtra & nimis inaniter: quandoquidem Scripturæ canonicæ (vt iam olim Catholici euicerunt à Donatiſtis in Collatione Carthaginenſi, quod videre eſt apud Auguſtinum in *Breuiculo*, & in libro *de Vnitate Eccleſiæ*) apertiſſima reddunt teſtimonia Eccleſiæ viſibiliter incipienti, & ſemper vſque ad conſummationem ſæculi viſibiliter permanenti.

Collatio Carthaginenſis.

Secundum has igitur clariſſimas Scripturas oportuiſſet quidem neque Hæreticos diabolo in ſeminandis erroribus miniſtrare, neque cæteros Chriſtianos, relicta Eccleſia, aures vanitatibus eorum & mēdacijs aperire. Diabolus nihilominus pro antiqua contra Semen mulieris, & iam poſt incarnationem eiuſdem amplificata hoſtilitate, partim verſutia ſua, partim quorundam nimia leuitate effecit, vt licèt Eccleſiam fidemq; eius delere non potuerit, tamen plurimos inſtabiles varijs temporibus rapuerit de Eccleſia, neque vllam prorſus fidei partem reliquerit intentatam. Nam in ipſo ſemine incarnato, id eſt Chriſto Domino, quid eſt obſecro vel tam magnum vel tam paruum, cui ab initio diabolus alicuius hæreſis tenebroſæ labem non aſperſerit? Nullam in ſuperbenedicta Trinitate perſonam, non Patris, non Filij, non Spiritusſancti intactam eſſe permiſit. Denique in his duobus Religionis noſtræ myſterijs, ſummæ (inquam) Trinitatis, & gratioſæ Incarnationis, mille adinuēnit modos erroris: ita vt S. Athanaſius iam tum in longiſſimo Symbolo ſingulis ferè verbis ſingulas hæreſes, nec tamen omnes, ſed pręcipuas tantummodo, deſignarit. Vnde non diu poſt eum S. Baſilius iſta conſiderans, & animaduertens nullum finem Hæreticos facere errandi, & in errorem mittendi, & Catholicos perſequendi, venit, (vt ſcribit) in iſtam de ſuo tempore cogitationem, & dixit apud ſe: *An Eccleſias ſuas prorſus reliquit Dominus? An nouiſſima hora eſt, & hoc pacto initium ſumit defectio, vt iam deinceps reueletur iniquus ille Filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omnem qui dicitur Deus aut numen?* Cognouit enim è Scripturis vir doctiſſimus atq; ſanctiſſimus,

Quicunque vult.

Baſ. Ep. 71.

2. Theſſ. 2.

ctissimus, illam esse Satanæ progressionem, & cõtra Ecclesiam Christi grassationem, vt à Capite veritatis exorsus, cuncta cõtaminando persuaderet, nec antè desisteret quàm Caput falsitatis, ipsum scilicet Antichristum, reuelaret atque produceret. Id quod suo tempore Basilius pene putauit impleri, quandoquidem videret non solum mysteria Capitis quæ dixi, verumetiam mysteria Corporis, id est, Sacramenta Ecclesiæ turpissimè ab Hæreticis prophanari, maximeque quotidianum Sacrificium impediri. Illud enim flebiliter sic deplorat: *Sublatum est gaudium & lætitia spiritualis, in luctum mutatæ sunt festiuitates nostræ. Domus precationum clausæ sunt. Altaria cultu spirituali vacant. Nulli ampliùs Christianorum cœtus, nulla amplius doctorum præsidentia, cessarunt doctrinæ salutares, cessarunt panagyres ac festiui cõuentus publiciq́, hymnodiæ nocturnæ non habentur: neque superest beata illa exultatio, qua Domino credentium animæ in Synaxi ac communione spiritalium charismatum exhilarantur. Nobis tam dicere licet, quòd in hoc tempore sit neque princeps, neque propheta, neq́, præses, neque oblatio, neque incensum, neque locus vbi coram Domino posit offerri Sacrificium, ac misericordia acquiri.* Hæc ille ad Occidentales Episcopos, vt subuenirent Orientalibus Ecclesijs sic afflictis atque turbatis. Cùm tamen Hæretici illi non ceremonias ipsas odissent, sed tantum ne à Catholicis administrarentur, obstarent. Nunquàm autem (quantum puto) venit illi in mentem, futuram esse aliquando Hæresim, quæ non tam Catholicos homines, quàm ipsa in seipsis Sacramenta, ipsum Sacrificium, ipsas omnes Ecclesiasticas ceremonias persequeretur. Id enim cum Basilius tum reliqui Patres videntur existimasse, ipsi fuisse Antichristo specialiter & singulariter reseruatum. Est igitur hoc nouum mali genus, hæc noua calamitas nostrorum propria temporum: ita vt si illi olim maiores nostri cùm viderent suis vigere temporibus desolationẽ cunctis temporibus Hæreticis solennem atq; communem, reuelationem ipsius Antichristi protinus expectarint: nos certè multo magis, qui ipsam secundum se Abominationem desolationis introduci

Epist. 70.

Dan. 3.

Apostasia Hæreticorũ nostri temporis.

luci videmus, extremum tempus iudicemus instare. Notum est quid Daniel Propheta prædixerit de iugi Sacrificio sub Antichristo per tres annos & dimidium auferēdo: cùm ...ici quidem cultus desolationem antiquam sub Antiocho *...sephus & Machabæorum* (vt notauit Hieronymus contra ...phyrium) *liber, tribus tantum annis fuisse commemorent:* hanc ...m præsentem sub Romanis non solum trium annorū cum ...dio, sed omnino videamus esse perpetuam. Non igitur de ... Iudaico, sed de Ecclesiastico iugi Sacrificio Daniel pro...auit, quemadmodum & ipse locus, & Patrum quoq; mul...n tractatus ostendunt. *Antichristus* enim (vt ait Hierony... *in tantam erigetur superbiam, vt legem Dei & ceremonias ...re conetur.* Hoc igitur cum conspiciamus nunc passim fie...rito dicimus, mysteriū iniquitatis iam quasi completum ...busque suis partibus absolutum esse, & solam restare re...ionem illius filij perditionis, cuius per hæc omnia Hære...perati sunt & operantur aduentum. vnde etiam ni fallor, ...am venit Satanas ad extremum, partim his posterioribus ...Berengarium sæculis non ferè noua cudit, sed easdem sub... contra Sacramenta Hæreses renouat & restaurat; partim ...ostro sæculo omnia & antiqua & recentia congregat & ...tat, vt omnia diligenter præparata veniens Antichristus ...iat; & sic breuissimo tempore nullo labore quasi gene... inducat Apostasiam. Nam cum expertus olim dixerit ...stinus, *Diabolus plerunque fideles Apostatas esse persuasit, ... quotidianum Dominici Corporis ministerium defuit*, quantu...uesso circa istos in Apostasiam impellendos, quibus Hæ...rum operâ non solùm deest illud ministerium, sed insu...iam inuisum & exosum est, sudandum ei erit? Imò quis... que sapiens est, qui non facilè animaduertat, istam huius ...oris Hæresim eò demum iampridem profecisse, vt multo ... nunc habeat sequaces Apostatas, quàm Hæreticos, id... ...i Religionem omnem seu veram seu falsam, quasi fabu... ...rideant & contemnant? Nónne igitur cernimus, antiquam

Dan. 9.

Hier. in Dan. 12.
1. Mac. 4.
Iosʃ. Ant. lib. 12. cap. 10.

Hier. in Dan. 7. & 12.
Iren. lib. 5. in fine.
Chrys. Hom. 49. in Matth. oper imperf.
Hip. Or. de Consum. sæculi.

Aug. Ep 18.

tiquam illam quam dixi Philosophorum, per Hęreticos restitui cęcitatem? imò & istam multò peiorem? Nam illi esse veritatem, licèt in profundo demersam, agnouerunt; desperarũt autem, erui & inueniri eam posse. Isti autem eò adduxerunt homines, vt non solùm desperent veritatem inuenire, sed nec esse veritatem, sibi persuadeant. Vnde & in istis eadem, quę olim in illis, regnant peccata, scelera, & immunditię omnes, quarum iam tum contra Philosophos D. Paulus texuit catalogum.

Rom. 1.

Et contra tenebras quidem vtriusque generis, errorum scilicet & vitiorum, amplexari oportuerat Ecclesię sempiternam lucem, quam Christus tanto molimine præparauit. memores nimirum Isaiæ tanto antè vaticinantis, & dicentis Ecclesiæ: *Surge, illuminare: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Quod si vel adhuc etiam Hęretici facere dignabuntur, carere poterunt istis quibus inuoluuntur tenebris, in Ecclesia cùm omnem veritatem assequentes, tum suorum remedia salutaria peccatorum. Sed non ignoro, maiorem esse Ecclesiæ lucem quàm vt eam luscorum possint oculi sustinere. Nam vt obseruauit Augustinus, *obscuriùs Prophetæ de Christo dixerunt, quàm de Ecclesia*: ita vt Iudæi offendentes in Christum magis excusabiles & minus cæci sint, quàm Hæretici in Ecclesiam impingentes. Sed vt cœpi dicere, quia vtrique sunt lippi, tegamus interim lucem istam, & sicut non solemus premere Iudæos authoritate Christi nostri, ita nec Hæreticos premamus Ecclesiæ nostræ authoritate. Et fingamus potiùs, nihil valere Ecclesiam, licèt omnes antiquas Hæreses superauerit, & istas nouas quibus æquè viriliter resistit, similiter superatura sit. Sed hoc solum faciamus iam, causam nostram cum eorum causa, rationes nostras cum eorum rationibus componamus. Non enim dubito, quin sic etiã possit eorũ cæcitas clarissimè demõstrari.

Isa. 60.

Aug. in Ps. 30. Con. 2.

Quo-

Quoniam igitur veteres (vt dixi) Hæreses circa Mysteria Diuinę Trinitatis, & Dominicę Incarnationis versabātur; istorum autem defectio contra Mysteria Sacramentorum occupatur: constitui (Deo iuuante) primùm Sacramenta omnia in communi ab eorum blasphemijs vindicare; deinde vnius illustrissimi exempli causa, Sacrosanctum Eucharistiæ assumere Sacramentum: vt tum in genere, tum in specie falsitas redarguatur, & veritas defendatur. Sic enim Cultus Ecclesiasticus, quem sibi proposuerunt Hęreses huius temporis propriè oppugnandum, plenissimè asseretur. Nam cum omnia Sacramēta cultum Dei in se contineant, tum Eucharistia eximio & singulari quodam modo. Reliqua enim cum nihil nisi Sacramenta sint, primarium illud habent, vt dona Dei nobis communicent; & secundarium, vt cultum nostrum Deo referant, ac retribuant. Eucharistia verò quia non modò Sacramentum est verumetiam Sacrificium: & Sacramentorum quidem quę vel fuerunt vel sunt, summum atque præstantissimum; Sacrificiorum verò quę vnquam in vlla Lege fuerunt, longè excellentissimum, & nunc etiam in Noua lege vnicum quoque & singulare: vtrumque habet & primarium & eximium, vt nimirum non solum Diuinorum donorum nos participes faciat, suprà quam alia Sacramenta omnia, verumetiam cultum vicissim à nobis Deo præstet admirabilem, suprà quàm Sacramenta, suprà quàm Sacrificia, & suprà quàm à mortali quoquam dici aut cogitari potest. Qua etiam de causa & olim semper cùm omnia Sacramenta à Fidelibus habita sunt sanctissima, tum Eucharistia incomparabilis atque diuina; & nunc econtrà cùm Ecclesiastici cultus hostes Sacramenta omnia prophanent & contemnant, tum supremum hunc Altaris cultum, sicut Antichristus, & sicut ipsi dæmones, auersantur. Sed nos, per Dei gratiam, eorum hic sacrilegam cæcitatem luculenter reuelabimus, & cunctis euidentissimè demonstrabimus, hanc esse veram & solam Religionis viam, quam in Sacramentis suis, & in Sacrificio suo frequentat Ecclesia: per hanc vnicam Deum

donare nobis maxima & preciosa munera sua, quę olim promisit, & quę suo tempore Dominus Iesus Christus meruit, & quę sola mundum liberant ab antiquis tenebris atque sordibus: & per hanc iterum vnicam Religionem nos condignas Domino gratias reddere pro omnibus quę retribuit nobis: Vt quemadmodum tanta dona atque munera Nouo nostro Testamento rite conueniunt, ita muneribus vicissim gratiarum obsequium atque cultus mirabili quadam & ineffabili æqualitate respondeat.

INDEX LIBRI DE SACRAMENTIS IN GENERE, SECVNDVM TITVLOS ET CAPITA.

De Sacramentis in communi, septem Tituli.

INDEX DVORVM LIBRORVM DE EVCHARISTIA, SECVNDVM TITVLOS ET CAPITA.

Primi Libri de Sacramento Eucharistiæ, quinq; Tituli.

ART.

SECVNDI LIBRI DE SACRIFICIO EVCHARISTIÆ, QVINQVE TITVLI.

26. La-

FINIS.

De Sacramentis in genere, *Liber vnus.*

Sacramenti nomen, etsi aliter ab alijs, tamen rectè etiam ab Ecclesiasticis vsurpari.

CAP. I.

QVONIAM de Sacramentis in genere, eorumque naturâ, partibus, causis, effectis, numero, ac administratione, suscepta est à nobis hęc tractatio; principió placet, ne vel imperitiores impediat vocis ignoratio, vel hæreticos (contentionis, quàm veritis cupidiores) delectet verbi controuersia, breuiter indice, quid Sacramenti nomine notetur, & vnde in religionis m venerit. Apud Latinos igitur, significat imprimis So- me iusiurādum, id est, obligationem sacram Numinis con- atione factam. Vnde apud Vegetium li. 2. De re Milit. fi- milítum Imperatori ac Reip. data iureiurando interposito, itur *Sacramentum militare.* Secundò apud veteres (vt hor est Varro lí. 4. de lingua Lat.) Sacramentum appella- ur illa pecunia, quam litigatores, pendente lite, apud Pon- cem in loco sacro pro pignore deponebant. Ad quod allu- Cicero li. 2 de Orat. *Pythagorei* (inquit) *contendent tecum o sacramento & lege.* Hoc vtroque, & alio quocūque sen- à *Sacro* deriuatur indubiè Sacramentum, sicut à veste vesti- ntū. Et posterioris quidē acceptionis apud nostros aut Iu- ōsultos nunc nullus est vsus: sed prioris est in omnibus scri- ribus frequentissimus. Nam & in Iure Pontificio aliquo- , vt causa 22. q. 5. cap. *Paruuli*, & ab antiquissimo Theologo rtulliano lib. ad Martyres, sic vsurpatur. In eundem etiam sum accommodatissimè D. Hieronymus Epist. ad Helio-

1.

2.

dorum, Catechumenorum datam solennem fidem in Baptismo ad militiam Christianam *Sacramentum* appellat. Sed tertio adhuc apud Theologos Latinos, ad illud quod quærimus paulò propiùs, significat id totum quod apud Græcos τὸ μυστήριον. Quæ duæ voces, siue ex communi vsu vulgariter, siue ex certa Disciplinæ nostræ accommodatione magis particulariter accipiantur, sibi ferè respondent mutuò, & æquè latè patent. Mysterium autem est omne sacrum secretum, quod vel sua celsitate ac difficultate vulgarem captum superat; vel alia de causa, Dei aut hominum voluntate, quibusdam rerum aut verborum inuolucris ita contegitur, vt foris prima specie commune quiddam videatur & vulgare, intus tamen habeat aliquid sanctum & singulare, quodque non nisi paucis reueletur, vel oculis tantùm fidei pateat. Atque hoc modo refertur maximè ad arcana Dei: licet nonnullâ vocis analogiâ, Regis etiam, ac amicorum secreta significet, vt Tob. 12. & Prou. 20. ac aliquoties etiam in malam partem, impiorum graues atque occultas contra Deum & Ecclesiam machinationes, idque tũ maximè, quando diuinitus quibusdã exterioribus symbolis, fidelibus aperiuntur: vt apud Paulum 1. Thess. 2. *Mysterium iniquitatis*. Huius igitur vocis & Sacramenti cùm eadem sit significatio, Latinus Scripturarum Interpres vtriusque vsum ferè indifferentem facit. Prima enim ad Cor. cap. 4. *Dispensatores mysteriorum*; & cap. 13. *Si nouerim mysteria omnia* dixit. quod Aug. lib. de gra. & lib. arb. ca. 17. reddidit sic: *Si nouerim omnia Sacramenta.* Ad Eph. 3. & ad Col. 4. Incarnationẽ Dominicã à generationibus absconditã, & *mysterium* & *sacramentum* promiscuè interpretatus est. sæpiùs tamen *sacramenti* verbo vtitur: vt Eph. 5. *Magnum sacramentum in Christo & Ecclesia.* Et Apocal. 1. *Sacramentum septem stellarum.* Apocal. 17. *Sacramentum Bestiæ & Mulieris.* Denique, *sacramentum somnij* Dan. 4. vbique pro arcano ac mysterio. Recteque hîc Magister Sent. lib. 4. Dist. 1. obseruauit, his & similibus locis Sacramentum vocari non tantùm rem ipsam occultam nobis ac latentem,

tem, sed ipsum etiam signaculum externum & figuram quę
n abditam occulit & latenter indicat. Vnde Veteres, signi-
tione nõnihil deflexâ, Sacramẽtũ dixerunt omne id, quod
urat ac repreſentat aliquid ſacri. Quo modo Tertul. lib. Cõ-
Iudęos Securim Elizei *Myſterium ac ſacramentum* vocat. &
. Marcion. lib. 5. quod Apoſtolus *allegoriam*, ille *ſacramen-* Gal. 4.
duorum filiorum Abrahæ appellat. Sic Auguſtino Lignum
e in Paradiſo eſt ſacramentum Chriſti. lib. 1. con. Aduerſ.
gis & Proph. & li. 8. de Gen. ad lit. ca. 4. & 5. Et Danielis ab-
entia à cibis regijs lib. 19. con. Fauſtum, ca. 14. & ibidem
num Crucis. Et lib. 2. de pec. mer. & rem. ca. 26. panis be-
ctus Catechumenorum, *licet non ſit corpus Chriſti, tamen
cramentum, & ceteris cibis ſanctior*. Sed communiora & re-
iora ſunt iſta. Propiùs accedit Auguſtinus, cùm Sacra- 5.
tum pro ſacra ſolemni ceremonia, in qua aliquid religioſi
terij continetur, vſurpat. vt lib. 19. con. Fauſtum ca. 11. *In
m nomen Religionis, ſeu verum, ſeu falſum, poſſunt coagulari ho-
s, niſi aliquo ſignaculorum vel ſacramentorum conſortio colli-
r*. Qua eadem generaliori adhuc ſignificatione lib. 4. De
b. ad Cat. ca. 1. vocat *Sacramenta*, omnia illa, quæ nos nũc,
ſunt Sacramentorum adminiſtrationi coniuncta, *Sacra-
alia* dicimus. in quibus recenſet Inſufflationes, Exorciſ-
Catecheſes, & ſimilia: & in vniuerſum, quæcunq; alicuius
ij, aut beneficij diuini figuram per ſtatam dierum aut ce-
oniarum obſeruationem gerunt. Quo modo Epiſt. 23.
inicum diem, Sabbathũ Iudæorum, ac Feſtum Paſchale
menta nuncupat.

ęterùm adhuc etiam amplior & communior eſt vocabu-
s, quàm cuius peculiarem ſignificationem nos inquiri- 6.
Non erit tamen difficile, ex analogia commemoratorum
ium colligere iſtam huic loco propriã, ac peculiarem ver-
ceptionem. Habent enim omnium Diſciplinarum primi
iſtri eum morem, vt *per appropriationem* quædam commu-
vocabula faciant ſua, quorum ſignificationem vſu & ac-

commodatione ita restringũt, vt cùm sua vi ac notatione plura contineant, ac vulgaria quæq; denotent, nunc sint artis propriæ voces, & non nisi eius generis certa quædam & excellentiora complectantur. Itaq; si contentiosus hic quisquam vel ex ignorãtia, vel ex hæresi existat, sciat; quod sic passim faciũt suo iure profanæ disciplinæ, id longè æquiùs nostræ facultati concedi oportere: quæ cùm res summas præteritis sæculis & Magistris ignoratas tractet, potuit meritò tùm necessariã vocum nouarũ inuentionẽ, tum maximè lenem & analogicã accommodationẽ veterum verborũ ad res in simili genere recẽs institutas sibi vendicare. Pontifex, Persona, Trinitas, Fides, Fidelitas: & Gręca, Liturgia, Diacon⁹, Presbyter, Episcop⁹ (vt de nouis nihil dicam) sunt omnia vetera, & in vtraq; lingua apud profanos lõgè amplioris significationis, quã nũc apud Authores sacros. Quorũ tamen sensum quòd Ecclesia pro cõmoditate rerum suarũ limitet, nulli mirum aut absurdũ videri debet.

In Confess. Vvirt. In Oppugnat. decretorum Concilij Trid.

Quare ineptissimè nos Brentius & Kemnitius Lutherani reprehendunt, quòd nomẽ *Sacramenti* tam latè patens, & tam varias Ceremonias ac Religionis arcana comprehendens, audeamus restringere ad septem tãtum. Vbi ipsorum magis summam miramur ridemusq; stultitiam, qui nos non sinunt ad septem illud accommodare vocabulum, quod ipsi vel ad tria, vel ad duo, vel etiam ad vnum contrahunt. Qui etiam, si sibi ac suis consentanea loquerentur, ipsum Sacramẽti nomen, cùm nusquam planè in Scripturis eo sensu quẽ volumus, neq; ad ipsam Circũcisionem, neq; ad Baptismũ, neq; ad sacrã Eucharistiam, aut cæterorũ quoduis referatur, prorsus exploderent. Neq; verò illud etiam quicquã moramur, quòd Hæretici, ac alij petulantes linguæ Ecclesiasticæ censores nostram quasi infantiã derideant, quòd ex verbo *Sacramenti* vulgariter accepto apud Apostolum, conemur probare, Matrimonium esse nõ vulgariter, sed propriè instar Baptismi, dictũ Sacramẽtum. Falluntur enim, cùm eo nos loco ex voce Sacramẽnti aut Mysterij, præsertim cõtra ipsorũ similes contentiosos λογομάχους, nõ differamus se-

Erasmus in Annot. Cap. 5. ad Ephes.

nus ferè,ſed ex collatione rerũ quam Paulus ibi proſequitur. De quo in SacramẽtoMatrimonij proprius eſt differẽdi locus.

Hoc igitur volumus, Sacramenti appellationem varijs acceptionibus communem multis,legitima Theologorũ appropriatione attribui paucis,illuſtrioribuſque cæremonijs diuinitus tùm in Lege veteri ac anteà, tùm præcipuè in noua per Chriſtum inſtitutis,quales fuerũt olim Circunciſio,& Agnus Paſchalis;nunc Baptiſmus, Euchariſtia,& ſimiles.In hoc enim ſenſu vſurpauit D.Auguſtinus apertiſſimè,Epiſt.118. *Dominus noſter Ieſus* (inquit) *in Euangelio Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatu facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, &c.* & 3. de Doctrina Chriſtiana,Cap.19. *Nunc pauca pro multis inſtituta ſunt à Domino Sacramenta:* vtrobiq; reſtringens nomẽ Sacramenti ad inſigniores quaſdam & maximè ſalutares obſeruantias diuinitùs præſcriptas. In qua propria ac genuina facta verbi notione Ambroſius in lib.de Sacramẽtis, & de ijs qui Myſterijs initiãtur (quibus libris iuxta eandem ſignificationem etiã tituli ac inſcriptiones tribuuntur)& Cyprianns de Ablutione pedum: Hieronymus item contra Luciferianos,atq; Lactantius lib.3. & 4. de Sapientia,& Tertullianus frequenter lib.1.& 4. Contra Martionem, Sacramenti nomen ex hac peculiari accommodatione ad certum cæremoniarum inſigniorum numerum applicuerunt. Idem factitarunt Græci in verbo Myſterij, illud quoq; ad ſingularia quædam Sacramenta accommodantes, licet aliquoties vtantur & *Symbolo*, & *Antitypo*, vt Theodoretus in Dialogo *Immutabilis*, & multùm Baſilius, ac ipſe etiam Dionyſius: Chryſoſtomus ferè & eius ſequaces retinent verbum Myſterij: ac cum de Euchariſtia agunt, *Tremendi* epitheton adiungunt.

Cauſæ appropriationis,ac compingendi vocabuli,in vtraq; lingua iuſtæ fuerunt, & ab ipſarum vocum ac rerum analogia petitæ: Μυςήριον enim apud illos (vt quidam volunt) dictũ eſt ἀπὸ τȣ̃ μυε͂ιν ςόμα, quod eſt, os claudere: cùm nefas haberetur, ea quæ in Religionis ſacratioribus cæremonijs tractabantur,

in publicum proferre. Quæ rerum arcanarum occultatio maximè omnium in Sacramentis nostris (vt author est D. Dionysius in varijs Ecclesiasticæ Hierarchiæ locis) requiritur. Nostri similiter obseruarunt ex verbi Latini commodissima deflexione, & ex variorum significatorum analogica similitudine, cur hoc genus sacræ cæremoniæ, quo de agitur, peculiariter Sacramentum appelletur. Rectè enim D. Thomas, & cæteri post eum: sicut *Sanum* (inquiunt) de homine, de vrina, de medica potione, & corporis exercitio, variè quidem de singulis, sed tamen ex vnius certæ significationis respectu, quæ non cuiq; similiter, licet omnibus suo ordine ac proportione quadam insit, verè prædicatur: sic ab hoc vocabulo *Sacro* & iusiurandum, & apud Pontificem deposita pecunia, & Dei ac Principum arcana, & sacræ figuræ, & Religionis externæ obseruãtiæ, & ista deniq; certa peculiaria maximèq; insignia à Deo ipso ad suum cultum instituta Mysteria, analogicè omnia, sed propriè ac inprimis (multorum Theologorum ac sæculorum vsu) hæc postrema, de quibus instituta est disputatio, Sacramẽta dicuntur. Aut si hîc hæretici pergant verborum pugna confidere, reddant res ipsas quibuscunq; volunt verbis: vocent diuinissima Religionis officia, Mysteria, Signa, Symbola, si Sacramenta nolunt.

p. 3. q. 60. ar. 1.

Sacramenti Ecclesiastici definitio inquiritur: &, quòd Signum *sit genus eius, ostenditur.*

CAP. II.

QVARE de re ipsa potiùs disseramus, eamque Philosophorum more, quid sit definiẽdo explicemus. Ita enim fiet, vt quomodocunq; cæremoniæ istæ vocentur, de earum numero, natura, proprietate nullum dubitandi locum sanis hominibus relinquamus.

Sapienter igitur huius disciplinæ Magistri, vt aliquid communius, quod omnibus his illustrioribus cæremonijs competeret ac generis loco esset, reperirent: animaduerterunt, ipsum

Sacra-

acramentum varia ac multiplici habitudine ita referri ad *rem cram*, ſicut multipliciter nominatur à *Sacro*: in hac tamē peuliari ac poſtrema vocis acceptione poſſe id duobus maximè nodis fieri. Vel enim comparari ad ſacram rem, vt efficiens, el vt ſignum. Si priori modo, tum in genere actionis colloandum, itáq; fore vt *à ſanctificando*, ſeu *ſanctum faciendo* nomen c rationem habeat. Id quod non facilè cōcedimus, ne arctiùs uàm oporteat, ampliſſimæ rei naturam circūſcribamus: cùm nultá videantur fuiſſe vera Sacramenta, quæ eius ſacri quod epræſentabant, efficiendi vim non habuerint. Si igitur poſteiori modo magis conferatur ad ſacrum tanquam eius non efectrix cauſa, ſed index atq; nota, cōſtituetur in genere Signi, t perſpicuum eſt: ac proinde omne Sacramentū erit ſignum, on item cauſa quæ ſemper id quod ſignificatur efficiat. Non iſiteor tamen, fuiſſe Theologos graues ac doctos, qui tam rctos & anguſtos limites hîc poſuerint, vt non alia quàm ſeptem nouæ Legis Sacramenta, quæ cauſant rem ſacram ſiue gratiam, deſcriptione ſua comprehendenda iudicauerint. Ex qua ſententia ita Hugo Victorinus bonus inprimis Scriptor lefiniuit: *Sacramentum eſt materiale elementum foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitutione ſignificans, & ex ſignificatione aliquam inuiſibilem & ſpiritualem gratiam continens.* Hunc ſecutus ſententiarum Magiſter, dicit eſſe *inuiſibilis gratiæ viſibilem formam, ita vt ipſius ſimilitudinem gerat & cauſa exiſtat.* In conſimiles anguſtias Sacramenti vocem & vim compingunt alij recentiores, cùm ita deſcribūt, vt ſit ſenſibile elementum gratiam aut effectum gratiæ efficaciter ſignificans & conferens. Quibus omnibus ac ſimilibus explicationibus auguſtiſſimæ illæ cæremoniæ Sacramentorum ac Sacrificiorum omnium, ab ipſo Deo, vel in Naturæ, vel Moyſis Lege, à quo vſq; tempore primi peccarunt parentes, inſtitutę, à Sacramenti vera notione ac nomine excluduntur: cùm tamen & Circumciſionem, & Agnum Paſchalem, aliaq; penè innumera, fuiſſe indubiè Sacramenta, vniuerſa fateatur antiquitas:

Part. 1. de Sacram.

Lib. 4. Diſt. 1.

Contra Faust. li. 19. Cap. 11.

quitas: notumque sit illud D. Augustini, nullum populum ad cultum Religionis coire in societatem posse sine Sacramentorum externo vsu & commoditate: tantumq; abesse, vt populus Iudaicus his caruerit, vt eorum numero plurimùm potiùs grauaretur. Concilium certè Florentinum, & Eugenius Papa non minùs illa antiqua Sacramenta vocāt, quàm nostra. Quamobrem sententiam Magistri illam, qua dicit vetera omnia fuisse significatiua, sed non vera Sacramenta, non recipimus. Nam ex eo errore venit, quòd ea sola Sacramenta videatur existimasse, quæ efficiunt sanctitatem ac in actionis genere collocantur.

De Ciuit. Dei. lib. 10. Cap. 5.

Epist. 5. ad Marcel.

Multò meliùs, & Scripturis ac rationi magis consentaneè Augustinus dixit, *Sacramentum esse sacræ rei signum*: & rursus, *rei inuisibilis visibile signum.* Item alibi idem insinuans: *Signa*, (inquit) *cùm ad res diuinas applicantur, Sacramenta sunt.* Et in hanc sententiam ac sensum D. Thomas inprimis part. 3 quæst. 60. & maior ac melior Theologorum pars iampridem cōsensit, vt iam penè omnes non in efficiendo, sed in significando, generalem Sacramenti rationem positam esse putent: licèt ille priùs, Magistrum Sentētiarum sequutus, aliter senserit. Sed & ipsæ Scripturæ earum illustrium cæremoniarum, quas nos nunc Sacramenta appellamus, naturam communissimam in significando consistere varijs locis indicant. Nam propterea Paulo Circuncisio est *Signum, ac signaculum iustitiæ fidei*: Baptismus, similitudo mortis, sepulturæ, ac Resurrectionis Dominicæ: & Eucharistia, annunciatio mortis eiusdem, non tantùm vt in se ipsa extitit, sed (vt aliàs dicemus) quatenus per eam aliquid in nobis geritur. Huic eidem sententiæ, primæ Sacramentorum institutionis generalissima causa ac ratio suffragatur. Ea enim fuit, vt aspectabili rerum exteriorum vsu ac occupatione, illius primi peccati communisque morbi ac miseriæ nostræ continuò memores redderemur: ac deinde eodem sensibili & tractabili magisterio erudiremur ad expectationem, spem, ac fidem eius Saluatoris, qui solus nos diuinitùs ab hoc

Rom. 4. Rom. 6. 1. Cor. 11. Infrà. ca. 7. & 8.

commu-

communiſſimo malo mirabiliter liberaret. Licet enim & alia iam tum ab initio fuerint præclara ac neceſſaria harum cæremoniarum officia, tamen ad remedium ignorationis ac obliuionis, ad præteritarum rerum recordationem, & futurarum prænunciationem, generaliſſimè mortalibus mandatæ creduntur, vt huiuſmodi actionibus ſenſibilibus informati, ſpem ſuæ liberationis per Chriſtum nunquam deponerent, ſed eam, Deiq; in ipſos ſummum Dominium indies publicè proteſtarentur. Atque hinc factum eſt, vt antiquiſſimi quique Scriptores non ab operando, ſed à ſignificando varias Sacramento appellationes coaptauerint. Latini ſæpè figuras, ſigna, ſimilitudines, & viſibiles formas vocarunt: vt Tertullianus contra Marcionem lib. 5. & D. Auguſt. Epiſt. 28. ad Bonifacium. Græci autem vetuſtiſſimi, vt Dionyſ. Areopagita, Baſilius, Greg. Nazianzenus, Theodoritus, Damaſcenus, & reliqui Symbola, ac ἀντίτυπα frequentiſſimè nominarunt.

Neque verò quia Sacramentum omne eſt ſignum, in eoque vt in genere collocatur, inde ſequetur, quòd efficere, ſacrare, ſanctificare, aut conferre id quod ſignificatur, non ad eſſentiam vllius Sacramenti pertineat, ſed cuicunque id competat, ſolùm ex accidenti competat: cùm ea, quæ non ſunt in ratione ſuperioris, poſſint eſſe, & ſæpè ſint in inferiori. Quo igitur modo rationis capax, licet de ſubſtantia animalis communis non ſit, eſt tamen in definitione certi animalis, hoc eſt hominis: ita efficientia gratiæ, quæ Sacramẽtis omnibus in communi non tribuitur, poteſt tamen verè noſtris ac eſſentialiter conuenire. Et ſanè conferre gratiam ſi non eſſet de ratione atque eſſentia Sacramentorum nouæ Legis, nulla eſſet inter Chriſtiana ac Iudaica propria & eſſentialis differentia. Quod perabſurdum videri debet, & Paulinæ doctrinæ parum conſentaneum eſt: qui per totam penè Epiſtolam ad Hebræos, inſigni antitheſi, rerum noſtrarum vim & efficaciam ab imperfecta & vmbratili veterũ præfiguratione diſcernit. Neq; etiam de ipſo Chriſto ac ſuorum Sacramentorum maieſtate

satis dignè sentiunt, qui inter ista & illa eam tantùm substantialem differentiam faciunt, idq; solum interesse volunt, quòd nostra præteritorum, antiqua futurorum significationem contineant: cùm temporum discrimina, rerum ipsarum substantias non attingant: & Apostolica ac Ecclesiastica doctrina nõ tam tempora consectetur, quàm ista: vmbram, Corpus: figuram, rem: significare, dare: hæc ferè nostris nouis, illa Iudæorum antiquis attribuens. Quanquam hîc hæretici nobiscum in eo non pugnant, vtrum sit essentiale, an accidentale nouis Sacramentis, gratiam ac sanctificationem operari, ea enim est recentium tantùm Theologorum nonnullorum ad veritatis indagationem instituta disputatio. Hæretici autem prorsus negant, vel nostra, vel Iudæorum quicquam vllo modo ex se efficere aut cõferre, quod ad sanctitatem pertineat: quam nos falsam & nouam sententiam alio loco refutabimus diligenter. Nunc reliqua persequámur.

Infra.ca.31. & seqq.

Signum illud, quod pro Sacramenti genere assignatum est, quomodo accipi debeat, latius explicatur.

CAP. III.

CVM commune sit omnibus Sacramentis illud, vt Signa sint, quemadmodum nunc ostendimus: erit huic institutioni vtile, proximo iã loco ab Augustino didicisse, quid & quotuplex sit signum, vt in quo genere signorum, & quali significatione constituatur Sacramẽtum, intelligamus. Primo igitur definit signum Augustinus, vt sit *res quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciat in cogitationem venire.* Vnde deinde colligit, non solùm *voces* (quæ tamẽ id propriè habent, nec aliud quicquam faciunt) sed etiam *res* ipsas ad significandum accommodari. Quod planum facit ex ligno à Moyse Exod. 15. in aquam misso: ex lapide, quem Iacob erexit in titulum Gen. 28. & ex pecore, quod Abraham vnigeniti loco Gen. 22. obtulit. Similiumque *rerum* significantium Scripturæ plenæ sunt. Porrò signa, quę in rebus sita sunt, partim

De Doct. Christ. li. 2. cap. 1. 2. & 3.

artim docet esse Naturalia, partim Dei vel hominum placi-
o ad significandum comparata. Quæ naturâ significant, eius
eneris sunt, vt quadam natiuâ affinitate rebus alijs sint con-
ıncta, ideoque eas demonstrent & significent. Sic omnes ef-
ectus, causas suas ostendunt, idque naturaliter, sine institutio-
e humana aut diuina. Signa autem quæ institutione fiũt, sunt
: hedera significans vinũ venale, sonitus tubæ significans prę-
um, horologium indicans horam Officiorum, Lectionum, &
uiusmodi. Notandum deinde est, quòd eorum signorum,
uæ institutione diuina vel humana repræsentant, partim ha-
ent similitudinem proportionemque aptam ad eas res qua-
ım significandarum causa sunt instituta: vt, summa papa-
erum capita apud Liuium à Tarquinio Superbo in horto Lib. 1.
ecussa, significabant filio eius, per quandam similitudi-
em & repræsentationem, vt Gabiorum primores occi-
eret. Partim sine discrimine, sineque vlla tali causa, ad si-
nificandum sunt assumpta: quemadmodum hedera vel co-
ına appensa ad tabernas; quæ cùm statuantur ad signifi-
ndum, vinum esse venale, tamen vini similitudinem nul-
m gerunt.

His ita declaratis, pono iam Scholarum more conclusio- 1.
es quasdam. Prima sit ista: Sacramenta sunt signa vt res, &
on vt voces. Probatur; quia & materia, & forma Sacramen-
orum, & ipsæ actiones omnes circa ministerium eorundem,
præsentant gratiam, & gloriam, & Passionem mortemque
Dominicam. Secunda conclusio: Sacramenta sunt signa nõ 2.
aturalia, sed data beneplacito & institutione Diuina. Osten-
itur; quia res nulla ex naturali creatione habere potest vllam
upernaturalis gratiæ, aut gloriæ, aut redemptionis nostræ si-
nificationem: eratq; propterea post creationẽ in rerũ naturis
ıstituenda diuinitus. Tertia conclusio: Sacramenta sunt si- 3.
na nõ indifferenter & sine discrimine in quibuslibet creatu-
is posita, sed in ijs duntaxat quę similitudinẽ & proportionem
aturalẽ ad id, quod significandũ erat, præ se ferrent. Quod sic

ostenditur: quia Deus illud Sacramentum, quod pastum animæ significat, non constituit in ligno, aut in lapide, aut in aqua, sed in rebus ijs quibus corpus pascitur, vt in pane ac vino. Rursum, non posuit signum ablutionis animæ & purgationis peccatorum in pane, aut vino, aut oleo, sed in aqua: vnde ex purgatione corporis facilè caperetur per similitudinem illa mundatio quæ in animis hominum per Dei gratiam efficitur. Hinc pulcherrimè dixit Augustinus Epist. 119. ad Ianuarium: Ad rem sacratè significandam, *similitudines aptas* religiosissima deuotione suscipimus: ad sermonem quidem, multipliciter; ad celebrationem verò Sacramentorum, iam Christiana libertate, parcissimè, sicut in aqua, in frumento, in vino, in oleo. Et quod ipse D. Paulus Rom. 6. dicit: *Per Baptismum complantati facti sumus similitudini mortis eius*, nónne hoc ipsum satis ostendit; signum Sacramentale non institui nisi in his rebus, vbi quædã similitudo cernitur? Idemque habet D. Petrus Epist. 1. cap. 3. De eodem Baptismo: *Et vos nunc similis formæ saluos facit Baptismo.* Sed omnium clarissimè D. Augustinus Epist. 23. Ad Bonifacium: *Si Sacramenta* (inquit) *non haberent similitudinem earum rerum quarum sunt Sacramenta, Sacramenta omnino non essent.*

Hic si causam quæras, cur voluerit Deus hæc augusta signa potiùs in rebus similis generis constituere, quàm in his vbi nulla cerneretur proportio vel similitudo, hæc iustissima causa reddi potest: quia voluit hoc maximè modo sensus humanos è rebus terrenis ad celestia & supernaturalia per creaturas suas eleuari; quandoquidem eam fecerat rationem intelligentiæ nostræ, itaque naturam nostram comparauerat, vt spiritualia non nisi per similitudines corporeas perspiciamus. Vnde & D. Paulus Rom. 1 De naturali doctrina dixit, *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, conspici*: & D. Chrysostomus Hom. 83. in Matt. de Sacramentis similiter: *Si tu incorporeus esses, nuda & incorporea Deus tradidisset tibi. Quoniam verò corpori huic coniuncta est anima, in sensibilibus intelligibilia tibi tradi voluit.*

Eadem-

Eademque causa est, cur oporteat statuere Sacramentum esse signum etiam visibile seu sensibile, vt de Consecratione distinc. 2. cap. *Sacrificium*, ex D. Augustini autoritate notatum est; Vbi Sacramentum non solùm signum visibile, sed etiam formam visibilem appellat. Neque enim potest quid homini ad significandum proponi, nisi in rebus sensibilibus. Idcirco D. Dionysius Ecclesiast. Hierarch. ca. 1. tradens duas esse Hierarchias, spiritualem Angelorum, & corporalem hominum, his proponi ait signa & symbola sensibilia, cęlestibus verò, spiritualia. Et certè manifesta eius rei ratio hæc est: quia homini nihil potest significare nisi sensibile. Quia enim ex corpore & anima constat, quod videri non potest, illi significare non potest. Quare falluntur qui putant, Sacramenta posse constitui in internis animę cogitationibus, & hoc per Dei iustam prouidentiam. Fuerunt enim qui putarent, sensibile seu visibile signum non esse in ratione Sacramenti, quia existimauerunt, internam contritionem posse esse materiam Sacramēti sine vlla eius expressione per externa signa. Sed eo quod diximus, refelluntur: Sacramentum ad significandum institutum esse: significationem autem homini non esse vtilem, aut nec esse quidem, nisi in rebus apparentibus. Vnde sequitur, nihil posse constitui vel in materia Sacramentorum, vel in formis, quod non significet humanis sensibus, vt inde repręsentari iterum aliquid menti possit.

Ex his quę hactenus diximus, illa habentur explorata, quòd Sacramentum primùm sit in genere signi; tum, in genere rerum significantium; deinde, rerum significantium ex institutione diuina; quartò, significantium per similitudinem signi ad signatum; vltimò, quòd semper sensibile signum esse oporteat. Quibus declaratis, ad rationem generis nihil potest addi.

Perpendatur nunc interim, quantum sit operępretium hoc cognouisse, quòd Sacramentum in genere signi sit. Ex eo certè vno facilè confutantur omnia argumenta, quæ ab hęreticis contra pręsentiam Corporis Christi in venerabili Sacramēto,

ex mentione signi arripiuntur. Item illa, quibus ob eandem causam conantur probare, Sacramenta non continere gratiam, aut non efficaciter operari salutem. Non enim Sancti Patres, cùm mentionem signi aut significãdi faciunt; præsentiam veritatis, aut operationem salutis negatam aut sublatam esse volunt. Vt cùm appellant Sacramentum Eucharistiæ signum, corpus Christi figuram, symbolum, notam: nihil aliud volunt, quàm ibi esse Christum per modum Sacramẽti; cui vt signum sit, sicuti speciei genus, conuenit. Et propterea multum iuuat didicisse, omne Sacramentum esse propriè signum, & hoc nihil quamcunque veritatem aut gratiam remorari. Ex quo illud quoque percipitur, quòd fallantur, qui Sacramentum in genere ritus vel cæremoniæ ponunt. sic enim hæretici confessionis Augustanæ. Signum (inquam) genus Sacramenti est, vt copiosè perspicueque docui. Ritus verò, ceremonia, stata solemnitas, est modus in actione, & non substantia in aliquo Sacramento. Nec si in substantia Sacramenti esset, esse genus proximum vllo modo posset. Sed nec ij rectè definiunt, qui, quoad rationem generis, dicunt Sacramentum esse rem sensibilem aut elementum sensibile. Hæc enim definitio materialis est, & formæ rationem non explicat; quare nec etiam Sacramenti. Formalem verò rationem Sacramenti indicamus, cùm dicimus in prædicamento Relationis & proximo in genere signi esse. Vnde etiam malè definiunt ij postremò, qui in genere actionis aut passionis ponunt; quia vident multa Sacramenta actione & passione perfici, vt ablutione, vnctione, impositione manuum. Errant isti, quòd sumant pro Sacramento quod non est Sacramentum. Nam ablutio est naturalis actio hominis, item inunctio, item pastus, & huiusmodi. Neque hinc Sacramenta dicuntur, sed ob significationem, quia scilicet per ablutionem aliquid significatur. Quare certum conclusúmque sit, signum esse genus Sacramenti.

Quum

Quum Sacramentum signum esse dicitur, totum illud externum materiale, quod est in Sacramento, intelligitur. cuius forma seu differentia in significando ponitur.

CAP. IIII.

Hic autem, ne variæ hominum Philosophorum nos argutiæ remorentur, & vt altè iaciamus fundamenta futuræ institutionis tam in Religione Christiana necessariæ; antequam veniamus ad explicationem differentiæ quæ veram rationem constituat Sacramenti, oportet quædam nos subtiliter accurateq; discernere. Primùm, cum in Sacramento (quod signum esse iam diximus) multa inueniantur; nempe elementum externum, & verba externa, & superaddita significatio: quæritur, in qua parte rei externæ consistat ista significatio, vtrum in elemēto, an in verbis? Respondetur, quòd signum vel significatio Sacramentalis constituitur absolutè & cōpletè in vtroq;, id est, tam in materia externa, quàm in adiunctis verbis. Vt, in Baptismo est elementū aquæ, ad quod accedunt verba, *Baptizo te in nomine, &c.* Significatio nunc, quæ propria vis est Sacramēti, nō est tantū in aqua, sed etiā in verbis. Vbi notandū etiā est, quod licet verba sint subiectum significationis, sicut & elementū: tamen nō significant hîc necessariò vt voces, sed vt res: id est, verba præscripta Sacramentorū non habēt naturaliter ex proprietate verborū, vt repręsentēt gratiā, aut remissionem peccatorū per Christū: verba, inquā, pluriū Sacramentorū ex cōmuni vsu loquēdi sanctificationem hominis interiorē nō significant; vt in Matrimonio, *Ego te accipio in meam*: in Eucharistia, *Hoc est corpus meum*: in Ordinibus sacris, *Accipe potestatem offerendi, &c.* Licet hæc proximiorē aliquem effectū suorū Sacramentorū cōmuni significatione denotent. sed sicut elemēto, ita & ipsis verbis supernaturalis represētatio eius gratię quæ significatur, attribuitur. Ex quo cōstat, ipsam totā externā Sacramēti materiā, siue verba spectes, siue elemēta, significare nō vt voces ex humana institutione, sed vt res diuinitus ad repręsentandū aliquid, vltra vocū vulgarē sensum, assūptas. Ergo hic ma-

ceſſe eſt vt definiatur per alteram ſui & principaliorem, id eſt, formalem partem. vt, domum rectè definiueris, ſi illius formam dixeris & variam partium conſtructionem conſurgenem in hoc genus ædificij quod cernimus; licet neque lignum omplectaris, neque lapidem, neque cementum, &c. Eſt enim ropria definitio rerum aggregatarum illa demum, quæ eaum formas exprimit ac demonſtrat. Sic igitur Sacramentum efiniri à nobis debet neque ſecundum elementa externa, neue ſecundum verba, ſed propriè ſecundum rationem ſignifiandi, quæ illius ratio formalis exiſtit.

Adiectâ generi differentiâ, integra Sacramenti definitio redditur iſta: Signum rei ſacræ. contra quam tamen multa obiiciuntur.

CAP. V.

HIs ita ſtatutis, accedamus paulò propiùs ad eius differentiæ quam quærimus explicationem. Plerique autem formalem rationem differentiamque Sacramenti *in ſiificatione rei ſacræ* ſtatuerunt. definiunt enim Sacramentum *num rei ſacræ*. Idque iudicio noſtro rectiſſimè. Sunt tamen uiſſimi Authores, qui breuitate huius differentiæ & obſcuate permoti, non dubitarunt affirmare, hanc non eſſe genuin rationem aut definitionem Sacramenti, ſed nominis tann explicationem. Atque acuti homines ad id ſentiendum ltis magniſque argumentis videntur inducti. Primùm, quia maduerterunt, multa eſſe quę rem ſacram ſignificent, quæ nen Sacramenta non ſint. Omnes enim creaturę Dei ſunt erta ſigna omnipotentiæ, prouidentiæ, bonitatis diuinæ, te A poſtolo ad Rom. 1. vbi docet Inuiſibilia Dei, id eſt, ſemernam eius virtutem atque diuinitatem ex viſibilibus creaarum ſignis poſſe perſpici. Verùm hoc non magnam vim itati adfert: quia hæc quidem ſigna ſunt, ſed non inſtituta. nia enim creata effectaque, naturaliter, & non ex ſuperita ſignificatione, reprę ſentant cauſas primarias effectio-

 nis &

nis & creationis suæ. Nos autem posuimus Sacramentum in his signis, quæ data sunt impositaque diuinitus, & non in naturalibus, siue ex creatione significantibus.

Sed grauiùs premitur hæc veritas à signis quibusdam etiam diuinitus institutis ad repræsentandas res sacras in Paradiso. Vbi erectum est à Deo *lignum vitæ*, vt esset Sacramentum & signum sapientiæ & vitæ quæ est in Christo Iesu: vt testatur D. Augustin 2. de peccatorum merit. & remiss. cap. 21. cùm tamen certum esse videatur, Sacramẽta in illo statu Innocentiæ nulla fuisse. Et grauiùs adhuc nos illud vrget, quòd D. Paulus ad Ephes. 5. manifestè statuat mysteriũ & significationem sacratissimæ rei in *Matrimonio primorum Parentum* in eodem Innocentiæ statu, cùm tamen non videatur ante peccatum institutum aliquod Sacramentum. Ex quibus sequitur, significationem rei sacræ non concludere veram rationem & formalem Sacramenti.

Pugnari etiam hoc loco contra eandem definitionem potest grauissimis argumentis desumptis ex varijs rebus statutis ad significationem etiam post peccatum. Vt Numer. 21. *Erectus æneus serpens* ad sacratissimæ Passionis Domini nostri figuram. Deinde & *Manna* pluens de cœlo in deserto explicatur Ioan. 6. à Christo Seruatore nostro significare illustrem cibationem spiritus nostri per vitam quæ est in ipso. *Ego* (inquit) *sum panis viuus qui de cœlo descendi, &c.* Rursus *transitus maris rubri* & *aqua de petra* habent quoque illustrem significationem, dum teste D. Paulo Baptismum nostrum apertè repræsentant. 1. Cor. 10. *Omnes in mari baptizati sunt & in nube. & omnes eandem escam spiritualem comederunt, & eundem spiritualem potum biberunt Bibebant autem de consequenti eos petra. Petra autem erat Christus.* Quid hoc loco referam varia & illustria signa *in sacrificijs veteris Testamenti* constituta? Quæ certè & ipsa, vt *omnia* teste D. Paulo, planè *in figura contingebant illis*; suntque vmbra futurorum, *Corpus autem Christi*, id est, significatio earum rerum omnium completa est in Christo.

1 Cor. 10. Col. 2.

Et præ-

Et prçter ista, quæ ex veteri Lege à nobis repetita sunt, exi-
int adhuc multæ Christi & Ecclesiæ actiones, & signa san-
issimæ Crucis Dominicæ, & imagines Sanctorum, & varia
eligionis exercitia, & cultus sacri, in quibus aperta constitui-
r significatio rerum sacrarum. Sicut illa verba Saluatoris cō-
nantis peccata Magdalenæ, *Remittuntur tibi peccata*, habent Luc. 7.
ertam significationem remissionis peccatorū: & tamen om-
s Sancti obseruant, Christum non remisisse peccata per Sa-
amēta, sed per potestatē excellentię. Item *Columba* in Christi Mat. 3.
pite, & *linguæ igneæ* in Apostolis apertè reprçsentant rem sa- Act. 2.
ctissimā, id est, Spiritū sanctū: cùm tamē nemo Theologorū
tet, hçc esse in Sacramētis numerāda. Maximeq; omniū, vi-
tur habere propriā rationem Sacramēti, illustris ceremonia
clesiæ & antiquissima, sita in *aqua consecrata*: de qua legimus
Consecrat. Distinct. 3. cap. Aquā (quod desumptum est ex
istola prima Decret. Alexādri in. 1. tom. cōcil.) in hæc verba:
*ua sale conspersa, & diuinis precibus cōsecrata, populos sanctificat,
uinatos curat & mundat, sanitatem animæ & corporis præstat.*
ıç certè efficacia nisi in Sacramentis esse videri non posset.
Atq; difficultas hçc augetur magis ex eo, quòd cùm certum
fuisse multa Sacramēta in veteri Lege, quç tamen illa sint,
ex hac definitione à quoquā hactenus cerni potuit, cū præ-
Sacramentū Circumcisionis, vix adhuc assensum sit, omniū re-
ıarū ceremoniarū vllam habere verā rationem Sacramēti;
uoq; Thomç multis modis à doctissimis Theologis resista-
, in eo quod asserit, *Agnū Paschalē* esse Sacramētum. Nihilo-
nus in tāta obscuritate Concilium Florent. planè decreuit,
juot fuisse in veteri Lege propriè dicta Sacramenta. Et D.
gustinus passim asserit, multò plura fuisse Sacramenta in
eri Lege, quàm in noua. maximè, de vera Religione cap.
Epist. 119. & 3. doctr. Christianæ cap. 9. & contra Faust.
nic. lib. 19. cap. 13. Et omnium pulcherrimè in Comment.
er Psalmum 73. In quibus locis omnibus cùm apertè as-
at, plura esse Sacramenta in veteri Lege quàm in noua;

certè mirari licet, quòd illa acutissimus vir nunquam annotarit, neque à quoquam ferè Theologorum sint expressa. Nam certè maximum adiumentum foret ad totam Sacramenti naturam indagādam, si certò sciremus, ex omnibus Ceremonijs, Sacrificijs, cultibus, obseruantijs Iudaicis, quæ propriè dicerentur Sacramenta: præsertim cùm Hugo de S. Victore Parte 1. de Sacramentis Cap. 3. commemorans omnes cultus veteris Legis, triplices tantùm faciat, Oblationes, Sacrificia, & Decimas.

Re sacrâ explicatâ, defenditur superior definitio, & simul diluuntur obiecta.

CAP. VI.

AD difficultates istas expediendas, & ad veram ac genuinam rationem Sacramenti intelligendam, atque ad veri nominis Sacramenta tam veteris, quàm nouę Legis constituenda, sic imprimis statuo, Sacramentum rectè definiri & plenè per hoc quod dicitur esse *signum rei sacræ*. non ita tamē, vt *rem sacram* accipiamus pro quacunque re diuina, aut sancta, aut religiosa, aut occulta, aut etiam Deo dicata: quandoquidem dubium esse non possit, quin multa sint in Religione nostra, & Iudæorum, & antiquorum in lege Naturæ Patrum, quę ita inter Sacramenta connumerarentur; sicut antè commemorauimus de Imaginibus, de sacrificijs, de Ceremonijs, omnibusque veteris Legis Obseruantijs, quas D. Paulus 1. Cor. 10. Dicit *in figura contigisse illis*, & Col. 2. *quæ sunt vmbra futurorum, Corpus autem Christi.* Cùm tamen hæc omnia, licet res sacras sanctissimasq; reprę sentent, tamen Sacramenta omnino nunquam dicantur. Sed per *rem sacram* intelligere oportet rem sanctificantem & sacrantem homines. Quod ostendit D. Thomas Artic. 2. Quæst. 60. 3. part. sumpto argumento ex natura signi: quod ita semper significat, vt in ordine ad hominem significare dicatur. Ergo cùm diximus, Sacramentū esse *signum rei sacræ*, sic accepimus, vt significetur res sacra in ordine ad homi-

ominem,cuius gratiâ signum instituitur. Neque enim signi-
cat Sacramentum rem sacram vt in se est,sed ita vt ad sanctifi-
tionem ipsius hominis pertinet. Itaque *mundi creatura* Om-
ipotentiam Dei, Diuinitatem eius, misericordiam eius re-
æsentant illæ quidem,sicut in Psal.18.dicimus *Cælos enarrare*
oriam Dei: sed non vt ad nos refertur illa Dei virtus,verùm vt
seipsa in Deo est existens. Sic sacrificia omnia,& omnia ge-
Iudæorum erant quidem signa aut Sacramētorum nostro-
m,vt *transitus maris rubri*, Baptismi; *Manna*, Eucharistiæ:aut
iam ipsius mortis Dominicæ, vt *Aeneus serpens*, *sacrificium*
elis,*Caini*, & similia. Sed hæc ita significabant res sacras istas
in se consistentes,& non vt ad nostram sanctificationem ap-
catas. Sic *imagines* Christi & Sanctorum, sic *sacra testamenti*
rba,*atque Historiæ sacræ omnes* significāt suo modo res sacras,
in seipsis sacræ sunt, non autem vt actu applicatas hominis
ctis vsibus. Res verò sacra, de qua nos agimus, in ordine ad
minem dicitur, applicaturque ad eius internam sanctifica-
nem. Igitur Sacramentum debet intelligi *signum rei sacræ*
ctificantis hominem.Vbi tamen non hoc dicimus,Sacramen-
n hominis sanctificationem per se operari, vel ex se tāquam
trumentali causa efficere: Illud enim proprium est Sacra-
ntorum nouæ Legis. Sed hoc dicimus, significare Sacra-
ntum eam rem, quæ sanctificat hominem: vt referatur san-
icatio ad rem sacram significatam,nō autem ad Sacramen-
n. Quin & illud signanter dicimus, rem sacram sanctifican-
n *hominem*, vt excludamus à Sacramentis solemnes Tem-
rum, Vasorum,Altarium, aliarumque *rerum dedicationes &*
secrationes tam in veteri,quàm in noua Lege vsurpatas. Nā
næc passionis Dominicæ significationem habent, vimque
s repræsentant, sed non eam vt immediatè applicatam hu-
nis vsibus; licet ad hominum sanctificationem posteriùs
dant & à longè respiciant.

Ampliùs autem adhuc cogitandum hîc est eiusmodi *rei sa-*
signum, quod repræsentet sacram rem nō solùm vt causam

generalem sanctificationis nostrę, sed quatenus sanctificat hominem in ipso vsu & acceptione Sacramenti. hoc est, Sacramentum est quod significat sanctificationem suscipiētis, ita vt ad motum vel vsum eius ceremonię ille, qui suscipit, sanctificetur. Debet enim tale esse signum, vt admoueatur alicui, & ad illam actionem seu motum externum significet sanctificationem internam suscipientis. Baptismus (exempli gratia) sic est signum sacrę rei, vt admotus homini, vel fact⁹ circa hominem, repręsentet in illo motu, ipso momento eodem, ablui hominē spiritualiter à peccato. Non ergo satis est ad naturam Sacramenti, vt significet mortem Christi, aut sepulturam Christi, aut Resurrectionem Christi, tanquam causas generales & meritorias iustificationis nostrę: nisi significētur vt applicatę, dum vsus externi signi exercetur. Alioquin omnia vetera sacrificia, quæ prænunciabāt nostram sanctificationem per mortē Christi, essent Sacramenta: quod est contra allegatum Concil. Florent. distinguens inter Sacramenta, Sacra, & Sacrificia: quemadmodum & D. Thomas 1.2. Quęst. 101. art. 5. distinguit Sacramenta, Sacra, Sacrificia, & Obseruationes. Ex quo etiam nos postea docebimus, illa sola sacrificia rectè dici Sacramēta, quæ ad peccati purgationem pertinebant: Reliqua verò, quę ad honorem Dei, memoriam beneficiorū, gratiarū actionē instituebantur, nō rectè dici Sacramēta. Cuiusmodi fuerūt sacrificium Melchisedec, omnia pacifica, Abelis item, & fratris, & similia. Omnes enim occisiones animalium repręsentabant Christi necem propter homines; cùm tamen ex eo non sequatur, illa fuisse Sacramēta. Quapropter non satis plenè probari potest, *Agnum Paschalem* esse Sacramentū, argumēto D. Thomę. Art. 2. Quęst. 60. quia scilicet significabat immolationem Christi qua sanctificati sumus. Nos enim (saluo meliori iudicio) asserimus, non esse in ratione Sacramēti illud situm, neq; satis esse, vt significet gratiam communem in generali causa Passionis Dominicę cōstitutam; sed quæ actu ad particulares hominum sanctificationes in Sacramentis ipsis applicetur.

par. 3.

Ad

Ad quam rem planiùs ostendendam, obseruamus triplicem
ctitatem posse significari in Christo. Primam quæ ipsum in
pso sanctificet. Sic *Columba* in capite eius apparens, significa-
t eam sanctitatem & gratiam Spiritus Sancti, quę erat in ipsa
rsona Christi. Secundam, quæ generalis causa & meritoria
manæ sanctificationis existat. In quo genere omnia Sacra-
nta vetera & noua repræsentant Passionem, Resurrectio-
m, Glorificationem Christi, ex quibus nos generaliter iu-
icamur. Tertiam denique, quæ immediatè & formaliter ho-
nem vnumquemq; sanctificet: quę dicitur propterea à no-
s *Gratia gratum faciens*. Igitur Sacramenta propriè non di-
ntur, neq; propter primam sanctificationem, quæ in Chri-
personа erat; neque propter secundam, quæ respicit qui-
n personas hominum, verùm generaliter: sed propriè sita
definitio Sacramenti in eo quòd significet gratiam actu
ctificantem hominem. Adeo vt ipsa Sacramenta, cùm mul-
modis rem sacram significent, tamen non propter omnia
a quæ repræsentant, Sacramenta dicantur, sed solùm pro-
r gratiam significatam, per quam tanquam formalem cau-
immediatè & proximè homines iustificantur & sanctifi-
tur. Vt Eucharistiæ Sacramentum, cùm contineat mor-
Dominicæ apertam commemorationem & significatio-
, tamen non propter illam, sed propter eam gratiam,
m communicat & significat suscipienti, dicitur Sacra-
ntum.

Io. 1.

Vide li. 1. de Euchar. cap. 3. diff. 5. & 6.

Quòd per Rem sacram in definitione Sacramenti intelligatur Gratia gratum faciens, multipliciter confirmatur.

CAP. VII.

X hoc ergo sequitur, propriè per *rem sacram* in defini-
tione Sacramenti intelligi gratiam, qua homo sancti-
ficatur formaliter vel in susceptione, sicut in Sacramen-
eteris Legis; vel etiam per susceptionem, sicut in Sa-
nentis nouæ legis. Atque huic consentit illa Augustini
definitio

definitio altera Sacramenti,qua (de Consecrat.distinct.2.cap. Sacrificium) Sacramentum definitur esse *visibilis forma inuisibilis gratia.* Vbi apertè gratia correspondet tanquam proprium correlatiuum formæ visibili & signo Sacramēti externo. Consentit & illud D. Augustini Epist.23. ad Bonifacium,& 119. ad Ianuar. Vbi multis verbis explicat, Sacramentis inesse externam similitudinem rei sacræ internè abluentis & purgantis hominem. Sed hoc ipsum, propter diuersum sentientes,argumentis grauioribus confirmatur.

Primùm ex institutione Sacramentorum: quia Sacramenta omnia instituta sunt post lapsum hominis ad eius medelam & sanctificationem. sed hoc non fit nisi per gratiam. Proinde debēt significare gratiā gratum facientē vel sanctificantem internè animas nostras. Dicimus *internè*, vt etiā atq; etiam innuamus,non esse satis,repræsentare mortem Christi,quę non fit nostra, neque medetur nobis, nisi per gratiam internè sanctificantem. Secundò probatur ex institutione & naturâ nostrorum Sacramentorum:quę idem instrumentaliter efficiunt quod significant. Sed omnes fatentur, quòd efficiant inprimis gratiam sanctificantem internè suscipientes. Ergo quatenus Sacramenta sunt,hoc idem propriè significant. Tertiò:vetera Sacramenta non differunt à nostris in hoc quòd significant, sed in hoc quòd non efficiunt quod significant; proinde si nostra significant gratiam sanctificantem, etiam vetera, & quæcunque alia dicuntur Sacramenta, debent significare sanctificationem suscipientis. Quartò probatur exemplo Eucharistiæ: cuius illustris significatio à Christo ostēditur propriè pertinere ad gratiam sanctificantem, ad vitam spiritualem, ad vnionem & copulationem cum Christo & corpore eius quod est Ecclesia. Ita enim dicit Saluator: *Qui manducat carnem meā & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ecce gratiam. Et rursum: *Qui manducat me, viuet propter me.* Vide gratiam sanctificantem. Eandem vnionem & gratiam docet D. Paulus 1.Cor.10. dicens: *Vnus pànis, vnum corpus multi sumus, omnes, qui de vno*

Io. 6.

vno pane participamus. Idem 6. ad Rom. similia de Baptismo
dit. Et 4. ad Rom. de Circumcisione dicit, Abraham patrē
strum accepisse *signum Circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei.*
quo sequitur, in vsu illius Sacramēti institutum esse sancti-
tionis internæ & iustificationis signum. Quintò probatur
eo, quòd omnia Sacramenta ordinentur *fieri* circa hominē;
quatenus Sacramenta sunt, vel in vsu & actione sint, vel ad
m & sumptionem præparentur. Vt in Manducatione, Lo-
ne, Potatione, Inunctione, Sectione. Et per cōsequens de-
nt significare illud quòd maximè in actione repræsentant.
actio externa in omnibus Sacramentis, quæ fit circa cor-
, non habet genuinam expressionem vel proportionem ni-
l gratiam internè sanctificantem animam.

Hoc ergo sit his rationibus constitutum, *rem sacram* in defi-
one Sacramenti accipi pro gratia animas nostras sanctifi-
te aut purgante à peccatis. Hæc enim proprio Theologo-
ı vsu per Antonomasiam *res sacra* dicitur. Nam ad eam de-
m, sanctificationemque quæ ex ea contingit, vniuersa quæ
Ecclesia consecrantur, vt Altaria, Vestes, Sacerdotes, atque
qua quæ *sacra* dicuntur, ordinantur omnia. Et propterea il-
uina actio quæ fit in Sacramentorū ministratione, & præ-
ıè in confectione Eucharistiæ, dicitur *res sacra*. Hinc apud
inos tam ethnicos, quàm Christianos, dicitur *rem sacram*
re, hoc est, solemnem ceremoniā ministrare. Vnde & Dio-
us Cap. 1. Ecclesiast. Hierarch. appellat Sacerdotes *sacros*,
st, per ministerium sacrantes animas.

Non solùm noua, sed etiam vetera Sacramenta significasse gratiam præsentem, vt signa practica; & non tantùm futuram aut præteritam, vt prognostica & memoratiua.

CAP. VIII.

Sed huic sententiæ nostræ, qua asserimus, gratiam sancti-
ficantem suscipientis significari in Sacramento, aduersa-
tur illud quòd D. Thomas & plurimi alij putarunt, Sacra-
menta

p. 3. q. 61. ar. 3. ad 1um.

E

menta veteris Legis non significare gratiam, nisi per modum causæ finalis; vtpote quæ non significarent gratiam in ipsa sumptione Sacramentorum, sed sanctificationem postea per Christum & eius mortem conferendam. Nos verò cõtrarium tenemus propter præcedentia argumenta. & imprimis, quia Circumcisio habuit apertum signaculum iustitiæ fidei, atque peccatorum remissionem significauit in ipso suscipiente eodem momento temporis quo fiebat sectio. Deinde etiam, quia multa erant Sacramenta pro peccato in veteri Lege, pœnisque peccati purgandis, quæ itidem significabant gratiã iam tum collatam, & sanctificationem in ipsa susceptione Sacramentorum. Tum & ob hanc causam, ne omnia sacrificia & sacra veteris Legis pro Sacramentis habeantur; vt certè haberi ea necesse est, si repræsentare gratiã per modum causæ finalis, satis esset ad significationem Sacramentalem.

Nos ergo, vt hæc res pleniùs ostendatur, ponimus hanc cõclusionem: Omnia tam vetera, quàm noua Sacramẽta, significant sanctificationem suscipientiũ; sed differenter. Differentia autẽ in significatione est prȩsertim duplex. Primùm, quòd nostra Sacramẽta immediatè, & principaliter, & ex se significant sanctificationẽ animæ internã quæ fit per gratiã. At Sacramẽta vetera primariè, ex se, & institutione diuina significabãt, & fortasse etiã efficiebant, mundiciem quandã legalem, & tollebant irregularitatẽ atq; immundiciem quȩ impediebat sȩpenumero fideles homines à Sacramentis & societate Sanctorũ. Ea autẽ immundicies fiebat per partũ, per tactũ mortui, & alijs modis. Quȩ immũdiciæ appellabantur etiã peccata, sed legalia. à quibus purgabantur varijs destinatis sacrificijs & Sacramẽtis: quæ tamẽ sacrificia, nõ propter hoc propriè erant Sacramenta, nisi præter hanc legalem, & per hãc legalem purgationẽ significarent internã quoq; animarũ sanctificationem. Altera differẽtia est, quia illa Sacramẽta antiqua etiã tum cùm prȩter purgationem legalem sanctificationẽ internã suscipientiũ significarẽt, nõ id tamen ex se, sed ex ratione cuiusdã adiuncti, id est, quatenus co-

s copulabātur fidei Meſſiæ & charitati viuę. At noſtra ex ſe,
inſtitutione ſua, nō includendo fidem & charitatem vt cau-
actiuas, internā ſanctificationem per gratiam formaliter iu-
icantem ſignificant. Commune igitur eſt vtriſq; Sacramen-
vt gratiā & ſanctificationē vtentis ſignificent; licet noua ex
vetera ex adiuncto. vt Baptiſmus eſt per ſe repræſentans no-
m vitam & iuſtificationem: Circumciſio autem eiuſdem rei
num eſt, ſed ex adiuncta fide. Hinc ergo ſequitur, omnia Sa-
menta, tam vetera quàm noua, eſſe ſigna non prognoſtica
tùm futuræ rei ſacræ, aut memoratiua preteritę; ſed quate-
Sacramenta ſunt, eſſe ſigna practica & operatiua: nō quód
nia efficiant gratiam (nam ſic nulla eſſent præter noua) ſed
a ſignificāt gratiam vel Chriſti mortem vt in actu ſacrandi.
Neq; verò his quicquam aduerſatur, quod Auguſtin. lib. 2.
tra literas Petil. ca. 37. dicit, vetus Teſtamentum habuiſſe
ramenta prę nunciantia rem futuram, hoc eſt, Chriſtū ven-
um: Nouum autem Teſtamentum habere Sacramēta quæ
uncient Chriſtum antea exhibitū. Multo minùs, quod ha-
D. Thomas Artic. 3. Quęſt. 60. part. 3. ex apertis Scripturis
cōſenſu omniū Theologorum, Sacramenta ſignificare tria
ximè: primò, Paſſionē Chriſti, vt cauſam ſanctificationis no-
. Secūdò, formā noſtrę ſanctificationis, quę cōſiſtit in gratia
irtutibus. Tertiò, vltimū finem ſanctificationis noſtrę, quę
vita æterna. vt idem Sacramentum ſit commemoratiuum
teriti, demonſtratiuum præſentis ſanctificationis, pro-
oſticum gloriæ futuræ. Sicut in Baptiſmo docet Paulus
m. 6. ita egregiè rem proſequens: *Quicunque in Chriſto
u baptizati ſumus, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti
m ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem.* Ecce memoriam
ortis. Deinde *vt ſicut Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam
tris, ita & nos ambulemus in nouitate vitæ.* Ecce gratiam
æſentem. Tum addit: *Si enim complantati facti ſumus ſimi-
udini mortis eius, ſimul & Reſurrectionis erimus.* Ecce glo-
m. Lege in eundem ſenſum Damaſc. 4. orthod. fid. 4.

E 2 & Dio-

& Dionyſ. de Eccleſiaſt. Hierarch. 4. Idem de ſacra Euchariſtia habet Ioannes cap. 6. & Paulus 1. Cor. 10. Hæc, inquam, nihil obſtant his quæ diximus. Fatemur enim cum Scholaſticis, hæc quidem tria Sacramentis ſignificari: ſed principaliter gratiam & ſanctificationem ſuſcipiētis; Reliqua verò duo minùs principaliter, vel ſecundariò, & in ordine ad hoc vnum. Quia enim in ſanctificatione noſtra ſunt tria, ſcilicet cauſa efficiens ſanctificationis, id eſt, mors & Paſſio Chriſti; & cauſa formalis, id eſt, gratia ſanctificans; & finis vtriuſque, id eſt, gloria: propter hoc, dum Sacramētum ſignificat ſanctificationem per gratiam, hæc omnia tria ſimul coniunctimque ſignificat. Porrò autem aſſeueramus, non ex eo quòd mortem Domini vel futuram prænuncient, vel præteritam commemorent, aut gloriam præfigurent, eſſe propriè Sacramenta; ſed ſolùm propter demonſtrationem præſentis gratiæ. Propter illas verò alias ſignificationes, cultus potiùs & ceremoniæ dici poſſunt, ad Dei gloriam, agnitionem beneficiorum, atque gratiarum actionem comparatæ & inſtitutæ. quę res ſemper eſt adiuncta Sacramentis.

Quæ fuerint in veteri Lege Sacramenta, ex prædicta definitione deducitur.

CAP. IX.

SED ex hac explicatione dubiū oriri poſſit de *Agno Paſchali*, qui cùm ad memoriam præteriti diuini beneficij fuerit inſtitutus, & ad præſignificandum non ſolùm nouum Sacramentum Euchariſtiæ futuræ, ſed etiam Paſſionem Dominicam, tam expreſſè, vt Paulus propter iſtam ſimilitudinem & expreſſam ſignificationem dicat, *Paſcha noſtrum immolatum eſſe Chriſtum.* 1. Cor. 5. videri meritò Sacramentum poſſet; niſi diceremus, requiri præterea in omni Sacramento, vt ſignificet præſentem gratiam ad vſum Sacramenti ſuſcepti; quæ in eſu Agni non apparet: nec ſatis eſſe, quòd Chriſti mortem, vt cauſam noſtræ ſanctificationis præfiguret; & multo minùs, quòd

nsitorium beneficium liberationis ab Aegypto reuocet ad
emoriam, aut etiam quòd Sacramentum Eucharistię signi-
cet. Nam sic *Manna* quoque esset Sacramētum, quippe cùm
idem Eucharistiam significauerit. Sic & *Transitus maris ru-*
Sacramentum esset, cùm nostrum Baptisma (teste Paulo
Cor.10.) præfigurauerit. Et diluuium Noë, quod D. Petrus
p.3. Epist. 1. comparat Baptismati item nostro. cùm tamen
tum sit, hæc Sacramenta non dici. & propterea consimili-
dubitari poterit, an esus Agni Paschalis plura non signifi-
itis, dici Sacramentum queat. S. Thomas quidem asserit. 1.2.
1ęst. 102. Artic. 3. & qui sequitur Thomā Dominicus Soto,
que plurimi. At alij magna ex parte negant, sicut idem Do-
nicus fatetur. Et certè, si Sacramentum sit, non id erit pro-
r rationem Thomæ, hoc est, quia sit figura repræsentatiua
rtis Christi per quam sanctificamur. Hoc enim non suffice-
am probauimus. Quoniamque Scriptura non apertè nar-
esse institutum ad significādum remissionem peccatorum
gratiam sanctificationis, quam propriè requiri diximus ad
ne Sacramentum; potest certè probabiliter negari, sicut &
atur à multis. Nos tamen his non obstantibus asserimus,
od fuerit Sacramentum. Est (inquam) valde probabile, quia
simile est, in illo fuisse institutam & positam significatio-
n spiritualis pastus & refectionis animarum suscipientium,
einde gratiæ vnionis fidelis populi inter se. Nam & in vna
no vt comederent, & cùm opus esset vt vicinos conuoca-
t, & vt incircumcisos excluderent, præceptum est. quæ om-
sunt vnitatis maxima signa, sicut docet D. August. vel au-
r (quisquis fuerit) libri 21. Sententiarum sent. 1. vbi diligen-
tractatur significatio Agni Paschalis instituti Exod. 12. Ne-
est necessarium, vt per sanctificationem Sacramentalem
gratiam, semper intelligamus illam integram iustificatio-
n primam, quæ in peccatorum remissione & renouatione
sistit. Nam eam gratiam nec omnia noua Sacramenta, nisi
accidens, sed sola Pœnitentia & Baptismus efficiunt; nec

omnia vetera significabant, sed solæ Hostiæ & sacrificia prò peccatis, quæ sine controuersia erant Sacramenta. sed satis est, si significent illud etiam complementum iustitiæ, quod homini post primã iustificationem in varijs Sacramentis tribuitur. Sicut in noua Lege Pœnitẽtia & Baptismus instituta sunt ad primã & nouã sanctificationẽ & purgationẽ spiritualem perficiendam; alia autem magis de se videntur instituta ad cõplementum sanctitatis, quàm ad sanctificationẽ de nouo præstandam, vt Eucharistia, Matrimonium, & Sacer Ordo. Non enim hęc primariè significant gratiã sanantem, sed perficientem. Sic etiã in veteri Lege, rectè tueri possumus, esum Agni Paschalis fuisse ad complementũ sanctitatis: quia nulli nisi mundi, & antea sanctificati per alia Sacramẽta in fide, poterant sine scelere ex illo manducare. Quę mundicia apertè demõstratur per immaculatũ Agnum, per succinctos renes, per panes azymos, per lactucas agrestes. Ad quæ omnia alludens Paulus 1. Cor. 5. exprimit puritatẽ Christiani hominis per *azymos sinceritatis*. Tale etiã Sacramentum fuisse in *Panibus propositionis* pro solis sacerdotibus institutũ, ex 1. Reg. 21. videmus: quorum comestio nõ significabat gratiã sanantem, remissionem peccatorum, aut primam iustificationem; sed eandem ex alijs Sacramentis & sacrificijs pręsupponebat, quia neminem nisi mundum Lex ad illorum esum admittebat. Atq; esum horum Panum fuisse Sacramentum, testatur D. Thomas loco proximè allegato.

Dicimus ergo, posse probabiliter defendi, quòd hæc & similia fuerint Sacramẽta propriè dicta, nõ propter aliquod beneficiũ præteritũ commemoratũ, aut futurũ præfiguratũ, sed propter demonstratã gratiã præsentem, aut ad initium, aut ad consummationẽ iustitiæ. Quanquã & hæc quæ diximus, & *Sacrificium Melchisedec* multò magis negari etiam possunt Sacramenta fuisse, quia hanc sanctitatẽ suscipientiũ apertis Scripturis nõ probantur significasse; cùm tantũ aut ad beneficiũ creationis protestãdum, aut ad rationẽ cultus, qui maximè cõsistit in cõmemoratione mortis Dominicæ, instituta sint. Sed de sacrificijs

cijs purgatorijs, purificatorijs, hoſtijs pro peccato, Sacer-
um Pontificumq; Conſecrationibus, Ordinationibus, &
ificijs his adiūctis, itemq; Luſtrationibus varijs, corporum
lutionibus in Lege pręſcriptis, raſuris pilorū, ſiue ad Leui-
& Ordinē ſacerdotalē duntaxat, ſiue ad plebem cōmuniter
inētibus: de his, inquā, omnibus & multis ſimilibus ſtatui-
, fuiſſe in veteri Lege propriè dicta Sacramēta. quod & D.
omas aſſerit 1.2. Quęſt. 102. Et hęc ſunt illa *tam multa Sacra-
ta*, quibus dicit Auguſtinus lib. de vera Religione Cap. 17.
ulū Iudaicū fuiſſe oneratū, antequā noſtra pauciora & ſa-
iora inſtituta ſunt. Nam pro vno quidē Baptiſmo noſtro
uerūt tātùm Circumciſionē, ad primā iuſtificationē remiſ-
emq; peccatorū, ſicut in Baptiſmo, ſignandam, vt teſtatur
a in 2. Lucę, & Auguſt. lib. 2. de nuptijs & concupiſc. cap. 2.
d & ipſe Paulus docet 1. Coloſſ. inquiens: *In quo & circūciſi
circūciſione Chriſti, conſepulti in Baptiſmo, &c.* Item pro Eu-
iſtia noſtra, aut nulla aut admodū pauca, vt eſus Panū pro-
tionis & Agni. Et pro ſacris Ordinibus noſtris, cōſecratio-
etiā & inunctionē ſacerdotū. & pro Matrimonio noſtro,
amentū planè nullum: quia coniugiū erat illo tempore ad
iū naturę comparatū, & nō ad gratiā ſignificandam. & pro
ema Vnctione, omnino nullū: quia hac nos in Lege gratię
odè vtimur ad immediatū ingreſſum in cœlū; quod olim
ficiū expectari non potuit. Multoq; minùs erat Sacramē-
aliquod noſtrę Confirmationis Sacramento correſpon-
, quę gerit ſignificationē perfectę gratię, ad quā perfectio-
Lex nō potuit adducere. Hæc igitur alijs Sacramētis no-
correſpōdentia, pauca erāt: Illa verò turba Sacramentorū
umeroſitas, de qua ſępè Auguſtinus, erat ſolummodo ſita
acramētis varijs remiſſionis & purgationis, noſtrę Pœnitē-
eſpōdentibus. Nam & frequētes Lotiones ad omnē actū,
imeras Purgationes, & Luſtrationes habebant; & plurima
ficia Propitiatoria pro peccato, quæ magna ex parte ſi-
erant & Sacramenta & ſacrificia.

Vetera Sacramēta reſpondentia noſtris.

Quòd

Quòd Sacramentum etiam ceremonia quædam sit: cum conclusione definitionis quæsita.

CAP. X.

QVIN & illud quoque necessarium est, vt Sacramẽtum omne sit cultus quidam, proindeque ceremoniâ aliquâ perficiatur & ritu; vt significet rem sacram per modum ritus atque actus Religionis. Hinc *Religio Phase*, & *cultus sempiternus Phase*, & *ceremonia Phase* Exod. 12. Ita de Sacramen to Ordinis Leuit. 7. *Hæc est Vnctio Aaron & filiorum eius in ceremonijs*. Debet ergo Sacramentum esse ceremonia significans. Quam rem Augustinus expressit meliùs lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 5. (vnde desumpta est definitio) quàm Magister, Gratianus, aut Thomas. Ille enim valde appositè dixit, *Sacramentum esse inuisibilis rei sacrum signum*, quod est, Religionis & cultus causa institutum. Et propterea lib. 2. con. ep. Parm ca. 13. dicit Baptismum & Ordinationem, vtrumq; esse Sacramentum quod *quadam consecratione homini detur*. Et Gregorius (sicut adducitur à Gratiano in Decret. causa 1. Quęst. 1. ca. Multi.) Dicit *Sacramentum esse in aliqua celebratione*, id est, peragi aliquorum rituum functione. Non autem hoc in loco ita interpretamur ritum, vt sit ille superinductus ritus & solemnis modus ministrandi quodlibet Sacramentum. Nam illud est rei accidens, & potest sine eo ritè aliquando perfici Sacramentum quodcunque. Est enim talis ceremonia Ecclesiastico loquẽdi more distincta & alia res à Sacramento, ponitúrque in alio genere, atque complectitur omnia solemnia sacra quæ in peragendis quibuscunq; Officijs Diuinis Ecclesiastica institutione, aut etiam consuetudine, sunt inducta. Sed hîc nunc cùm Sacramentum significare per modum ceremoniæ dicimus, intelligimus, in ipso modo significandi, qui in externo elemento constitutus est, sitam esse secundariò ceremonialem actionem, qua colitur Deus eodem actu & momento quo nos sanctificamur. Diciturque ritus vel ceremonia, siue solemniter fiat, siue non: quia semper in stata materia, & præscripta verborum formula, & certa

Ceremonia bipartita.

rta actione peragitur, siue priuatim, siue publicè mini-
etur.

In Sacramento ergo omni duo gerũtur: Vnum, dum signi-
at id quod Deus facit erga nos, id est, gratiam & sanctifica-
nem nostram. Secundum, dum rursus repræsentat quid nos
beamus Deo; & ibi est ceremonia, ritus, atque cultus. Sic er-
debet definiri Sacramentum, vt vtrumque definitio com-
ctatur, sed maximè primum, vnde propriè Sacramentum
itur. Proinde non tam plenè aut appositè definitur Sacra-
ntum per ritum, cultum aut ceremoniam, quàm per signũ;
uo signo deinde constituitur cultus Religionisq; ceremo-
Ex quibus omnibus tandem concludimus, hanc esse ex-
atam & apertam definitionem Sacramenti: *Sacramentum
gnum rei sacræ sanctificantis suscipientem, internè per modum
nonia.*

Definitio Sacramenti.

*Quòd secundum prædictam definitionem, nec Aqua benedicta,
aliaq; plurima, nec lotio pedum, nec verba Christi hæc, Remit-
tuntur tibi peccata tua, Sacramenta sint.*

CAP. XI.

HAc igitur definitione probè constituta, excluduntur à
natura Sacramenti (vt ostendimus) omnia vel in veteri,
vel in noua Lege siue commemoratiua, siue prognosti-
gna, in quibuscunque externis creaturis aut actionibus in-
a, vniuersa denique, quæ gratiam susceptores sanctifican-
haudquaquam repræsentarunt. Quam gratiam sanctifi-
em quia neq; *Matrimonium* vel ante peccatũ, vel postea,
n Lege Naturæ, siue in Lege Mosis, significabat; neq; sa-
ium aut *Abelis*, aut *Melchisedec*, aut aliud quodcunq; ad
rem Dei destinatum citra sanctificationem hominis; ne-
eneus serpens; neque *Manna*; neque *Aqua de petra*; neque
ecrationes quarumcunque creaturarum, quia circa homi
non fiebant; imò, ne ipsa quidem *Aqua benedicta* nostra,
blutionem peccatorum venialium tùm significet, tùm

(vt quidam volunt)etiam ex opere operato efficiat:propterea (inquam)nulla istorum sunt,aut esse potuerunt,vel apud Christianos,vel apud Iudæos,Sacramenta. licet quidã putent,hanc aquam lustralem,si fuisset in veteri Lege,habendam fuisse pro vero Sacramento.Ego autem ne ita sentiam,his prohibeor argumentis.primùm, quia in veteri Lege non potuit significare plus quàm in noua Lege præstat,id est, remissionem peccatorum venialium, aut amotionem spiritualium Potestatum malignarum. Sed istud nòn fuisset satis ad Sacramentum constituendum, quia vtrumque potest esse sine noua gratia sanctificante: ideoque potuit vtrumque significari sine repræsentatione nouæ gratiæ sanctificantis. Deinde, quia ratio Sacramẽti debet esse communis vtriusque Testamenti Sacramentis: ita vt si tum fuisset Sacramentum, nunc itidem foret, per hoc quòd propria ratio Sacramenti in communi, eidem competeret, licet gratiam non conferat. Tertiò, si dici Sacramentum in veteri Lege debuisset, nulla potuit esse talis potestas in homine, vt eam vnquam posset instituere: dum nec veterum Sacramentorum quisquam potuit esse institutor,nisi solus Deus. Aquam autem benedictam (si non Apostoli ipsi) Alexander à Petro quintus instituit.

Aqua benedicta an Sacramentum.

Vide infrà, cap. 17. & 49.

Hæc igitur omnia,per illam de *gratia & sanctificatione* particulam,excluduntur. Sed nunc videtur, etiam eâdem conditione admissa in omni Sacramento, tanquam necessariâ, restare nihilominus difficultas de *Lotione pedum Apostolicorum*, vbi & gratia humilitatis planè in signo exercetur, & (vt videtur) instituitur ex Christi verbo in elemẽto externo; cùm nõ solùm ipse lauerit, sed vt illi inuicem idem facerent, districtè præceperit, his verbis: *Si ego Dominus & Magister vester laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes.*

Lotio pedum an Sacramentum.

Io. 13.

Quòd si Hæreticorum definitionem probaremus, facilè difficultatem hanc expedire possemus. Ipsi enim addunt, *non ad tempus institutum, sed ad consummationem vsque seculi.* quod illi faciunt propter *extremam Vnctionem*, quã cupiunt de numero

Sacra-

Sacramentorũ esse sublatã:voluntq; illam Vnctionẽ à Christo Marci 6. mandatam, à Iacobo etiam luculentiùs commendatam cap.5. ad donum tantùm miraculorum pertinuisse in primis solummodò illis Religionis nostræ fundamentis. Sed inepte. Neq; enim est illud necessarium ad rationem Sacramenti eri,vt sit perpetuum: Cùm sic nec ipsa Circumcisio esset Sacramentum, neque in veteri Lege aliud vllum. Quo quid po- est dici absurdius? Et quanquam verum sit, Sacramenta omia nouæ Legis duratura vsque ad finem seculi, id tamen non t ex ratione Sacramenti,sed ex ratione status huius, atq; Le- s,sacerdotijq; æterni,quod mutationem cultus non sustinet, proinde nec Sacramentorum, quæ assumpta sunt in præcipuam partem cultus diuini, sicut priùs diximus. Igitur collo- re verbum *æternitatis* in definitione Sacramenti, friuolum absurdum est.

Mar.6. Luc.5.

Nec illud etiam dubitationi satisfacit,si dicamus, in hac pe- m lotione non esse verbum vllum, formamúe verborum: ia (vt postea declarabimus) illud nõ requiritur ad Sacramẽ- n in cõmuni, sed solummodo ad Sacramẽtum nouę Legis. d neq; hoc,si id fecisse Christũ solùm propter officiũ hospi- tatis asseramus. Ita enim solebant Iudæi conuiuas tractare. uod respõsum insinuauit etiã D.Ambros.lib.3. de Sacramẽ- cap.1.cuius verba paulò pòst citabimus.Neq; hoc,inquã,sa- acit:primò,quia Christus hîc surrexit de mẽsa, cęnâ iam fa- ; cùm illud officiũ solitũ sit fieri ad primũ ingressum hospi- antequã accumberẽt. Secundò,quia licet fuerit officium naniratis,tamen Christus,superaddita virtute aut significa- ne,potuit in illo instituere Sacramẽtum: sicut fecit de offi- naturæ Sacramentum Matrimonij. Deniq; nec illud est ,si dicamus, nõ esse præceptum alijs quàm Presbiteris aut ostolis,cũ Sacramentũ omnibus cõmune esse debeat: quia patet esse falsum & in Circũcisione,& in Ordine nostro. Quapropter alio modo respondendum est,istam lotionem iam non esse Sacramentum,primùm quidem,quia gratiam

humilitatis non significat in suscipiente, sed in ministrante. quod est contra naturam Sacramenti, cuius tam significatiua, quàm effectiua vis debet propriè pertinere ad suscipientem, & non ad ministrum. Secundò, quia repræsentat humilitatem in homine existentem ante vsum huius signi, cùm Sacramenta signa sint rei sacræ tum efficientis sanctificationem, cum ipsa admouentur homini. Et propterea rei præteritę signum commemoratiuum fuisse hoc videmus, & pręceptum esse Apostolis tantùm in exemplum humilitatis, adeo vt iam inde in Ecclesia Dei solùm erga subditos obseruetur.

Sed rursum obijcitur, saltem habere similitudinem lotionis animæ etiam suscipientis, non minùs quàm Baptismum: neq; id solùm ex similitudine elementi & actionis, sed etiā ex Christi institutione & declaratione, dicentis: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Vbi animæ mundiciem ex lotione pedum planè significari demonstrat. Atque ad eandem rem nonnihil facit etiam, quòd Christus occultū mysterium subesse illi ceremoniæ, his verbis indicat: *Quod ego facio, tu nescis modò: scies autem postea.* Vbi aliquod inuisibile Sacramentum latêre in ritu externo declarat. Et profectò, si satis esset ad rationem Sacramenti, significare in ceremonia Passionem Dominicam, etiam vt sanctificantem homines; tunc indubiè verum esset Sacramentum. Huc accedit locus Ambrosij ita dicentis: *Sunt tamen qui excusare conētur, quia hæc lotio pedum in ministerio facienda est, & non in Baptismate, sed quasi hospiti pedes lauandi sunt. Sed tu audi, quia mysterium est, & sanctificatio. Ita enim dicit Christus: Nisi lauero pedes tibi, non habebis mecum partem.* Hactenus Ambros. Ex quibus apparet, nihil desiderari iam ex præscripta definitione, ad verum Sacramentum in lotione ista constituendum: Elementum externum applicatum in ceremonia ad mysterium & sanctitatem in homine operandam.

Lib. 3. De Sac. ca. 1.

Respondeo tamen, quòd sine dubio deficit à Sacramento, quia nō significat illam maiorem, perfectam, & propriè dictam sanctitatem, quæ Sacramentalis est; quæ sita est in gratia gratū

facien-

ciente: multoque minùs illam efficit; quod est Christianorũ
cramentorum proprium. sed tantùm denótat priùs acquisi-
m in Baptiſmo mundiciem; ſimulque docet, quanta requira-
r puritas ad Altaris Sacramenti ſuſceptionem. quod ſicut
hriſtus ſtatim inſtituit poſt illam lotionem, ita Eccleſia Me-
olanenſis, & aliæ penè omnes, poſt Baptiſmum datum adul-
immediatè olim adminiſtrarũt. Quòd autem Chriſtus præ-
ſerit hanc ceremoniam venerabilis Euchariſtiæ inſtitutioni
ſumptioni, ad declarandum quàm exacta requiratur mundi-
s in ſuſcipiẽte Myſteria, Vide Bernardũ ſermone de Cœna
omini, & D. Ambroſium lib. de his qui initiantur myſter.
. 6. Vnde facilè colligemus, in Antiquitate, dum adhuc ad-
i baptizarentur, lotionem pedum non tanquam Sacramen-
n, ſed tanquam Sacramentale vtriuſque Sacramenti, ſcilicet
ptiſmi & Cœnæ Dominicæ, fuiſſe habitam & vſitatam. &
inde non perfectè ſanctificaſſe, neque gratiam ſignificaſſe,
inchoatam animæ humanæ conſecrationem: ſicut cæteræ
emoniæ, quæ dicuntur Sacramentalia, adiunctæ vel in ini-
vel in fine Baptiſmatis, aut aliorum Sacramentorum: vt
orciſmi, Inſufflationes, Inunctiones, &c. Quæ omnes, ſicut
eræ quæcunque ceremoniæ in Eccleſia Dei in vſu ſunt, per
bum Dei & orationes (teſte D. Paulo) quaſcunque creatu- 1. Tim. 4.
nedum homines, ſuo quodam modo ſanctificant; non ta-
n Sacramentalem illam ſanctitatem, & perfectam gratiam,
formaliter iuſtificamur & Deo grati ſumus, ſignificant aut
iunt. Sic igitur neque hæc Lotio pedum Sacramentalem
iam ſuſcipientis aut miniſtrãtis repræſentabat; ſed partim
ſuppoſuit, in Baptiſmo antecedenti eam fuiſſe acquiſitam;
im verò inſtruxit, quanta requiratur in ſubſequenti Eucha-
æ ſumptione vitæ puritas.

Atque hæc eſſe vera, ipſius Chriſti verba docent ad Petrũ.
cùm diceret: *Domine, non ſolùm pedes, ſed & manus & caput,*
ondit Saluator: *Qui lotus eſt, nõ indiget niſi vt pedes lauet, ſed
dus eſt totus.* Vbi apertè docet, ſe non hoc feciſſe, vt mun-

 darentur

mysteria Religionis; non tamen exactè,sicut Sacramenta. Ex quibus quantum differat non solùm hæc ceremonia à Christo vsitata, sed & Ecclesiasticæ omnes ceremoniæ à veris Sacramẽtis,ita sit explicatum. Vnde & perspicitur error eorum,qui putant ceremonias aliquas insignes,vt Aquam benedictam,& Exorcismos, Sacramenta fore, si eas Christus instituisset: cùm non Christi institutio,sed ratio,modus, & finis institutionis sit considerandus.

Restat iam ex omnibus propositis obiectionibus vna solũmodò, de eo modo & verbis quibus Christus peccata paralytico condonauit, & propterea per gratiam etiam eum sanctificauit: deque verbis consimilibus mulieri peccatrici dictis: *Remittuntur tibi peccata.* Sed respondeo breuiter,Verba Saluatoris remittentis peccata non fuisse Sacramẽtum, quia nõ erant facta in ceremonia, neque exteriori materia, neque erant instituta ad ritum aut cultum Dei; sed tantùm explicatoria, ex vocum institutione communi, fuerunt voluntatis & potentiæ suæ. quibus peccata remitti significauit: cùm ipse fine verbis sola voluntate animas sanctificare potuerit. Atq; hæc quidem hactenus.

Supra, ca. 5. Luc. 5. Luc. 7.

Quibus modis Heretici definiant Sacramentum.

CAP. XII.

CVm verò in omni Theologia ex admonitione D. Pauli vocum nouitas sit fugienda, maximèque in definitionibus cauenda;in quibus etiam nihil collocari debet,quod non sit firmum,& doctissimorum hominum cõsensu cõprobatum;sic,vt in reliquis quidem assertionibus plurima probabiliter dici queant,quę reliquorum sententijs non consentiant; in definiendis verò rebus, vbi totius sermonis sequentis fundamenta cõstituuntur, nihil vlla ex parte controuersum esse debet: tamen Hęreticorum hoc loco definitiones sunt plenę ambiguitatis,falsitatis, nouitatis. Lutherus in lib. de Captiuit. Babylo-

1.Tim.6. Luther.

Babylonica sic definit: *Sacramentum est quod in sacris literis habet promissionem gratiæ cũ annexo externo signo.* Augustana Confessio sic: *Est ritus, qui habet mandatum Dei, cui & addita est promissio gratiæ, & remissionis peccatorum.* Huius author fuit Melanchthon. Recentiores Lutherani sic: *Sacramentum est promissio Dei de gratuita reconciliatione & remissione peccatorum, particulariter applicata & obsignata externis signis, his qui in fide suscipiunt ea.* Hoc habet Kemnitius contra Concilium Trid. cap. de Sacramentis in communi. Caluinus sic: Sacramentum est *externum symbolum, quo Deus beneuolentiæ erga nos suæ promissiones cõscientijs nostris obsignat.* Et rursus: *Est testimonium gratiæ Diuinæ, id est, fauoris quo nobis fauet ob Christum, externo symbolo declaratũ, quod adhibetur verbo promissionis veluti sigillũ appensum diplomati, per quod firmatur fides quam priùs ex verbo habemus.* lib. 4. cap. 14. sect. 1. Institut. In quibus & alijs similibus Hæreticorum definitionibus quædam sunt falsa omnibus communia, aliqua sunt certorum authorum propria. Communia sunt ista: primò, verbum promissionis esse in omni Sacramẽto. Secundò, verbum hoc promissionis semper esse de remissione peccatorum. Tertiò, externum signum Sacramenti esse sigillum huius promissionis. Propria autem simul refellemus, communia refutãtes.

Conf. Augustana. Melanch.

Kemnitius.

Caluin.

Contra Hæreticos ostenditur, quòd verbum promissionis non sit in omni Sacramento.

CAP. XIII.

QVANTVM igitur ad primum pertinet: nullus vnquam Theologorum antiquorũ, nec ipsa Scriptura sacra verbum promissionis refert ad propriam rationem Sacramenti. ergo tanquam nouum respuendum est.

Secundò: Sacramentũ Eucharistiæ (quod omnibus Hæreticis est verũ Sacramentũ) nõ habet verbũ promissionis. Non enim illud Ioan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo*, pertinet ad Sacramentum: consensu omniũ Hæreticorum, & bonę partis Theologorum. Neque

'eque verò in illis verbis fit promiſſio: *Hoc facite in meam commorationem.* Neq; in illis: *Quod pro vobis tradetur*, præſertim Math.26.
in præſenti tempore (ſicut Græcè) *traditur, frangitur*, & non
detur, frangetur legemus: aut deniq; quomodocunque legaus; Cùm ipſi hæretici fateantur, promiſſionem Sacramen-
um eſſe debere de gratia, fauore, & reconciliatione ſuſci-
ntis. Sic neque illud, *Qui fundetur in remiſſionem peccatorum*,
huiuſmodi promiſſionem vllo modo pertinet, ſed ad Paſſio-
n & Crucem Dominicam. Deinde quia hoc Sacramētum
ficitur conſecratione materiæ, & nō ſumptione. Cùm igi-
verum ſit Sacramentum ante ſumptionem, imò etiam an-
la verba fictitiæ promiſſionis dicta à Chriſto; cumq; ſine il-
erbis ab Eccleſia vbiq; terrarum conſecretur panis in Sa-
nentum corporis, etiam ab ipſis Lutheranis; ſequitur ne-
riò, Sacramenti rationem non pendêre à promiſſione.
iò, quia hoc Sacramentum nō priùs fuit inſtitutum, quàm
m & conſecratum. Nam ex eo etiam ſequitur, quòd non
irat antecedentis verbi promiſſionem vllam.

einde, verbum promiſſionis confundunt cum verbo Sa-
enti, de quo verbo Auguſt. *Accedit verbum ad elementum,* Tract.80. in Io.
Sacramētum. Et, *Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua?*
10 autem vnquam ante iſtos dixit, Sacramentum conſta-
verbo promiſſionis: non enim verbum illud eſt, quod ad-
ur elemento; neque in eo ratio ſignificandi ponitur aut
ndi gratiam. ſicut patet in Baptiſmo, vbi promiſſionis
ante miniſterium Sacramenti in Scriptura ſic extant:
rediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Quod verbū nun- Mar.16.
etiam applicatur aquæ: nec applicatum, haberet ſignifi-
nem ablutionis internæ: ſed iſtud, *Ego baptizo te in nomine*
& Filij, & Spiritus ſancti. Sic in pœnitētia, verbum pro-
nis comprehenditur hac ſententia: *Quorum remiſeritis*
, remittentur eis. Sed hoc verbo Sacramentum illud nun- Io.20.
conficitur, nec remiſſio peccatorū aut datur, aut ſignifi-
Sic in omnibus Sacramentis, ſi fortè reperiatur aliqua

præcedens promissio de gratia & remissione peccatorum; significatio tamen, similitudo, efficientia attribuitur illi soli verbo, quod concurrit cũ elemento & dicitur forma Sacramenti; promissionis autem verbo nunquam. Sed respondent Hæretici, verbum Sacramẽti esse applicationem promissi, vel exhibitionem promissionis, vel promissionem oblatam homini. Sed hoc futile est: quia non promissio applicatur, sed res quæ promittitur. Neque etiam promissionis potest esse vlla similitudo cum signo externo in quo Sacramentum consistit. Est autem similitudo (teste August. Epist. ad Bonifacium) inter Sacramentum, & illud cuius est Sacramentum. Non igitur Sacramentum signum promissionis est.

Epist.23.

De promissione apprehendenda per fidem.

Notandum autem est, quod Hæretici nolunt dicere, gratiã applicari vel significari per Sacramentum; sed hoc dicunt, promissionem offerri per Sacramentum: quia promissio, sicut & fides, capitur per auditum, apprehenditurq; per intelligẽtiam. Statuunt autem illi, nihil operari in Sacramentis, nec nostris, nec Iudæorum, nisi ex fide; qua apprehendimus verbum promissionis. Quæ illorũ oratio non solùm tollit illa Sacramenta, quæ promissionẽ non habent, cuiusmodi sunt Ordo, Matrimonium, Confirmatio; sed & illa destruit, quæ Hæretici promissum annexũ habere dicũt. Sicut est apertũ in ipsa Eucharistia: cùm sint multi fideles, qui fructuosè accipiũt illud Sacramentum, tantùm credẽtes illic cõtineri Corpus Christi, & deuotè accedentes ad idem, qui nunquã de promissione audierunt: vt proindè sit perniciosissimũ, asserere, homines fideles nõ posse gratiã Sacramenti assequi, nisi quatenus credant promisso antecedenti. Vt nihil loquamur de paruulis, quorum Baptismus prorsus esset inutilis (quod blasphemum est cogitare) si gratia Sacramentalis nõ applicaretur, nisi per fidẽ promissionis. Quæ etiam absurditas sequeretur in Baptismo morionum omnium, surdorum, & aliorum, qui aut non intelligunt, aut non audiũt, aut fortassis non crederent si audirẽt. Deinde falsa ista sententia faciunt manifestam injuriam Verbo Dei, dum illud constringunt

tringunt in ratione Sacramẽti, solummodò ad promissorium
erbum, quasi non posset aut nollet Deus operari quicquã cir-
a salutem nostram per vim verbi præsentis, nisi antecesserit
iusdem rei pollicitatio; & quasi non teneremur credere cuili-
et Verbo Dei, non minùs quàm promissioni; aut quasi omne
erbũ Dei esset in genere promissionis; aut magis illud esset
erbum aut verum, quod promissione continetur, quàm quod
ræsenti tempore dicitur aut declaratur. Nos Catholici cùm
cclesia Dei damus illis apertum verbum pro Sacramẽto Or-
nis, & pro gratia quam tribuit, ex D. Paulo dicente: *Noli ne-* 1.Tim.4.
igere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cũ im-
sitione manuum Presbyterij. At isti non contenti aperto Verbo
ei asserente, importunè petunt promissionis verbum, Deũq;
eos limites compingunt, vt suo verbo non possit, aut saltem
n velit, quicquam præstare nobis, cuius antè nõ fecerit pro-
ssionem. Sacramentum etiam Confirmationis dat Spiri-
n sanctum: cuius rei habemus apertum testimonium Ver-
Dei. *Tunc imponebant manus super baptizatos, & accipiebant* Act.8.
ritum sanctum, dicit Lucas. Propter quod assertorium ver-
m nos credimus Euangelistæ non minùs, quàm si reperi-
ur promissio antecedens. Imò non minorem efficaciam
et illa ceremonia aut verbum Apostolicum, nec mino-
n significationem, quàm si fuisset illa res expressè pro-
ſa per alium sacræ Scripturæ locum.

Tam fraudulenter tamen ista tractarunt Hæretici, vt qui-
n Catholici & docti, dum non limatè cribrant istorum
ta, vtantur etiam incautè & minùs verè, in verbo Sa-
menti definiendo, verbo etiam promissionis; ita vt di-
t: *Verbum Sacramenti esse illud, quod innititur promissioni*
nissionisq́; verbo. Quod ne in ipso quidem Sacramento
tismi est verum, cùm hoc verbum, *Ego te baptizo, &c.*
n nitatur illo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, sal-*
erit: Sed potius Math. vltimo: *Euntes docete omnes* Mar.6.
es: baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

si tamen fuit tunc institutum illud Sacramentum: vt certè nō fuit, sicut facilè doceri potest ex hoc, quòd Christus, vel discipuli, Baptismo Christi, quod erat verum Sacramentum, vtebantur ante illam promissionem vel mandatum de baptizandis gentibus, sicut disertè August. docet Epist. ad Seleucianū, & Venerabilis Beda Hom. de Epiphania, docens, Christum hanc vim tribuisse Baptismo, non verbo, sed facto, & aquarum sanctissimo tactu. Vnde notari etiam possit, ne verbum quidem semper requiri ad institutionem, multo minùs verbum promissorium. Quanquam nos solo facto Christum instituisse Sacramentum, non planè asserimus: cùm illud sit satis, Baptismum fuisse verum Sacramentum ante illud promissum Marc. vlt. post Resurrectionem factum. Ex quo sequetur, quòd ratio Sacramēti non requirat promissionis verbum expressum in sacris literis. Imò & Hæretici hîc nobis plus concedunt, quā ipsi petimus aut desideramus, præsertim audacior cæteris Caluinus, qui non solùm fatetur, Apostolos baptizasse Christi Baptismate ante omnem promissionem factam, sed etiam ipsum Ioannem præcursorem baptizasse accedentes eodem Christi Sacramento; & per consequens, Christum nō instituisse suum Sacramentum, nec vllum omnino Baptismum, sed accepisse à Ioanne, cùm in illo communi vtriusque Sacramento peccata indifferenter remitterentur. Quam horribilem blasphemiam ante multa secula diligenter refutarunt Maiores nostri: Cyrillus in Ioan. cap. 2. August. lib. 5. contra Donatistas cap. 9. & tribus sequentibus. Hieronymus contra Luciferianos. Damasc. lib. 4. de orthod. fide cap. 10. Chrysostom. in Math. Homil. 14. & Beda in cap. 3. Math. Sed de ea re latiùs & commodiùs qui de Baptismo tractant. Nunc igitur eò impulimus istum, vt dicere sit necesse, vim Sacramenti Christiani profectam esse ex promissione, non Christi, aut Dei, sed Ioannis. Et certè ita dicit, hāc pollicitationem de remissione peccatorum in Baptismate, primùm fecisse Ioannem Luc. 3. cùm dicitur: *Venit Ioannes prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*

Io. 3. & 4.

Aug. Epist. 108.

Beda.

Cal. 4. Instit. cap. 14. §. 7.

Cyril.
Aug.
Hier.
Damasc.
Chrys.
Beda.

Luc. 3.

Vbi vt

bi vt cætera demus Caluino, vnde habuit, Ioannem non ba-
tizasse ante hanc prædicationem, cùm Marcus dicat cap. 1.
uit in deserto prædicans & baptizans? Aut vnde probat, idem
sse prædicare Baptismum vel pœnitentiam, & promissionem
cere: nisi sub verbo promissi omnem prædicationem Euan-
lij contineri velit?

Illud interim contra istos importunos homines hic anno-
ri velim, verbum omne institutionis Sacramentorum conti-
re quidem apertam significationem diuinæ voluntatis circa
minum sanctificationem. Quę voluntas quia in omne tem-
s sequitur naturam signi, includit quidem aliquo modo im-
citè promissionem, non ex verbo promittentis alio, quàm
ipsa re instituta in talem finem. Institutio enim quælibet
c duo imprimis complectitur: assumptionem vel designa-
nem alicuius visibilis creaturæ vel externi signi ad gratiæ
nificationem; itemque secundo loco, collationem potesta-
homini ministro ad applicandum illud destinatum signum
ræscriptam sanctificationem. in quibus cernimus non esse
is aliqua verbali promissione, cùm ipsæ res sic diuinitus cō-
atæ apertam Dei voluntatem ostendant. Imò si quæ sint
ba adiuncta ante vel post institutionem Sacramentorum,
e ad futurum tempus pertineant: sunt declaratoria potius
uris & effectus Sacramentorum, quàm promissiones: sicut
d Marc. vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit,* Mar. 16.
et sit verbum futuri temporis, tamen non est promissoriū;
t neque illud ibidem, *Qui non crediderit, condemnabitur.* sed
mq; est diūinæ voluntatis declaratorium, & duplicem ef-
um significans, Alterum fidei & Baptismatis, alterū incre-
tatis. Deinde notandū est, quòd in institutione Sacramen-
on possit propriè contineri promissio; quæ soli fit rationali
turæ, hoc est (quod ad præsens institutum attinet) homini:
i Deus faceret promissum sanctificationis ad receptionem
ramenti, certè oporteret, omnem hominem, cùm verè ac-
Sacramentum, simul gratiam & sanctificationem accipe-

 re. alio-

re. alioquin Deus & falleret, & nō ſtaret promiſſis. Si enim boni recipiunt Sacramentum, antea habebant remiſſionem: ſi mali, ne tum quidem aſſequuntur. Multò meliùs ergo dicimus, verba inſtitutionis Sacramenti, ſiue ad præſens, ſiue ad futurum tempus pertineant, non tam propriè & abſolutè ad ſuſcipientes dici, quàm de ipſis Sacramentis intelligi: quę, quomodocunque homines diſponātur aut accedant, ſemper eam habent rationem, vt tales effectus diuinos producere poſſint.

Et hæc cùm ita ſint, tamen tantopere delectati ſunt Hæretici hoc promiſsionis figmento, ad ſolam fidem ſtabiliendam & intromittendam in omnia Sacra & Sacramenta, vt horum Princeps Lutherus ineptiſsimè etiam definiat Miſſam cap. 8. Captiuit. Babylonicæ, hunc in modum: *Miſſa eſt verbum promiſſionis, quod fide ad remiſſionem peccatorum capitur.*

Luther. quid ſit Miſſa?

Iam ex altera parte; verbum promiſsionis ſicut non requiritur in omni Sacramento (vt oſtendimus) ita etiam adiunctum ſigno externo latiùs patebit, quàm id quod definitur. Et propterea vitioſè definit Lutherus, cum ita inquit: *Sacramentum eſt quod habet promiſſionem gratiæ cum annexo ſigno.* Ex qua definitione *eleemoſyna* quoque eſſet Sacramentum, cùm ſit externa res habens apertam Chriſti promiſsionem Luc. 11. *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Dimiſſio quoque peccatorum* erit Sacramentum, vtpote habens apertam promiſsionem diuinæ gratiæ Luc. 6. cùm Chriſtus ait: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Ita etiam *auditio verbi Dei*, aliaque multa ſimilia habent promiſsionem annexam, quæ tamen Luthero, opinor, Sacramenta non fuere.

Luc. 11.

Luc. 6.

Quòd non de Remiſſione peccatorum ſemper, neque de æterno fauore Dei, poſsit eſſe verbum promiſſorium confictum ab Hæreticis.

CAP. XIIII.

SEQVITVR iam, vt aliquid de ijs rebus dicamus, de quibus fieri iſtas promiſsiones contendunt. Et primùm, quod omnes

mnes penè Hæretici nobis occinunt in varijs istis definitio-
ibus suis, scilicet promissiones Sacramẽtales fieri propriè de
ratia recõciliationis & remissionis, est planè falsum, & Chri-
ianæ iustitię ipsiq; iustificationi inimicum; quæ nõ in sola re-
nissione peccatorum consistit, sed in varijs veræ & inhærentis
ıstitię gratijs, sicut docet D. August. cõtra Iulianũ lib. 2. cap. 8. Aug.
uæ iustificatio nõ solùm in Baptismo cũ remissione peccato-
um habetur, sed etiam in alijs Sacramentis continuò acquiri-
ur, vbi remissio propriè non habetur, sed ex alijs Sacramentis
abita præsupponitur. Est illud maximè perspicuum in Sacra-
nento Eucharistiæ, vbi gratia gratuitò remittens aut reconci-
ans non datur, nec promittitur quidem, sed gratia confortãs,
onfirmans, & nutriens eos qui iam antè recõciliati sunt. Sicut
nim non est officium cibi aut potus viuificare mortuos, sed
utrire & sustentare viuentes; sic neq; Sacramentũ hoc com-
aratum est ad vitæ spiritualis restitutionem, sed eam in Sacra-
nento Baptismatis atque Pœnitẽtiæ antè acquisitã esse requi-
it. Vanum igitur est, quòd promissionem illam suam coarctãt
d gratiã solummodò remissionis aut reconciliationis. & pro-
nde æquum non est, vt ex hoc aperto errore imminuant, aut
ollant reliqua Sacramenta Ecclesiastica, vt Ordinem, Matri-
nonium, Confirmationem, quia non habent annexam remis-
ionem peccatorum, tanquam in speciali verbo promissionis.

Sed tamen hic error esset vtcunque tolerabilis: Illud verò
Caluini quis ferat, statuentis, hanc promissionem, quam finxe- Caluin.
unt, non esse remissionis peccatorum, vel gratię cuiuscunque
ræsentis, sed generalis beneuolentiæ Dei remittentis pecca-
a propter Christum, non in Sacramento quidem, sed à tem-
ore quo concepti sumus & nati, imò etiam ab æterno? ita vt
erbum promissionis quod requirit in Sacramento, non per-
ineat ad aliquam gratiam recipiendam in Sacramento, vel ad
Sacramenti susceptionem; sed absolutè denotet voluntatem
Dei, qua nos prædestinat, eligit, gratos habet sibi propter
Christum. Itaq; habere Sacramẽta promissiones vel testifica-
tiones

tiones gratiæ, non quæ datur in illis, sed ante illa per fidem, aut familiam, aut absolutum Dei fauorem. Sicut in Baptismo, homini non promitti aut significari, quòd tunc illi peccatum remittatur, aut adoptetur in filium Dei, sed tantùm quòd tũc accipiat in hoc signo appẽdicem certam, se antè fuisse electum, & in conceptione sua verè acceptum in fauorem Dei. Ex quo impio paradoxo illud de præsumptione prædestinationis, & de certitudine gratiæ venit, & (quod est his omnibus intolerabilius) quòd audet blasphemo ore dicere, infantes decedentes cum Baptismo posse damnari, & sine Baptismo posse saluari: Quia vult, gratiam promissam nõ applicari cuiquam in Sacramento; sed aliàs ante Sacramentum susceptum, per fidem aut suam, aut suę familię, idque tantùm in electis. Nam reprobis & non ordinatis ad vitam æternam, siue adultis, siue etiam infantibus, nunquam, neque in Sacramentis, neq; extra Sacramenta, vult remitti peccata. Quæ omnia absurda & impia partim refutantur ab August. in omnibus lib. contra Pelag. nominatim lib. 6. hypog. lib. 2. de nuptijs & concupisc. cap. 11. ab Ambros. lib. 2. de vocatione Gentiũ cap. 8. à Cypriano lib. 7. Epist. 8. à Tertull. lib. de Monogamia; & ab omnibus alijs orthodoxis Patribus, qui vnquam scripserunt de Baptismo infantum: partim sua absurditate concidunt, cùm ex hac impia sententia sequatur, nullos vera Sacramenta recipere, nisi electos. Nam si mali reciperent, aut etiam boni non prædestinati; Sacramenta essent falsa testimonia, conscientijs nimirum istorum testificantia, ipsos esse receptos in fauorem & gratiam Dei & in numerum prędestinatorũ: quod tamen non contingit alijs, quàm ab æterno electis. Deinde sequeretur ex hoc paradoxo, quòd verba Sacramentorum non habeant vim ex promissione cuique Sacramento correspondente, sed ex absoluta illa & generali promissione Dei facta Abrahæ Genes. 17. vbi ei dicit: *Ero Deus tuus, & seminis tui post te.* Quod etiam ita Caluinus philosophatur, vt iam non sit nobis opus laborare, quò Lutheranis cęterisque satisfaciamus, ad inueniendũ promissum in singulis Sacra-

Aug.

Amb. seu Prosper.
Cyp.
Tertul.

acramentis. Habemus enim non solùm pro paucis,quæ Hæ-
etici agnoscunt,Sacramētis, sed pro nostris omnibus promis-
orium verbum, conscientijs electorum de sua salute testificās.
'ult enim Caluinus illud promissum Abrahæ factum,non so-
im pertinere ad Baptismū, aut Circumcisionem, sed ad Cœ-
am etiam,& si quod aliud Sacràmentum est.

Quòd Sacramentum non sit sigillum verbi seu pro-missionis.

CAP. XV.

VENIAMVS nunc ad tertium quod in istorum definitio-ne & impia institutione refutandum suscepimus: Sacra-mentum esse sigillum vel signaculum testificans apud nscientiam hominis,se iam antè fuisse filium Dei, aut nunc r sola m fidem fieri filium Dei. Quorum primum est Calui- Alterum Lutheri. Vbi primùm nihil dicam de eo quòd as-itur, Sacramentum consignare conscientijs nostris volun-em Dei, cùm paruuli conscientiam hanc non habeant: & opterea si has nouas definitiones sequamur,ne Sacramento-n quidem capaces esse possunt. Sed ne sigillum quidē pro-ssionum diuinarum,aut fœderis signaculum, Sacramentum posse cōuincemus. Fiet autem commodiùs,si aduertamus ilitudinem & exemplum quibus ista declarant Aduersarij. hibetur(inquit Caluinus) Sacramentum verbo promissio-,sicut sigillum appensum est diplomati Regio, alijsq; publi-actibus; per quod sigillum renouatur memoria,& firmatur es quam prius ex verbo habuimus. In qua declaratione pri-m peccatur à Caluino, quòd nulla existat similitudo inter llum & diploma Regis ex vna parte, atq; inter Sacramen-n & verbum ex altera parte: quia verbum & promissio Dei se fine vllo Sacramento habet solidam & plenam autho-tem: Sacramentum verò sine verbo Dei nullam habet au-ritatem, sed omnem vim ex ipso verbo, quod isti fingunt ere obsignari Sacramento tanquam sigillo. cùm contrà di-

Caluin.
Luther.

ploma vel literæ Regiæ nullam habeant authoritatem aut fidem, nisi ex sigillo apposito. quod rursus non habet vim ex literis quas obsignat & authoritate corroborat, sed ab ipso rege. Si enim à literis quas obsignat, vim sumeret, quomodo vicissim illis vim & authoritatem daret? Deinde inter literas & sigillum non intercedit similitudo aliqua: sed inter verbum signatum & Sacramentum debet esse proportio. Ergo non potest dici Sacramentum sigillum verbi. Denique hæc assertio tradens Sacramenta esse sigilla, continet hæc apertè falsa & absurda. Ponit primùm certam & infallibilem gratiam in recipientibus sine exceptione indispositionis. Secundò ponit, ante Sacramentum susceptum & peractum, hominem fuisse iustum. Tertiò ponit conscientiam, intelligentiam, fidem, & memoriam promissionis in omnibus recipientibus: quod Baptismum Paruulorum tollit. Quartò ponit, Deum cuique hominum, antequam veniat ad Sacramentum, per verbum suum expressè promisisse salutem & gratiam: alioquin Sacramẽtum esset falsarum literarum obsignatio. Quintò ponit, Verbum Dei esse minùs clarum quàm Sacramentum. Sextò ponit, Sacramentum dare fidem verbo Dei, quum tamen apertum sit, homines accedere ad Sacramentum, quia credunt Verbo Dei circa effectum illius Sacramenti quod recipiunt.

His ita refutatis, fatendum est tamen, Theologos vsos fuisse olim nomine sigilli & signaculi in Sacramentorum ratione exprimenda, verùm non istorum Hæreticorum sensu & significatione, sed longè alio. Isti enim dicunt, Sacramenta esse sigilla, quatenus obsignant & testificantur de verbo promissionis. Sed Doctores vocant Sacramenta sigilla & signacula, quia res sacras, secretas, & mysticas claudunt. Dupliciter enim sigillum literis etiam humanis apponi solet: modò ad faciendam fidem, modò ad occludenda secreta quæ videri vulgo non debeant, aut non possint. In qua significatione dicitur in Ecclesia *sigillum Confessionis*, hoc est, secretum; & Apocalyp. 5. *liber signatus sigillis septem*: Et rursus ibidem: *Quis potest soluere signacula*

Apoc. 5.

ula eius? In consimili significatione appellauit August.lib.16. cap.11. contra Faustum *Sacramenta visibilia Religionis cuiuscunque signacula*, quia populi multitudo varia his veluti libri reticulis in Religione colligabatur. Sic Tertull. lauacrum nostri Baptismatis appellat *Obsignationem fidei*, lib.de Pœnitentia. Sicut D. Basilius contra Eunomium lib.3. hoc idem Sacramentum vocat *Sigillum fidei*. Aliquando autem appellantur etiam ab antiquissimis Theologis signa, sigilla, signacula, symbola, obsignationes ipsorum hominum; nimirum propter characterem receptum ac veluti animis nostris impressum per quædam Sacramenta. In quo etiam sensu D.Paulus vtitur vocabulo signi, cùm ait: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, quo signati estis*. Quem locum interpretans D.Hieronymus, inquit: *Symbolum Spiritus sancti in die Baptismi accepistis, nomen signaculum habere cœpistis*. Sic passim August. contra Donatistas disputans, partim de Charactere Ordinis, partim de Charactere Baptismi. In quibus omnibus locis nunquam significatur aliqua obsignatio promissi, aut etiam gratiæ; cuius signum quidem dicitur Sacramentum, sed sigillum non item: in eo præsertim sensu quo Hæretici volunt, eam per fidem acquiri, & deinde nobis obsignari per sigillum Sacramenti.

Aug. Tertul. Basil. Eph.4. Hier. Aug.

Sed obijcitur ex cap.4. ad Rom. quòd D. Paulus appellat circumcisionem *Signaculum iustitiæ fidei*. Cui primùm respondemus, illic nihil dici pro Caluino, cùm Apostolus appellet circumcisionem *sigillum iustitiæ*, & nō promissionis aut pacti: quia (vt interpretatur Origenes in idem cap.4.) claudit & velat iustitiā fidei, donec suo tempore in aduētu Christi patefiat, quomodo verè iustificetur filii Abrahæ qui est ex semine promissionis. Secundò obseruandū, non ex eo sequi, si vnū Sacramentum habeat hoc peculiare officium, vt sigillet & obsignet promissionem aut iustitiam fidei, quòd reliqua statim idem officium habeant: cùm possit aliquid competere peculiariter vni Sacramēto, quod cæteris item nō cōueniat. quod propterea

Rom.4. Origen.

in rationem & communem definitionem Sacramenti deduci non debet. Tertiò notandum, quòd non inde sequetur, Circumcisionem fuisse omnibus suscipientibus idem quod fuit Abrahæ: sicut Baptismus non fuit omnibus quod fuit Christo. Abraham enim fuit iustificatus, antequam circumcideretur, per fidem in præputio, sicut Apostolus apertè dicit, declarans hoc signaculum fuisse iustitiæ fidei in præputio. Vnde non potuit habere primarium vsum hoc Sacramētum in illo, sicut in cæteris quorum ipse pater est. Quartò notandum est, quòd D. Paulus ibi non doceat, quæ sit vis & ratio huius Sacramenti in suscipientibus, sed causas explicat, cur ille primus meruerit accipere hoc Sacramentum, vt idem possit appellari *pater Circūcisionis*, quasi dicas, fundator Circumcisionis; sicut itidem dicitur *pater credentium in præputio.* Quemadmodum Saluator noster, Baptismi Christiani & reliquorum Sacramentorum pater, quædam Sacramenta suscepit ipse, sed non in eum effectū, in quem cæteri quorum causa sunt instituta. Fuerunt enim illi suæ sanctitatis signacula, obedientiæ argumenta, in ipsius sanctissima persona sanctificata potius, quàm sanctificantia illam. Quomodo autem Abraham fuerit antè sanctificatus & iustificatus, lege D. August. de Baptismo contra Donatistas lib. 4. cap. 24. Item eodem in loco, quomodo in Abraham præcessit iustitia, & postea adiectum est signum: Cùm contrà fuerit in Isaac, in quo præcessit signaculum, & deinde in eo iustitia fidei est secuta. Sicut etiam cap. 23. eiusdem libri docet, Corneliū priùs iustificatum, deinde baptizatum: cùm tamen Baptismus non semper inueniat iustos, sed faciat iustos. Sed de Sacramenti definitione hactenus, in qua eius propria ratio & veluti causa formalis est luculenter expressa: sita maximè in significando gratiam sanctificantem suscipiētes. Nunc autem sequitur, vt eius cæteras causas, partes, vim, effectum, & similia adiuncta declaremus. & primum quidem de materiali causa.

Aug.

Act. 10.

Quòd

Quòd significationi, quæ in Sacramentis formale est, itemq́; ceremoniæ, quasi materia subiecta sint non solùm Elementa, sed etiam verba, & actus. quæ tamen omnia sensibilia esse debent.

CAP. XVI.

MATERIAM autem hîc appellamus propriè id totum sensibile & externum, in quo significatio Sacramentalis, quam pro forma posuimus, constituitur; siue fuerit es visibilis & corporalis, vt aqua; siue verbum, vt Baptizo, siue ctus, vt immersio; siue quęcunq; applicatio verbi ad elementum, vt in confectione Euchariftiæ; siue deniq; verbi atq; elementi applicatio ad hominem suscipientem, vt in Baptismate, tio; in Eucharistia, sumptio, & sic in cæteris. In quacunque nim re sensibili tanquam in subiecto collocatur significatio acramentalis, in illa ponimus rationem materiæ: siue fuerit ementum corporale, siue oratio, siue quicunque externus tus. Et in quibusdam Sacramentis sunt omnia hæc: vt in Baismate, aqua, verbum, ablutio. Vbi spiritualis mundicies his bus significatur, sed præcipuè vltimo, hoc est, ablutione vel mersione. Neque enim aqua seorsim, neque verba separata nateria, sed mutuò coniuncta super personam actione sacrâ, bent completam rationem significationis. Idq́; quod sic in ione situm est, appellare videtur August. *accessionem verbi* In Io. tract. 80. *elementum*, qua fieri dicit Sacramentum. Et proinde materia oxima huius Sacramenti est ablutio, aqua autē & verba sunt teria remota, quia non in his immediatè, sed in immersione aspersione collocatur significatio, quam diximus formam totius Sacramenti. Quòd autem vis significationis sacræ nstituatur etiam in actu abluendi & immergendi, docet D. ulus cap. 6. Rom. præclarè insinuans, illam immersionem si- Rom. 6. ficare sepulturam atque mortem corporis peccati. Et ruream leuationem & emersionem ex aquis repræsentare reectionem animæ in nouam vitam. Ex quibus illud facilè spicimus, non requiri, tanquam necessariam materiam ad

omne Sacramentum, verum & visibile elementum corporale, cuiusmodi sunt oleum, aqua, vinum, panis, & eiusmodi; quę posteriores Hæretici impudenter requirunt. cumq; videant, hæc corporalia non esse in Matrimonio & Pœnitētia, nec expresso verbo Dei assignari talia ad Confirmationem & Ordinem, hæc omnia propterea de numero Sacramentorū tollūt. Sed hęc eorum insipientia manifesta erit omnibus, qui ex prędictis intelligent, significationem Sacramentalem non minùs commodè poni in verbis & actibus, quàm in corporeis elemētis. quia verba & actus non solùm accipiuntur ad significationem sacram vbi corporales res nullæ sunt, sed etiam vbi hæc quoque elementa existunt, vt in Baptismo & Eucharistia, in quibus præcipua significatio nō est in aqua & pane posita, sed multò magis in verbis, maximè autem in actibus.

Sit ergo hęc fixa conclusio: id omne quod Deus assumit vel ex rebus materiatis, vel ex verbis, vel ex actibus & motibus externis quibuscunq;, sufficientem materiam esse posse respectu significationis Sacramētalis. Et quod de significationis subiecto dicimus, idē & de ceremoniali cultu affirmamus, quē diximus esse annexū Sacramento. Nam ceremonia quoque nō solùm in sensibilibus elementis sita est, vt in aqua, pane, & vino; sed multò maximè in statis verbis, & actibus præscriptis, vt in impositione manuum, in insufflatione spiritus, in fractione panis, &c. (quę etiam dant peculiares appellationes ipsis sæpè Sacramentis) siue cū materiæ corporali adiungūtur, vt in Baptismo & Eucharistia, siue etiā cū sine tali elemento vsurpātur, vt in Pœnitētia, Matrimonio, atq; similibus. Ex his igitur est perspicuū, & significationē requisitam, & ceremoniā necessariam posse aliquando esse sine verbis, vt in Sacramentis veteris Legis, quæ (quod nouerimus) non habebant aliam materiam subiectam significationi & ceremoniæ, nisi res & actus sine verbis. sicut ediuerso in alijs Sacramētis, præsertim nostris quibusdam, aliquando recta significatio Sacramentalis existit sine rebus, vt in Matrimonio Christiano, in quo significatio omnis & vis (vt

ris(vt doctissimis placet)est solùm posita in verbis quę sunt illi Sacraměto pro integra materia. Ex quibus sequitur, sufficiens esse ad causam materialem Sacraměti sensibile quodcũq;, siue elementũ sit, siue verbũ, siue actus. Quę omnia vel simul iũcta, vel etiã separata vbi reliqua nõ requirũtur, cõstituunt id quod est materiale in Sacraměto, siue in quo ponitur sacrum signũ.

Sed hic cauendũ est, ne in contrariũ errorem eorũ incidamus, qui ne rem quidem sensibilem ad Sacraměti significationem necessariũ esse putant, sed satis esse iudicant, si Deus constituat ad internas cogitationes, aut spirituales meditationes, aut quæcunq; exercitia humani animi, Sacramentalem significationem vel effectum. In qua re non est cum authoribus huius sententiæ differendum, quid Deus posit facere, sed quid fecerit, & quid maximè pertineat ad totius hominis tam sanationem, quàm instructionẽ. qui cùm ex animo & corpore constet, & commodissimè ducatur ad res spirituales vsu & opera sensuum, beneficio summo illi concessa sunt in externis sensibilibus rebus Sacramenta, quibus conuenienter suæ naturæ, & Deum colere, & suæ sanationis rationem posit accipere. De qua re plura dicemus tum, cùm cur Deus Sacraměta instituerit, differemus. Illud interim sit confessum, Sacramentum esse non posse, cuius significatio & ceremonia non sint positæ in aliqua re sensibili.

Infrà, cap. 24.

Et hactenus quidẽ ita loquimur, vt nõ distinguamus id quod dicitur *verbũ* in Sacramento à *re* sensibili: quia & *verbũ* ipsum, est etiã *res* sensibilis in hac significatione; & vnà cũ *re*, respectu Sacraměti totius, *materiã* vel subiectum integrũ significationis constituit. Sed nunc imposterũ obseruandũ est, cùm distinctiùs has integrales partes Sacramenti cuiusq; vel discernimus, vel comparamus inter se, quòd *rem* Sacraměti distinguamus à *verbo* Sacraměti, ita etiã vt cùm vtraq; sint vna *materia* quoad totam rationem Sacramenti, nunc tamen sibijpsis inuicem sint & habeantur pro *materia & forma*: Vt *verbum*, quia expresśiùs significat, sit *forma*; & *res*, quia obscuriùs significat, sit *materia*, vtpo-

Cautio de acceptione rerũ & verborũ, itemq; materiæ & formæ.

vtpote à multiplici & vaga repræſentatione ad magis definitam & certam ſignificationem determinata per *verbi* appoſitionem. In quo ſenſu Concilium Florentinum, etſi non definiendo, tamen declarando dicit, *Sacramentum omne tribus perfici: rebus vt materia, verbis vt forma, & intentione miniſtri.* Nunc igitur impoſterum, cùm mētionem de *rebus* faciemus, ita loquemur de illis, vt opponuntur *verbis*; & cùm de *verbis* Sacramentorum agemus, ſemper intelligemus quatenus non ſunt *res*, ſed oppoſita *rebus* naturalibus, aut actibus ſenſibilibus; niſi tunc, quando *verba* aliqua Sacramentalia eius generis ſunt, vt ſuppleri poſsint per *res*, ſicut *verba* Confeſsionis quæ poſſunt per ſcripturam ſuppleri, & *verba* Matrimonij quę poſſunt per ſigna ſuppleri. Quæ tum *verba* ſicut poſſunt haberi pro *rebus*, ſic eſſe poſſunt & haberi pro *materiali* parte, non ſolùm reſpectu totius Sacramenti, ſed reſpectu etiam cęterarum partium integralium.

Quòd determinata Res ad Sacramenta requirantur, eaq́; non ab alio, quàm à ſolo Deo præſcribendæ.

CAP. XVII.

HIs ita poſitis, videamus nunc, an ſint res determinatę & præſcriptæ in ſingulis Sacramentis: & poſtea videbimus eodem modo de verbis. Concluſio autem firmiſsima eſt, quòd non quęlibet res, vnde poſsit gratiæ ſanctificantis ſimilitudo aliqua ſenſibiliter deduci, indifferenter ſumi queant ad ſignificationem & rationem Sacramentalem, quaſi materia Sacramenti; ſed ex multis pauciſsimæ ad hoc officium præſcriptæ & deſignatæ ſunt: vt cùm aliàs variæ Diuinitatis virtutes, omnia Redemptionis ſanctiſsima officia, atq; Seruatoris proprietates omnes, diuerſis dicendi figuris, plurimis metaphoris, pro cuiuſque penè Scriptoris aut Concionatoris arte & deuotione, religioſè repræſentari aut oculis, aut animis poſſint; tamen ad hanc practicam ſignificationem vel ſanctificationem noſtram, ea nobis promiſcua rerum vſurpatio nullo

modo

iodo cōcedatur. Id D. August. luculenter expressit Epist. 119. ùm inquit: *Ad rem sacratè significandam similitudines aptas religiosa deuotione suscipimus de vento, de mari, de terra, de volatilibus, piscibus, de pecoribus, vt oue, serpente, agno, ariete, vitulo, de arboribus, de hominibus: ad sermonem quidem multipliciter, cæterùm ad lebrationem Sacramentorum iam Christiana libertate parcissimè, ut de aqua, de frumento, de vino, de oleo.* Et addit paulo pòst: *Si a autem figura similitudinum harum de inferiori creatura ducun- r ad dispensationem Sacramentorum, eloquētia quadam est doctri- salutaris mouendo affectui accommodata, à visibilibus ad inuisibi- à corporalibus ad spiritualia, à temporalibus ad æterna.* Idem promus multiplici ratione, addentes etiam expressiùs priori nclusioni, quòd non solùm certæ & statæ res requirantur ad cramenta constituenda, sed etiam solius Dei sit determinare ssumere inter omnes creaturas quasdam specialiter ad tam ctum officium.

Aug. Ep. 119

Et primùm, de Sacramentis nouæ Legis ita docemus. Nulreatura habet à natura sua, vt possit sanctificare hominem. rgo supra creationis rationem habet aliunde concessum. mo autem vim sanctificandi conferre potest in aliud, qui sanctificare non potest. Igitur cùm concessum sit ab omis, neminem pręter Deum per se posse sanctificare, id quosequetur, solum Deum creaturas ad officium sanctificanis assumere. Ad hoc autem ordinantur Sacramenta, vt hoes internè sanctificent. proinde à solo Deo vel Christo res rminantur ad conferenda Sacramenta. Hæc ita explica-. Si aqua, panis, oleum, & similia haberent in se ex se natun vim ad gratiam sanctificantem conferendam, non esset s deputatione & determinatione eorum ad eum vsum per iam potestatē Diuinam vel humanam. Nam ea, quæ prosunt naturæ eorum, vt lauare, pascere, linire corpora, inrenter sine cuiusquam assignatione quotidie faciunt. sed eadem, vt cùm corpus tangunt, cor abluant, animam passpiritum foueant, quia per suam insitam proprietatem nō

Res Sacramentorum Nouæ legis solus Deus determinare potuit.

1.

Cyp.

habent,ex inſtitutione & determinatione vt habeant, eſt neceſſe.De qua re vide Cyprianum ſermone de vnctione Chriſmatis.Et quia nõ in homine ipſo aut Angelo ſitum eſt,vt ex ſe gratiã tribuere poſſit,proinde nec illorũ eſt,quãtacunq; poteſtate in cœlo aut in terra pręcellant, gratiã iſtam creaturę externę annectere; & per conſequens,nec determinare aut præſcribere rem ad cuiuſlibet Sacramẽti nouę Legis materiã conſtituendam.

2\. Deinde,ſi hominis eſſet cuiuſcunq;,determinare res ad Sacramenta conſtituenda,tum poſſent homines præſcribere Deo, quibus rebus & rationibus deberet mortales ſanare & ſanctificare. Sed hoc per ſe abſurdum eſt,vt cùm Deus ſolus ſanare poſſit, pręſcribãtur illi tamẽ inſtrumẽta ſanationis per homines ſanãdos; & ita alligetur eius gratia per voluntatẽ alienã creaturis certis:cũ nec ipſe ſuã vim Sacramẽtis & rebus à ſe inſtitutis vnquã alligauerit.

3\. Rurſus,ſi in noſtra poteſtate poſitum non eſt efficere,vt à Deo iuſtificemur, vel pręſcribere quomodo redimamur; neq; quibus modis applicetur, aut quib⁹ inſtrumẽtis id fiat in nobis,decernere debem⁹,aut poſſum⁹.

Solus Deus Sacramenta inſtituit.

Huic autem tractationi immiſcet ſe illa quęſtio Theologica,qua diſputatur, nõ ſolùm de rebus & materia, vnde illę ſint determinatę, ſed de tota etiã inſtitutione Sacramentorũ: quæ propter has cauſas quas adduximus,neq; ad Eccleſiam,neq; ad Pontificẽ,neq; ad Conciliũ,neq; ad quamcũq; creatã poteſtatem pertinere poſſe,certiſſimè aſſeritur. Quod quia pertinere ſummopere videbatur ad Diuinam gloriã & noſtram ſalutem, agnoſcere vnde hęc beneficia profecta ſint, propterea tam ſtudioſè clamauit Baptiſta: *Hic eſt qui baptizat*, cõmonſtrans Chriſtũ: propterea tam diligenter admonuit Apoſtolus,ne quis aut Pauli,aut Cephę,aut Apollo, aut cuiuſquã mortaliũ baptiſmũ illũ eſſe diceret,qui Chriſti vi & poteſtate ſola cõſtaret. Quod etiã tam diligẽter notauit S.Auguſt. Tract.5. in Ioã.vt nõ dubitauerit dicere, Chriſtũ etiam cùm potuiſſet à ſe trãsferre in quẽcunq; hominẽ & poteſtatẽ & vim ſuã quam cõtinuò exercet in Sacramẽto, tamẽ noluiſſe aliud in hoc genere cuiquam

Io.1. 1. Cor.1. & 3. Aug.

commit-

committere prȩter ipsum ministeriũ, ne in homine, id est, nobismetipsis spem poneremus. Si autẽ in ipso ministerio, & vsu sorũ *iux potestatis homines nõ exercẽt*, sicut docet D. Ambros. de Pœnitẽtia lib. 1. cap. 7. sed ministerij prȩscripti officiũ explent: multò minus id cuiquã mortaliũ concedendũ est, vt instituẽdi potestatẽ habeat. Elegãter enim notauit D. August. Tract. 5. in Ioan. nuper allegato, sȩpè dici ab Apostolo *Euangeliũ meũ*, sed *Baptismũ meũ*, aut *Sacramentũ meũ*, nunquã. Deniq; tam apertè obtinuit iam eorũ Theologorũ sensus & sentẽtia cõmunis, qui asserunt, omnia Sacramenta nostra à Christo ipso suo ore esse mãdata & instituta, vt cõtraria opinio quorundã virorũ doctissimorũ, asserentiũ, extremã Vnctionẽ à Iacobo, & alia quȩdam alijs instinctu diuino instituta fuisse, sit planè explosa, & in Concilio Trident. Sess. 7. Can. 1. condemnata. vt, licet expressè Scriptura non commemoret, ea esse à Christo instituta, nec tempus aut rationem institutionis describat, quãdo tales creaturæ in hunc sacrum vsum assumptæ sint; nihilominus tamen certò credamus, Christum solum non tantùm panem & vinũ, et aquam, sed etiam Chrisma, & oleum suo mandato ad hunc sacramentalem vsum designasse: sicut & certos quosdã actus, ad Pœnitentiam, vel ad Matrimonium, vel ad alia Sacramenta essentialiter pertinentes. De qua re tota, sicut & de illa, An potuerit Christus potestatem Sacramenta instituendi communicare alijs, aliàs latiùs disputabimus. Nunc satis est probatum, ad nouæ quidem Legis Sacramenta constituenda, ab alio posse materiam conferri aut designari res, quàm ipso Deo, qui habet potestatem sanctificandi per easdem, eleuandi creaturas omnes ad spirituales & supernaturales effectus, quos ex prima creatione non habent.

At iam porrò est notandũ, hanc cõclusionem nostrã, quam Thomas, & post eum aliquot graues Theologi restrinxisse videntur ad Sacramenta nouæ Legis, pertinere etiam ad Sacramenta veteris Legis: non quòd eorum effectus fuerit tam excellens, aut ipsa instrumenta gratiæ fuerint, sicut hęc nostra;

Amb.

Con. Trid.

Infrà, cap. 49.

Res etiã Sacramentorũ veteris legis solus Deus potuit determinare.

ſed quòd & illa habebant effectum ſupernaturalem, & ſuprà quàm ex ſe vllę creaturæ in animis hominum operari potuerint. Dabant enim illa omnia imprimis mundiciem legalem, quam nec ſanguis, nec cinis, nec aqua, nec alia quæuis creatura à natura ſua præbere potuit; Imò quam nec homines vlla humana authoritate dare queant. Sicut enim mortales non poſſunt facere legem aliquam, vnde aliqui ita ſint immundi: ſic neque remedium ad eam impuritatem tollendam ex ſe prębere poſſunt. ſed qui legem condidit vnde illa impuritas & peccatum legale oriebatur, Deus eſt. Ergo ipſe ſolus potuit determinare creaturas ſenſibiles ad talem effectum producendum. Tenebant ergo ſupradictæ rationes etiam in Sacramentis veteris Legis ſuo modo. Sed non ſolùm propter vim & efficientiam vel gratię in noſtris, vel legalis purgationis in illorum Sacramentis, ſed etiam propter ſolam ſignificationem gratiæ, quam omnibus eſſe communem diximus, debebant à Deo etiam vetera Sacramenta determinari. Cùm enim ſolus Deus reuelauerit mortem & Paſſionem Chriſti, eiuſque ad nos ſanctificandos applicationem, nec eam cognitionem ex ſe homo habuerit: debebat neceſſariò accipere à Deo ipſo, in quibus factis, creaturis, ceremonijs, & Sacramentis, illud prædiceretur. Id autem præterea duabus maximè de cauſis fieri debuit. Prima eſt: quia licet ſit in creaturis aptitudo quædam ad ſignificationem effectuũ ſpiritualium, tamen iſta aptitudo non niſi à Diuina inſtitutione determinatur ad peculiarem effectum. Habet enim aqua ex natura ſua vt mundiciem denotet: ſed vt determinatè animæ à peccato originali purgationem & hominis ſanctificationem repræſentet, id eſt diuinæ tantùm inſtitutionis, per quam eleuatur hæc creatura ſupra naturæ cõſuetudinem, non ſolùm quoad vim operandi, ſed etiã ſignificandi.

Supra. cap. 3

Secunda cauſa eſt: quòd omnia Sacramenta (vt antè probauimus) ſignificent gratiã practicè, hoc eſt, vt in actu ſanctificandi. quæ ratio ſignificandi non poteſt vllo modo exiſtere in creatura, ex aptitudine generali ad repręſentandũ aliud à ſe. Ideoq;

quam

uamuis liberè possèt homo vti quauis creatura in ceremonia
d memoriam cuiuscunque beneficij Diuini, tamen maius est
oc, determinatè significare idem vt operans & efficiens gra-
am atque sanctitatem in animis hominum: præsertim vbi a-
io circa creaturam, in qua est significatio, nihil conferat ad
lem effectum producendum.

Est autem præterea aliud argumentum à scholis passim ad
inc rem quam tractamus, arreptum, ex eo quoque respectu
i & materiæ Sacramentalis, quo assumitur ad ceremoniam
que cultum. Est enim in Sacramento vnum quod nos Deo
æstamus, dum illum per creaturam suam colimus: Est alterũ
iod ipse nobis præstat sanctificans nos ad vsum creaturę suæ.
cut igitur in illius potestate est & determinatione, quo mo-
& quibus rebus nobis velit sanctificationem impertire (de
o nos iam multa diximus:) Ita videtur istis, ab illo solo esse
nẽdum, quibus etiam rebus atque ceremonijs coli velit aut
beat ab hominibus. Quod Hæretici vrgent magis, propter
nnatam à Paulo ἐθελοθρησκείαν, hoc est, spontaneum & vo- Col. 2.
itarium cultum; & ab ipso Christo reprehensum eum cul-
n, qui ex doctrinis & mandatis hominum profectus sit: cùm Mat. 7.
ıen re vera nõ tam efficaciter probetur ex hac ratione cul- Cultus.
, qui multò liberior esse potest, & semper fuit, quàm quod-
aliud Religionis Christianæ officium. Modò enim nõ erres
atione colendi, neque aliud facias cultus obiectum, quàm
ım Deum tum cùm latriam exerces, & si præcepta Diuina
nternum cultum externa tua non lædant, sed promoueant
gis, & denique si tua in hac re inuenta ab Ecclesia Dei ap-
bentur: hîc tibi nec aduersabitur Paulus, neque Christus,
ue vera ratio cultus; præsertim in noua Lege, vbi Hæreti-
ninimè omnium putent, & velint. vbi & Idololatriæ est mi-
periculum, quàm in populo Iudaico, & Ecclesiæ est maior
ıoritas; quæ ad cultum Religionis sine omni exceptione
est quibuslibet creaturis vti. quod tamen Hæretici solent
ellare *studium vel cultum creaturarum*, nõ ponentes discrimẽ

inter id quod est *colere Deũ per creaturas*, & *colere pro Deo creaturas*; cùm eidem Ecclesiæ falsissimè impingant earum rerum omnium adorationem, quas ad Religionis vsum diuina authoritate sumpsit: eadem opera Deum ipsum blasphemantes, qui ad summum Religionis actum, id est, sacrificium, semper creaturas certas addixerit, vtpote sine quibus externus cultus nullus esse potest. De qua re posteriùs contra Porphyrium & Hęreticos nostros erit nobis cõmodior sermonis locus. Dicimus ergo, quòd si nulla esset alia consideratio in Sacramẽtis, quàm ea, quæ est de cultu quem in eis Deo exhibemus, tanta & tam determinata rerum præscriptione non fuisset opus. Sed nunc cùm in illis præcipua ratio sit sanctificationis nostræ quã Deus ad illa operatur, quę nullo modo à nobis sed ab ipso dependet; hæc rerum determinatio diuinę institutionis vt sit, necesse est.

Infrà, cap. 22. & 26.

Res etiam Sacramentorum legis Naturæ solus Deus determinauit.

Neque verò hæc rerum ad Sacramenta necessariarum tam certa determinatio solum pertinet ad Sacramẽta noui vel veteris status, hoc est, temporis Legis scriptæ, sed etiam ad ea Sacramenta quæ in lege Naturę fuerunt; quum & ipsa, licet aliàs liberrimus fuerit tunc temporis populus Patriarcharũ in cultu constituendo, sine Diuina reuelatione nunquã fuisse suscepta iudicemus. Et de Circũcisione quidẽ perspicuũ est, eam, sicut & nostra, apertis Dei omnipotẽtis verbis Abrahamo fuisse mandatã. Reliqua verò licet nõ tam apertè, tamẽ omnia peculiari instinctu Adamo primùm, deinde alijs populi Patribus à Deo fuisse tradita, & postea ab illorũ filijs frequentata arbitramur. Vnde nobis nõ solùm sacrificia duorũ fratrũ primorũ, sed multò magis holocausta Noë, & sacrificiũ Iob pro peccatis filiorũ atq; amicorũ, & alia huius generis in lege Naturæ innumera. Est autẽ hic obseruandũ, eã fuisse rum instituẽdarum Ceremoniarũ aut Sacramẽtorum rationẽ, quę fuit reuelationis rerũ credendarũ atq; agendarũ. Debebant enim ritus & Sacramẽta cõformari legi. lex autẽ tunc scripta non fuit, neq; exteriùs mãdata, sed inscripserat eã Deus cordibus eorũ, qui tunc propterea cũ Patribus, sicut ipsi cũ eo, familiariter ambulasse dicitur.

Gen. 17.

Gen. 4.
Gen. 8.
Iob 1. & 42.

icitur.Neq; opus fuit tunc cũ lex Naturę multùm vigebat & erfectè lucebat in cordibus hominũ, neq; adhuc esset pecca-s extincta,externa legis promulgatione aut scriptura aliqua, el ad Sacraméta, vel ad alia quæuis Religionis officia coléda. ed ea postea familiaritate cum Deo rupta, & naturę admoni-one per peccatũ extincta,tunc tandẽ ne errarent homines in de & Religione, Legẽ & Mandata scripta dedit: Vnde cũ cæ-ra ad colendũ Deũ officia, tùm maximè ad remedia peccati acraméta suméda erãt. quod etiã in noua Lege eaten⁹ obser-ıtũ est,vt licet nõ omnia ex scripto,tamen nulla Sacramenta si ex Christi legislatoris nostri expresso mandato, instituta se credamus.

Et hactenus,quomodo & qua authoritate *Res*,quas diximus e pro materia Sacramẽtorũ,sint ad tam sacrũ vsum Religio-s assumptę,declarauimus.Quid autem cõtra hęc à prophanis ijci soleat,dicemus, posteaquã de Sacramentorum verbis & rma fuerit paucis pertractatũ. de quibus agemus hoc ordi-: Primùm docebimus, esse verba in omnibus Sacramentis uæ Legis.Secundò,esse determinata atque stata verba.

Infrà,cap. 22.& 26.

Omnia Sacramenta nouæ Legis,etiam verbis constare.

CAP. XVIII.

Enit autẽ in vsumTheologorũ,licet expressis Scriptu-rę aut sanctorũ Patrũ vocibus non tradatur, vt ita partes Sacraméti enumerentur,vt dicatur cõstare *rebus & ver-* partim ex D.August.Tract.80. in Ioanné, super illa Salua-s verba Ioã.15.*Vos mũdi estis propter sermonẽ meũ:* partim ve-quia colligitur ex Scriptura,vbi Paulus de Baptismo agens, partes ita cõmemorat, vt rem dicat *lauacrum aquæ*, formã *verbum vitæ.Mundans*(inquit)*Ecclesiam lauacro aquæ in ver-itæ*.Quod D.Chrysost. atq; reliqui tã Gręci,quã Latini pe-mnes interpretãtur de verbo Sacramẽtali,excepto Hiero-o,qui vult hîc intelligi per *verbũ vitæ* Scripturã sacrã. Sed refert,quũ ad tria Sacraméta,in quib⁹ primũ est Baptisma

Aug.

Eph.5.

apertè

apertè ex Scripturis probetur necessitas non solùm rei, sed etiam verbi. Primùm in Baptismo (inquam) requiritur præter lotionem externam expressa inuocatio Trinitatis, sicut perspicuum est ex Marci cap. vltimo. Ergo illud Sacramentum non solùm institutum est in re, sed etiam in verbo. Secundò, in Sacramento Eucharistiæ Christus nō solum fecit accipiendo panem, sed & dixit consecrando panem, vt patet ex tribus Euangelistis & D. Paulo. ergo & hoc Sacramentum constat verbo non minùs quàm externo elemento. Tertium Sacramentum, ad quod è Scriptura expressa requiritur verbum, est extrema Vnctio. Nam pręter oleum & inunctionem, apertè D. Iacobus indicat, id fieri debere *in nomine Domini*. Vbi etiam verbum Sacramētale appellat *Orationem fidei*. In his tribus igitur propter apertam Scripturam nulla esse potest dubitatio. In Pœnitentiæ Sacramento, colligitur quidem ex vltimo Ioannis & 16. Math. quòd remissio peccatorum fiat in verbo aliquo sacerdotis, propterea quòd illa authoritas retinendi & remittēdi peccata, soluendi atque ligandi, quomodo ab homine sine verbo exerceatur, vix intelligi potest: cùm & Christus ipse, dum hoc opus diuinum exercuit in terra, verbo fecerit huiusmodi, *Remittantur tibi peccata tua*. Scio quidem, quòd Scriptura narrans datam esse Apostolis authoritatem condonandi pęccata, non cogatur expressè propterea continere, vt eam exercerent solummodo per verba; quoniam, si Deus ita voluisset, peccatum remitti potuit per solam impositionem manuum, aut aliquod aliud externum signum: sicut remittuntur venialia in Aquæ consecratæ aspersione sine omnibus verbis, & (vt quibusdam placet) ex opere operato. Sed tamen in nullo alio signo tam benè authoritas Iurisdictionis, per quam remittunt sacerdotes in hoc solo Sacramēto, potuit exerceri aut indicari, quàm per verbum iudiciorum proprium, *Ego te absoluo, &c.* Propter hæc ergo dicimus, quòd legitimè colligitur è Scriptura, verbum requiri ad hoc etiam Sacramentum. Reliquorum verò trium, Confirmationis, Ordinis, & Matrimonij, verba quibus conficiuntur

Mar. 16.
Mat. 26.
Mar. 14.
Luc. 22.
1. Cor. 11.
Iac. 5
Io. 21.
Mat. 16.
Luc. 5.

iuntur aut administrantur, neque sunt expressa in Scriptura, eque è Scripturis, ad hæc requiri omnino verba, colligitur. ed id profectum est à traditione Apostolica, non quòd illi in-ituerint, sed quia à Christo verbo & mandato acceperint, & cclesiæ tradiderint, non solùm, ista (sicut & cætera quæ enu-erauimus) esse ab illo pro veris Sacramentis instituta, sed e-am nec ea perfici posse sine rebus & verbis. quod est iam post lorent. Concilium certa fide tenendum. quod antea tamen tustiores Theologi quidam, propter Pœnitentiæ & Matri-onij Sacramenta, in quibus materiam & formam non per-exerunt, vehementiùs denegarunt; præsertim animaduer-ntes, quòd ad rationem Sacramenti in communi verba non quirantur; quum veteris Legis Sacramenta, nulla habuisse entialia verba putentur, licet in administratione eorũ atque iquâ ceremoniâ circa eadem factâ, quædam populi benedi-ones extra rei substantiã adhibitę interdum fuerint. Et pro-rea frustra quidam se fatigant, dum quærunt verba vel for-m Baptismi Ioannis. Quę ceremonia si Sacramentum esset non fuit) cùm in his non sit quæ nouæ Legis Sacramenta untur, vt verborum aliquâ præscripta forma perficeretur, erat necessarium.

Baptismus Ioannis.

Neque verò putandum est, hæc tria vltima Sacraméta ver-non confici, quia nomen habent ab actione apud Veteres, icantur vel *Manuum impositiones*, vel *Chrismatis consignatio-* & similia: quia & hæc quæ habent ex Scriptura aperta ver-amen sæpiùs ab actione atq; externo elemento nominan- Hinc Baptismus lotio, non inuocatio Trinitatis appella- Eucharistia fractio panis, non benedictio vel consecratio s. Maluerunt enim primi Patres Religionis nostræ palàm e illam partem cerçmoniæ, quę in actu externo & indif-nti rerum sensibilium consistit (vnde Mysteria minùs in-gerentur ab Ethnicis, & minùs ad irrisionem imitatione a traherentur) quàm illam sacratiorem partem, quæ ver-ontinetur. In qua parte & maior est ad sanctificationem

De Nomenclaturis Sacramentorũ.

Celatio mysteriorum.

K vis, &

vis,& ad Myſterij ſignificationē ratio apertior. Hinc magnus Dionyſius cùm multa de Sacramentis in lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia diuinitus diſſeruiſſet, randem in fine libri ſe excuſans D.Timotheo,quòd verba quibus illa conficerētur,ſcripto nō tradidiſſet,ita loquitur: *At verò*conficientes cōſecrationis preces fas nō eſt ſcripto interpretari,neq; eorū arcana in publicū efferre, ſed,ſicut noſtra habet traditio, ſecretioribus inſtitutionibus ſunt haurienda.*H æc ille. Ex qua etiā diuina obſeruatione factum eſt,vt verba quorundam Sacramētorum, præſertim Euchariſtiæ,vbi prophanationis maius periculum eſſe poſſit,etiam inter Chriſtianos non niſi ſub ſilentio adhibeantur. Igitur ad propoſitum noſtrum dicendum eſt,Scripturā & Patres,dum quædam Sacramenta ad myſteriorum occultationem ab actu tantùm externo, eoq; ſæpè etiam ad Sacramentorum rationē non neceſſario,nominant,tamē illa appellatione totā ceremoniæ Sacramentalis ſubſtantiam in verbis & rebus poſitam continere. vt,cùm multa Sacramenta nominētur ab *impoſitione manuum*, propter morē adhibēdi manus ad capita eorum quos per varia Sacramēta ſanctificabāt, tamē in eadem actione & appellatione ſubintelligātur & verba cum materia ſingulis Sacramentis cōpetentia. Hinc Chryſoſt.in cap.20.Ioānis,elegāter inſinuās in abſolutionis ritu,qui tunc etiā *Impoſitio manuū ad Pœnitentiā* vocabatur,requiri certa verba, dicit, Spiritū Sanctū, cuius eſt ſolius remittere peccata, vti ad abſolutionē pœnitētis *nō ſolùm manu,ſed & lingua ſacerdotis.*Ita præclariſſimè D.Ambroſius appellat eā impoſitionē manuū Preſbyterij, quæ apud Paulū ſignificat ſacros Ordines,ipſa verba myſtica. *Quibus*(inquit)*verbis accipit authoritatē ſacerdos,vt audeat vice Domini ſacrificiū Deo offerre.*Hęc ille in cap.4.Epiſt.1.ad Timoth.De qua re vidē etiā Conciliū Mileuitan.cap.12.impoſitiones manuū appellās *preces quæ dicūtur.*Omniū autē optimè de hoc Sacramēto D.Hieronym.in cap.58.Eſaię,vbi appellat χειροτονίαν *Ordinationē Clericorū,quæ fit*(inquit)*& ad imprecationē vocis, & ad impoſitionem manus*, quam imprecationē à quibuſdā clandeſtinā ipſis quoq; ordina-

Dionyſ. Areop. Cap.7. par.3.
*τὰς τελεσικὰς ἐπικλήσεις.
Chryſoſt.
Amb.
Con.Mileu.
Hieron.

rdinatis factã esse,eodẽ loco reprehẽdit. Idem dicendũ est de
acramẽto Cõfirmationis: quòd & ipsum licet impositio ma-
nuũ,vel cõsignatio, vel cõfirmatio, vel Sacramentũ Chrisma-
s antiquitus vocetur;nec de eius alia parte, quàm materiali, à
nctissimis Pontificibus Clemẽte,Fabiano,Melchiade, etiam
m cũ de industria super hoc Sacramento sanctissimas leges
onderẽt,mẽtio fiat:tamẽ alij antiquissimi Patres,etiã in huius
crамẽti administratione adhibitã fuisse verborũ formã, pla-
doceant. Nam & D.Leo serm.4.de Natiuitate Domini,ad
rba quibus nũc Ecclesia ex antiqua traditione vtitur, apertè
udit,& apertiùs D. Ambrosius de ijs qui initiãtur mysterijs
p.7.& lib.2.de Sacramẽtis cap.7.Libro verò 3.de Sacramen-
cap.2.planè dicit,hoc Sacramentũ Cõfirmationis dare Spi-
ũ Sanctũ per inuocationẽ sacerdotis.Ita enim dicit:*Spiritua-*
ignaculum post fontem Baptismi superesse, vt perfectio fiat, quãdo
inuocationem sacerdotis Spiritus Sanctus baptizatis infunditur.
ec ille.Vbi notãdum est,quòd illud solemne verbum, quòd
Sacramento omni requirimus, olim frequenter appellaba-
inuocatio Nominis Dei vel *Spiritus sancti*.Sicut Cyprianus in
ct.ad Iubaianum, de hoc ipso Sacramento loquens, dicit:
mpositione manuum inuocatur & infunditur Spiritus sanctus su-
baptizatos, Similiter & D.Hieronymus appellat hoc Sacra-
ntum Confirmationis, *impositionem manus ad inuocationem*
itus sancti factam per Episcopum,in Dialog.cõtra Luciferian.
em obseruandũ,olim quoq; à veteribus formã verborũ in
libet Sacramẽto solitã appellari imprecationẽ, vel depre-
onẽ,vel precẽ mysticã, tam super elementũ, quã super ho-
ẽ suscipientẽ:vt à D.Hieron.in eodẽ dialog.& super 58.ca.
. Vnde & D.August.lib.5.cap.20.de Baptismo cõtra Do-
tas: *Audit Deus*(inquit) *homicidã deprecantẽ vel super aquam*
ismi,vel super oleũ,vel super Eucharistiã,vel super capita eorum
manus superimponit.Et videtur hoc à D.Iacobo desumptũ,
rbũ Sacramẽti nõnunquã in antiquitate *oratio* vel *precatio*
tur;nõ illa quidem tam pro homine(vt volunt Hæretici)

Leo. Ambr. Cyp. ep. 73. Hier. Hier. Aug.

quàm ſuper hominem,vel ſuper elementum, vt diximus. Sic Auguſt.Lib.3.cap.16.contra Donatiſt. de Baptiſmo,vocat vnũ ex his Sacramentis, quæ ad impoſitionem manuum fiebant, *orationem ſuper hominem.* Quanquam negandum non eſt, illas formas verborum, quæ nonnunquam conceptę ſunt per modum petitionis aut precis (ſicut fit in Sacramento Extremæ vnctionis,vbi verba ſunt deprecatoria) poſſe non ſolùm dici orationes ſuper Sacramenta vel homines, ſed etiam orationes pro hominibus: nõ tamẽ in ſenſu Hæreticorum, qui propterea putant eas nõ eſſe infallibiliter efficaces, aut ex opere operato validas,quia ſunt deprecatoriæ: ſed contrà,ſic vt ad talem precem ex inſtituto Dei neceſſariò ſequatur effectus,vbi ſuſcipiens Sacramentum eſt diſpoſitus.Ex quo valde probabile eſt, id quod Lucas,Act.8.dicit de Apoſtolis *orãtibus pro quibuſdam baptizatis vt acciperent Spiritum ſanctum*, & ſtatim imponentibus eis manus, intelligendum eſſe de verbis adhibitis ad ipſam formam Confirmationis: quanquam intelligi poſſe de aliqua ceremoniali prece extra Sacramenti ſubſtantiam nõ abnego. Sic enim Auguſt.Lib.6.de Baptiſmo cõtra Donatiſtas cap.25 diſtinguit in Baptiſmo duo genera verborum: vnum quod eſt in ceremõnia antecedente vel ſubſequente ipſum Sacramentum, quod appellat precem qua vel ipſa aqua conſecratur ad vſum futuri Sacramenti,vel ſolemnitates reliquæ peraguntur. Alterum eſt,quod ad ipſam ſubſtantiam Sacramenti pertinet, ſine quo Baptiſmus conſecrari non poteſt:& hoc appellat eleganter *verbum Euangelicum*, *quo Symbolum*, id eſt, Sacramentum, *conſtat.*

Act. 8.

Aug.

Ne quis autem hîc remaneat cuiquam ſcrupulus de Matrimonio: ſciant ſtudioſi, dubium non eſſe de illo Sacramento, quin confici nõ poſſit ſine verbis, quum poſitum ſit à Chriſto in naturali officio & contractu inter duas perſonas;quem contractum impoſſibile eſt fieri ſine verbis, aut ſignis æquiualentibus. Mutuus enim perſonarum conſenſus in ſeinuicem ſine his rationibus,nec alijs nec ipſis cõtrahentibus cõſtare poteſt.

Aſſumens

Assumens ergo Christus hoc officium naturæ ad Sacramentalem rationem, simul etiam assumpsit communem formam verborum vel signorum, quibus apud omnes Gentes talis contractus & cōsensus duorum declaratur & perficitur. Cùm igitur etiam ad hoc Sacramentum requiratur verbum, concludimus tandem cū illa vulgatissima Augustini sentētia, Tract. 80. in Ioā. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Quod ab illo dictum particulariter de Baptismo, postea legitimè (vt ex his, quæ diximus, intelligi potest) traductum est ad omnia Sacramenta nouæ Legis.

De verborum causis.

CAP. XIX.

HIs ita explicatis, nunc causæ & rationes exquirendæ sunt, cur Deus voluerit Sacramenta nostra, præter reliqua externa, etiam Verbis constare exterioribus: ita, vt mente & cogitatione idem ipsum tantùm cōcipiatur & apcetur elemento quod debeat foris pronunciari, Sacramen- n nullum fiat. cùm tamen vetera Sacramenta, etiam ipsa rcumcisio, sine verbis ad substantiam necessarijs, veram ranem Sacramentorum habuisse videantur.

Prima causa est: quia debuit Sacramentum nouæ Legis exmere Institutorem. Is autem erat Verbum Patris vnitum sensibili, id est, humanæ carni, & externis verbis nos allo- ns, iuxta illud Ioan. 8. *Qui & loquor vobis.* Vnde Hymnus clesiasticus à D. Thoma compositus: *Verbum caro panem ve- verbo carnem efficit.*

Ioan. 8.

Secunda causa est, vt meliùs assimiletur & congruat homiui exhibetur, qui & ipse habet animam intelligibilem atq; bi capacem coniunctam visibili corpori. Quæ tamen ratio se non conuincit, cùm & Sacramenta antiqua rationalibus minibus administrata fuerint. Sed tamen congruentiam denstrat; quū in hoc nouo statu Christianæ Religionis multò gis ingenuè & liberè in ratione cultus tractentur homi-

nes, quàm in veteri statu, vbi seruiliter sub mutis signis seruiebant.

Tertia causa est ex ipsa ratione significationis, quæ debuit multò illustrior esse tùm, cùm mors & Resurrectio Christi atque cætera eius beneficia essent iam exhibita, vel vi etiam atque virtute præsentia, quàm olim cùm nondum eadem essent visa, sed prædicta atque expectata tantùm Verba autem multò magis propriè significare quàm res, docet D.August. lib 2. de Doctr. Christiana cap.3. Fundamentum verò huius rationis suppeditatur à D.Paulo cap.10.ad Hebr.asserente, veterẽ Legem habuisse rerum futurarum vmbram tantùm, hunc autem nostrum statum habere ipsam rerum exhibitarum imaginem.

Aug.

Heb.10.

Quarta ratio est ex ratione cultus externi, qui maximè & proprijssimè Deo exhibetur humana lingua & ore, quia *in hac benedicimus Deum*, vt inquit Iacob. Et propterea noluit Deus illum mutũ cultũ, neq; in sacrificio Ecclesiæ, neq; in Sacramẽtis. Vnde nõ solùm videmus, Sacramẽta omnia lingua humana perfici, & ita summopere cǫli Deum illa parte ceremoniæ quę verbis nostris cõstat; sed etiã ex hoc eodẽ iudicamus, ipsam rationẽ sacrificij nostri, quę in trãsmutatione panis vel hostię nostrę ad Dei honorẽ cõsistit (quod aliàs latiùs ostẽdemus) lingua humana fieri: sicut olim ad illũ supremũ sacrificij cultũ trãsmutabãtur & cõsumebãtur hostię igne, gladio, manu, vel cõsimili arte & instrumẽto. adeo vt nũc apertissimum sit, ad principalẽ Religiõis actũ qui à mortali homine fieri potest, *verbũ* & summũ Sacramentũ, & vnicũ sacrificiũ simul admirabiliter facere.

Iac.3

De Euchar. li.2.cap.15. & 19.

Quinta causa, cur verbũ sit magis peculiare nostris, est, quia ea (vt postea probabimus) habent vim efficiendi sanctitatem, cõferendi gratiã, atq; remittẽdi peccata. Illa autem efficacia ad diuina & supernaturalia opera faciẽda maximè attribuitur verbis; sicut & executio voluntatis Diuinæ in summis quibusque operibus vel Creationis vel Redemptionis, Verbo Dei peculiariter attribuitur. Hinc illud, *verbo Domini cæli firmati sunt*. Sic cùm hominibus miracula faciendi potestatẽ dedit, ea pręcipuè verbo

Infrà, ca.31. & 32.

Ps.32.

verbo fieri voluit; quum & Christus ipse verbo suo dæmonia eiecerit, peccata remiserit, Spiritum sanctum dederit. Quod cùm ita fuerit magna ex parte etiã in corporalibus sanationibus, tum multò magis cõgruebat, vt potestas in animas hominum nõ exerceretur nisi verbo. Et propterea cùm in omni Sacramẽto nouæ Legis homo per ministerium suum opus diuinum & supernaturale faciat, voluit Deus, vt hoc per verbum faceret. Quo verbo quia caruerunt Sacramenta veteris Legis, nõ operabãtur propriè in animam hominis, sed influebãt tantùm obscurè in externum sensum ad significationem rei futuræ, aut etiã præsentis gratiæ, quã tamẽ nullo modo efficiebant.

Mar. 9. Luc. 7. Ioan. 20.

Ex his consequenter notari potest sexta causa, quòd vis ista quã tribuimus Sacramẽto, licet ex toto Sacramẽto à Deo instituto proficiscatur, tamen oritur primariè ex forma, quę est cuiusq; rei actiua pars. & propterea totũ signũ, hoc est, Sacramentũ sanctificatur in verbo. Nam verbũ Sacramẽti vel est ipsius Christi oratio, tanquã in ipsius persona prolata; vt in Eucharistia, vbi sacerdos planè induẽs personã Christi, dicit super elemẽtum, *Hoc est Corpus meũ*: vel sicut in Sacramẽto Pœnitentię, vbi licet nõ personã induat, tamẽ eius vice fungitur, cũ dicit, *Ego te absoluo*: vel saltẽ, sicut in cęteris Sacramẽtis, consistit verbum in inuocatione superbenedicti nòminis Dei. quo nomine inuocato in verbo Dei, Paul⁹ apertè dicit omnẽ creaturam sanctificari. vt proinde dubiũ esse nõ queat, quin ex verbo simul & cõsecretur Sacramentũ atq; elementũ ipsum, & totũ destinetur ad hunc spiritualem vsum sanctificandi animas; eodemq; etiã temporis momẽto per totũ Sacramẽtum suscipiẽtes sanctificẽtur. Hinc D. August. sæpè dicit, nõ solùm hominẽ, sed & ipsum Sacramẽtum cõsecrari Christi verbis certis Euãgelicis, prȩsertim lib. 6. cap. 15. de Baptismo cõtra Donatist. & lib. 3. cap. 15. Idemq; sanctus Doctor acutissimè differẽs in hũc sensum 80. Tract. in 25. cap. Ioan. quærit, vnde vim habeat elementum aquæ, *vt corpus tangat, & cor abluat*? Et respondet in illo vno Sacramẽto Baptismi, quod nos facilè videre possumus in om-

1. Tim. 4.

Aug.

in omnibus reliquis, quorum in hac re similis est ratio: respondet (inquam) hoc nō fieri nisi ex verbo. Cur enim diceret Saluator (inquit) *vos mundi estis propter verbum quod loquutus sum vobis*; & non propter aquam, aut Baptismum in quo loti estis: *nisi quia & in ipsa aqua verbum mundat. Nam detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua?* Et paulò pòst: *verbo fidei ergo sine dubio consecratur & ipse Baptismus, vt mundare possit. Dicit enim Apostolus mundari Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ. Mundatio igitur* (inquit August.) *nequaquam fluxo & labili elemento tribueretur, nisi adderetur, in verbo.* Quem commentarium Augustini imitatus (vt in omnibus) Anselmus super cap. 5. Ephes. dicit: *Verbum Baptismi esse quod per inuocationem Diuinitatis profertur super aquam, & consecrat Sacramentum.*

Eph. 5.

Anselmus.

De loco Augustini Tract. 80. in Io. vbi de verbo Sacramenti agit.

CAP. XX.

Caluinus.

SED hîc insurgit aduersum nos Caluinus duobus modis ex hoc Augustini loco. Primùm, ad probandum, verbum Sacramenti non esse aliud quàm verbum prædicationis: quia August. appellat illud verbum vnde vis Sacramento oritur, *verbum quod prædicamus*, & *sermonem Christi*, & *verbum fidei*, itemq; *verbum vitæ*. Subsumit nunc Caluinus: sed hæc sunt pertinentia omnia ad prædicationem verbi Dei: ergo non est aliud quo consecratur Baptismus, vel in quo consistit, quàm aqua & verbum concionale vel catechismus. Respondemus, D. Augustinum non intellexisse, sermonem Christi aut verbum fidei prædicatum ab Apostolis esse (per se & generaliter sumptum) satis ad mundandum hominem & consecrandum Baptisma: sed hoc vult, illud verbum fidei annunciatum hominibus per Christum & Apostolos maximè contineri confessione sanctissimę Trinitatis, quæ propriè est totius fidei nostræ obiectum. & propterea vult, applicari per hanc breuissimam, sed potentissimam verborum formam, totum verbum fidei & sermo-

nonem Christi: qui hîc in compendium redactus, & con-
tis verbis applicatus ad elementum & suscipientem, dici-
verè & verbum fidei, & forma Sacramenti. Ex quo fit, vt
ptisma *Sacramentum fidei* appelletur, vtpote in cuius forma,
e est confessio & inuocatio Trinitatis super homines, fides
repræsentatur, & suscipienti donatur. Et hunc esse sensum
ugustini quem diximus, & quòd loquatur de statis Sacramẽ-
verbis, cùm de sermone mundante & verbo prædicationis
que fidei disserit, illud apertè probat, quòd hîc de illo verbo
angelico agat, sine quo dicit non consecrari Baptismum; de
o verbo quod pronunciatur, recitatur, vel accedit ad elemẽ-
m; de eo certo verbo, quo sublato vel detracto, hoc est, non
hibito aquæ, asserit aquam nihil esse aliud quàm naturalem
quam, fluxum & labile elementum. Quæ omnia intelligi non
ossunt de verbo aut catechizantis, aut concionãtis, aut etiam
Christi instituentis. Nam ex Catholicis etiam sunt, qui inter-
retantur hunc locũ Augustini de verbo institutionis, sed ma-
è. Hæc enim omnia præcedunt, & non accedunt ad Sacramẽ-
um vel elementum. Deinde inuincibilis ratio est ex eodem
ermonis contextu, quòd non loquatur de prædicatione; quia
modus quo accedit verbum prædicationis ad Sacramentum,
solùm potest esse per instructionem & doctrinam. Sed verbũ,
de quo Sanctus Pater loquitur, operatur in ipsum elemẽtum,
itemq; in infantem; quorum neutrum est capax instructionis.
Hoc enim verbum fidei (inquit August.) *tantùm valet in Ecclesia
Dei, vt per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem,
etiã tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem credere.*
Vbi non obscurè docet Lectorem attentum, quòd quicquid
faciat aqua, vel minister etiam credens, vel quæcunq; actio cir-
ca baptizandum infantem, ad illius mundationem: hoc totum
ita per hæc fiat, vt tamen ad verbum, vnde istorum vis oritur,
referri debeat. Dicit enim August. *& hoc totum fit per verbum*;
quasi diceret, Aqua mundat, minister credens mundat, offerẽs,
tingens, benedicens mundat; sed tamen hæc omnia non nisi

L ex ver-

ex verbo. Non ergo quæſtio eſt, vbi ſit vis. Eſt enim in totō Sacramento, & in ſingulis partibus: ſed quæſtio eſt, vnde ſit cuique parti vis.

Sed obijcitur rurſum à Caluino & Hæreticis ex eodē loco, quòd nec ipſum verbum habeat vim mūdationis, ſed ſolam fidem illud præſtare. Probant autē ex hoc ibidē Auguſtini celebri dicto: *Verbū mundat, nō quia dicitur, ſed quia creditur.* Ergo ad ſanctificandū ſuſcipientē nulla eſt virtus in verbo, ſed in ſola fide, vel credente. Sed quòd Auguſt. non requirat ex his verbis fidem in ſuſcipiente, planum eſt ex eo quòd dicit, *per verbum mundari infantem*, & quòd de induſtria addit, *non valentem credere.* Neque poteſt intelligi de fide Miniſtri, quia eam Auguſtinus nunquam requirit, ſicut patet in omni diſputatione contra Donatiſtas. Neq; poteſt intelligi de fide offerentium, hoc eſt, parentum aut amicorū, quorū ſtudio ducuntur infantes ad Sacramentū; Quam fidē offerentiū idem Doctor Epiſt. ad Bonifaciū dicit nō eſſe neceſſariā. Ergo quomodocunq; intelligatur, nihil adiuuabit Hęreticos ad deſtruendū vim formæ Sacramētalis; aut ad conſtituendū, ſolam fidē operari in Sacramentis. Quidam ergo docti Theologi id tantùm volūt Auguſtinū dicere, Sacramentū nō operari, niſi etiā adſit fides aut propria in adultis, aut aliena in paruulis: Ac ſi diceret, fidē eſſe neceſſariā diſpoſitionē, vt verbū operetur. Qui licet in hoc verum dicāt, & hæreticos vtcunq; coërceāt, tamen (ſaluo meliori iudicio) mentē Auguſtini nō attingunt: Quia illud Doctor nō agit, quid requiratur in ſubiectiua vel materiali, aut diſponētibus, vel etiā miniſtrātibus cauſis; ſed tantū inueſtigat, vnde ſit virtus operās ſiue in elemēto, ſiue in verbo, ſiue in toto Sacramēto. Catholici autē debemus ſtudioſè cauere, ne admittam' fidē in partē Sacramēti, aut vt ſit cauſa operatiua in Sacramento, ne ex hoc fortè eueniat, etiā Sacramēta veteris Legis eodē modo operari ſalutē, quo noſtrà, per vim ſcilicet adiūctæ fidei. Proptereaque dicendum nobis eſt, quòd fides ſit tantùm qualitas diſponens ſubiectum, vt non fruſtrà vſurpetur Sacramentum; &

Epiſt. 23.

tum;&

tum; & non quòd ea ſit quæ dat vim verbo, quod vnà cum elemento operatur ex opere operato. Propter quam cauſam non auſim dicere, etiam fidem Eccleſiæ eſſe qualitatem operatiuã in Sacramento, ſed potiùs diſpoſitiuam ſubiecti aut Miniſtri.

Quid ergo vult Auguſt. cũ dicit, verbũ nõ operari, *quia dicitur, ſed quia creditur*? Certè hoc vult: duo eſſe in verbo Sacramentali: Vnũ quod in literis, in ſono, in ſyllabis exiſtit, quod in verbo externũ atq; ſenſibile eſt; quod totũ eſt creatura cõmunis, ſicut aqua; & nõ eſt magis efficax ex natura ſua in mũdatione, quã ipſa materia; habetq; ſonũ & virtutẽ tranſeuntẽ. Sed alterũ eſſe in verbo Sacramẽtali, quod eſt ſpirituale, quod habetur ex inuocatione & nomine Sanctę Trinitatis. Quę ſpiritualis benedictio aut virtus procedẽs ex re inuocata per externũ verbũ, eſt remota ab omni ſenſu humano, & tantũ fide percipitur; & propterea ab Auguſtino dicitur *illud quod creditur*, ſeu *verbũ fidei*: ſicut cõtrà, illũ externũ ſonum ſyllabarũ vocat *illud quod dicitur*. In ſumma ergo, hoc vult, aquã habere vim, ſed ex verbo: rurſum, verbũ habere vim, etiã externũ; ſed non ex ipſis literis & ſono, ſed ex interna benedictione quę proficiſcitur ex Spiritu inuocato. Et hoc egregiè inſinuat cũ dicit: *Nam in ipſo verbo aliud eſt ſon⁹ trãſiens, aliud virtus manẽs.* Vnde & Saluator videtur in Euãgelio nominare verbum ab hac ſpirituali parte *Spiritũ*, cùm dicit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.* quia hęc ſpiritualis gratia atq; virtus procedẽs à Deo in totũ Sacramentũ per verbi formã, eſt veluti anima externi verbi fœcundans illud ſimul cũ aqua ad regenerationẽ animarũ. Quod ergo Saluator appellat *Spiritũ* in Baptiſmo, hoc Auguſt. appellat *id quod creditur*, hoc eſt, ſpirituale, ſubiectũ fidei, & nõ viſui aut vlli externo ſenſui. Sic omne verbũ operãs, dum miracula perpetrantur, virtutẽ habet ex ea parte qua ſpirituale eſt. Sicut videmus in nomine *Ieſu*, quod vim habet operãdi miracula, non ex literis externis aut ſono ſyllabarum, ſed ex ſpirituali vi illi adiuncta, quæ ſola fide percipitur. quod appellatur à Petro Act. 3. *fides nominis eius*; Et hîc ab Auguſtino *verbum fidei*;

Ioan. 3.

Luc.5. & à Iacobo *oratio fidei*; & aliquando ab August. *fides*, nonnunquam *spiritus* appellatur.

Quòd determinata verba requirantur ad nouæ Legis Sacramenta.

CAP. XXI.

PRoximvm est vt probemus, non solùm verba esse necessaria, sed requiri determinata & pręscripta verba. Quod primùm ex eo manifestum est, quia omnium Sacramētorum nō potest esse eadem forma, sed sua cuiq; peculiaris. Verba enim debent correspondere in significando materię, quę & ipsa diuersa est ad singula Sacramenta. Debent item verba Sacramentorum vnà cum rebus repræsentare peculiarem gratiæ effectum pro diuersitate cuiusque Sacramenti. Ex quo sequitur, quòd sicut quælibet res nō assumitur indifferēter ad quodlibet Sacramentum, sed diuersæ res ad singula propter diuersos effectus repræsentandos, vt aqua ad lotionem, panis ad pastum, & sic de cæteris: Sic nec quælibet verba sacrā rem significantia, sed ea sola, quæ & talibus materijs, & talibus effectibus, & talibus significationibus peculiariter conueniant. Non ergo communis aut indifferens Benedictio, Deprecatio, aut Inuocatio potuit congruè competere omnibus Sacramentis; sicut fortassis in veteri Lege bene precatū est populo aliqua solemni forma verborum, eaq; communi ad quemcūq; sacrū actum aut congressum populi. quod significatur Numer. 6. cùm traditur sacerdotibus hæc forma benedicendi populo ad vota, ad sacrificia, ad Sacramenta, & ad ceremonias quascunque: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui, &c.* Quo modo & hodie in Ecclesia Dei, dum dimittitur populus, sacerdos in nomine Trinitatis bene illi precatur. Ergo vt hoc cognoscamus, vnam communem inuocationem Trinitatis aut Christi non esse satis ad formas particulares Sacramentorum; statuimus, determinata verba requiri in singulis Sacramentis nostris, quæ & effectum particularem, &

Num. 6.

materiam,

materiam,& nonnunquam etiam miniſtrum,atque ipſum primarium agentem Deum expreſſè denotent. Ratio autem huius concluſionis in eo conſiſtit, quòd ſingulæ ſpecies rerũ circumſcribuntur, limitantur, diſcriminantur potiùs per formas quàm per materias. Igitur cùm Deus certas res & certas materias aſſumpſerit in Sacramentis ad peculiares effectus gratię ſignificandos, multò magis propter conficiendam eam ſignificationem congruebat, vt non quæcunque, ſed ſtata verba ad certas Sacramentorum formas ſumeret.

Notandùm ergo ſecundò, quòd determinatio iſta formæ Sacramentalis eſt in ſenſu, & non in numero aut poteſtate literarum,in ſono,in ſyllabis,aut idiomate. Ratio eſt, quia verba habent vicem formæ,non ratione literarum, ſed ſenſus ſignificati. & ille ſenſus eſt certus,fixus,præſcriptus, & in indiuiſibili conſtans,ſicut omnes formæ:in quibus quæuis additio vel corruptio mutat vel tollit ſpeciem. Ex quo ſequitur, tãtopere determinari verbum Sacramentale quoad ſenſum, vt quocunq; ille caſu,neceſſitate,negligentia,aut (quod peius eſt) ſtudio & induſtria,omittatur aut varietur; ipſa forma atque ratio Sacramentalis pereat.Hac igitur de cauſa credit Eccleſia Dei,Chriſtum ipſum inſtituiſſe ad ſingula Sacramẽta peculiares verborum formas. Id docet Euangelium expreſſè in Sacramentis Baptiſmi & Euchariſtiæ; & inſinuat non obſcurè in Sacramẽto Pœnitentiæ: quorum trium vſus & neceſſitas in populo eſt magis generalis.In reliquis idem feciſſe Chriſtum, Apoſtolica traditio atque Conciliorum authoritas docet.

Et hæc concluſio de certo, fixo & determinato ſenſu verborum ſeruando in ſingulis Sacramentis, facilè probatur antiquiſſimorum Patrum & praxi & authoritate. Praxi quidem, quia ex obſeruatione vel corruptione verborum definierunt eſſe,vel non eſſe verum Sacramentum de quo quęrebatur.Sic Irenęus cap.18.lib.1.inquirit in Baptiſmũ Colarbaſeorum mutantium formã à Chriſto pręſcríptam.Sic D.Athanaſius ſer.3. contra Arianos exigit Arianorum Baptiſmum ad Chriſti pręſcripta

Irenæus, Athan.

Aug. ſcripta verba. Sic D. Auguſt. lib. 3. contra Donat. cap. 15. docet Marcionis baptiſmũ tunc futurũ eſſe verũ Sacramentũ, ſi formam verborũ tenuerit. Ita Conciliũ Nicenũ tam Baptiſmũ, quã ordinationẽ Cataphrygarũ & Paulianiſtarũ propter corruptã formã reprobat. Ita Laodicenſe Conc. iubet examinari Arianos, qua forma baptizauerint, ſicut & Nouatianos & Photinianos; Cataphrygas verò propter apertẽ corruptã formam denuò baptizari, vel potiùs baptizari, ad Eccleſiã redeuntes iubet. vide Gratianum de Conſecrat. Diſtinct. 4. can. de Arianis.

Con. Nic. can. 15. Con. Laod.

2. Tertul. Idem probatur antiquorũ authoritate. Imprimis ex Tertul. aduerſus Praxeam, & ſæpè aliàs dicẽte, *legem tingendi nobis poſitam eſſe & formã præſcriptã.* Idem docet Cyprianus ad Iubaianũ dicens, *remiſſionem peccatorũ ex eo Baptiſmo nõ prouenire, qui non ſit datus in certa Trinitatis inuocatione.* Et Baſilius cap. 12. lib. de Spiritu ſancto aſſerit, *eũ à vita & gratia excidere, qui aliquid addit aut detrahit præſcriptæ formæ Baptiſmatis.* Sic Didym⁹ lib. de Spiritu ſancto: *Qui vnũ* (inquit) *de præceptis nominibus prætermittit, nec perfectionẽ Sacramẽti attingit, nec à peccatis hominẽ liberat.* Et D. Auguſt. lib. 6. cõtra Donatiſtas cap. 25. ait: *Certa ſunt verba Euãgelica, ſine quibus nõ poteſt cõſecrari Baptiſmus.* Et Epiſt. 23. loquitur de *recitatione verborum* Sacramentaliũ. Recitare autẽ dicimur ea, quę pręſcripta nobis & determinata ſunt ab alijs, & nõ à nobis liberè ex tempore prolata.

Cyp. ep. 73. Baſil. Didymus. Aug.

3. Adhuc tertiò probatur, eſſe aliquã conceptã formã in omnib⁹ Sacramẽtis, ex eo quòd Hęretici antiquiſſimi dum ſibi nouã fidẽ & rationẽ Sacramentorũ cõſtituunt, ſimul etiã cõceptas adminiſtrãdi Sacramenti formulas inuenerint & tradiderint. Sic horrendũ inuocationis ſermonẽ habuiſſe ſuper Euchariſtiã Marcũ principẽ ſectę Colarbaſeorũ, narrat Irenęus lib. 1. cap. 9. Et ca. 18. eiuſdẽ libri aliquot ſtatas formulas adminiſtrandi Baptiſmi refert ab illius ſequacibus ad imitationẽ Eccleſiæ inuẽtas, quas ibidẽ recitat; ſicut & alias prophanas dictiones quas adhibebãt ad imitationẽ Chriſtianorũ in Sacramento Chriſmatis. Et illud magnopere notandũ venit ex 2. cap. eiuſdẽ libri, tam fuiſſe ſtatã & ſolemnẽ

Irenæus.

ceremo-

ceremoniã impositionis manuũ administratę per D. Petrũ, vt Simon Magus illum artẽ magicã & incantatricẽ exercuisse ad dandũ Spiritũ sanctũ existimarit,& putauerit(sicut Irenęus refert)hoc factũ esse multò excellẽtiori scientia magica,quã qua miracula fecit;quã propterea tantopere expetiuit, vt pecuniã largiter obtulerit Apostolo,si artem illã sibi communicaret. Ex quibus videmus, huius tẽporis Hęreticos nõ solùm dissentire ab omnibus Patribus in eo quòd stata verba Sacramentalia nõ admittant, sed etiam impudentia superare omnes antiquos Hæreticos,qui semper ad imitationẽ Ecclesię Catholicę formas Sacramẽtorum vel nouas sibi finxerunt,vel veteres retinuerũt:in hoc solo sequentes Simonẽ Magũ,quòd solemnes actiones & cõcepta Sacramentorũ verba magicę arti ascribãt.

Act. 8.

Noui Simoniani.

Et hæc de sensu determinato. cuius necessitas tanta est, vt minimã mutationẽ non patiatur,nisi labefactato Sacramento. Et propterea hęc pręscripta obseruatio sensus dicitur à Theologis *necessaria necessitate Sacramenti.* Alia autẽ est *necessitas præcepti* in obseruatione verborũ. Quę necessitas pręcepti deuincit ministrũ ad quodlibet verbũ retinendũ,licet nõ sit necessarium necessitate Sacramẽti:sic,vt dicere non pręsumat, *Istud est Corpus meũ,* pro *hoc est Corpus meũ.* Licet enim illud *hoc*, si aliud æquiualens substituatur,nõ sit ex necessitate Sacramẽti, tamẽ est ex necessitate pręcepti,quia Christus illis verbis cõsecrauit & iussit vt nos idem faceremus. Sicut etiã cõtingit in materia Sacramẽti. Quędã enim materia est de necessitate Sacramẽti, vt vinũ:Quędã est tantùm de necessitate pręcepti,vt mixtio aquę. Necessitas autẽ præceptionis oritur etiã ab instituto Ecclesiæ,cũ & ipsa,seruato Christi sensu, sanctissima aliqua verba assumit ad cõstituẽdas formas, aut modũ pręscribit vel linguã, in qua formę recitari ꝓ temporũ & gentiũ necessitate debeãt. Cuius pręcepti Ecclesiastici necessitate tenemur (inquã) etiã tũ cũ ad Sacramẽti necessitatẽ nõ pertinet illud quod pręcipitur, vel cõsuetudine ac vsu inducitur. quale est in cõsecratione panis,verbũ *enim*;& fortasse in cõsecratione vini, *mysteriũ fidei.*

De mutatione verborum.

Quę

Quæ duo licet ad integritatem formæ pertinere possint,tamē ad essentiam Sacramenti non pertinent.Hęc ergo determinatio,quæ est ex necessitate pręcepti,non solùm respicit sensum, sed etiam totum verborum complexum,& idioma:adeo vt nō solùm priuata authoritate non possis in alia lingua, sed nec in verbis æquiualētibus aut synonymis eiusdem linguæ,sine peccato Sacramentum aliquod ministrare. Et ad huiusmodi præscripta verba,quæ sunt extra necessitatem Sacramenti,non est quòd alligari conqueramur. Id enim iustissimè præscribit Ecclesia Dei ad vnitatem & cōformitatem ministerij seruandam, ad schismata tollenda, ad coërcendam nimiam licentiam fingendi nouas formas, & ad periculum mutationis sensus vitandum; quæ facillimè accidere posset, dum alius hoc verbū pertinere ad substantiam & necessitatem Sacramentalis sensus, alius non pertinere iudicaret.

Vt igitur summatim dicam,hæc verborū certa præscriptio, quæ partim est ex necessitate Sacramenti, partim ex necessitate tantùm præcepti, astringit ministros ad ista quinque. Primùm,ne corrumpant: Secundò, ne addant: Tertiò,ne tollant: Quartò,ne transponant: Quintò,ne interpolent.Quorū vnūquodque nonnunquam corrumpit sensum & Sacramentum; semper autem infringit præceptum. Corrumpendo peccas in præceptum, si dicas, *In nomine patriæ*: Tollis Sacramentum, si dicas, *In nomine matris*. Addendo peccas in pręceptum,si dicas, *In nomine Patris omnipotentis*: Tollis Sacramentum, si dicas, *In nomine Patris maioris,& Filij minoris*. Vide Athanasium ser. 3.contra Arianos. Tollendo peccas in præceptū,si auferas primum verbum *ego* in Baptismo:sed destruis Sacramentū,si auferas verbum *Baptizo*, nisi aliud æquiualēs reponas.Transponendo,id est,ordinem verborum mutando, peccas in præceptum, si dicas, *est hoc Corpus meum*: At si sic transponas, *meum est hoc corpus*, tunc non consecrabis. Interpolando peccas,aut etiam corrumpis Sacramentum, si in medio cursu interrumpas orationem, & interponas verba vel prophana, vel ad rem aliam perti-

pertinentia;aut etiam,si nimiam moram feceris,antequam reliqua verba suppleueris.

Quid obijciant aduersarij, contra prædictam determinationem Rerum & verborum in cultu Sacramentali: esse eam nimirum indignam homine, Christiano præsertim, seruitutem. qui & propterea Sacramenta vel sublata, vel libera esse volunt.

CAP. XXII.

NVNC illud tantùm in hac materia reliquum est, vt obiecta Hæreticorũ, quæ illi faciunt contra hanc exactam determinationem aut assumptionem rerum certarum ac verborum præscriptorum ad Sacramenta Ecclesiæ, retundamus. Est enim notandum,quòd idem reprehendi potest, & olim reprehendebatur à vetustis Ecclesiæ inimicis, in materia Sacramentorum, quod nunc magis à nostris Hæreticis reprehenditur in forma, cùm tamen vtrique Sacramentorum parti sint valde inimici. Olim ergo impius Porphyrius obijciebat contra totum hunc cultũ,quem in rebus & verbis certis sensibilibus ponimus, quòd naturæ ordinem peruerteret, cùm ea præscribat, vt inferiora subdantur superioribus; At in Sacramentis (inquit) homo subijcitur rebus sensibilibus, quæ sunt natura & dignitate longè inferiores.Huic argumento applaudens Brentius in Confess.Vvirtenberg.cap.de Baptismo,accusat Catholicam Ecclesiam,quòd seruire faciat Christianos huius mundi elementis; impiè adducens illud Pauli cõtra Sacramẽta,nos *conuerti denuò ad infirma & egena elementa.* Qui idem fuit error multorum antiquissimorum Hęreticorum,& eadem obiectio; sicut videre licet apud Irenęum cap.18. lib.1. *Alij* (inquit) *istorum dicunt, inuisibilia & inenarrabilia mysteria nõ debere perfici per istas visibiles & abiectas creaturas.* Hæc ille. Et propter has causas licet Hęretici nostri Sacramenta omnia nõ tollant (sicut quidam olim fecerunt teste Alphonso lib.13. de hæres. quos vocat Catharos, non illos Nouatianos, sed alios)

Vide Euseb. li.3.de præp. Eu.cap.5.Et Aug.li.1. Ret.cap.4.

Gal.4.

Iren.

tamen & multa prorſus auferunt, & reliqua volunt eſſe libera atque indifferentia, ne ſub ſenſibilibus ſeruiamus. His autem omnibus faciliùs reſpondebimus, ſi quibus modis creaturæ ſenſibiles circa homines conſiderentur, animaduertamus; & ſi deinde perſpiciamus, quibus de cauſis ſint aſſumptæ in Religionem.

Quomodo iuſtè, vel iniuſtè ſubijciatur homo creaturis. CAP. XXIII.

QVOAD primum: Res ſenſibiles quatuor modis referri ad homines, vel conſiderari reſpectu hominũ poſſunt. Primùm, vt ſunt Dei flagella quibus nos iuſtè punit. Secũdò, vt nobis imponũtur ſub pręcepto ad quodcũq; exercitiũ vel obediẽtiæ, vel inſtructionis, vel patientię, vel Religionis. ſicut & in veteri Lege, infinita; & in noua, nõnulla; & in ipſo Paradiſo, quædam, vt lignum vitę, & arbor ſcientię. Tertiò, vt ſunt ſigna gratiæ vel diuinorum beneficiorũ, aut à Deo pręſcripta, aut à ratione humana ſuſcepta. Quarto modo conſiderantur creaturæ ſenſibiles ſecundũ ſe: & hoc modo homo iure nõ poteſt illis ſubijci, nec à Deo vnquã ſubijcitur, ſed ſolùm nefando ſcelere per earundẽ adorationem & abuſum homo eis ſe ſubmittit. Sed alijs tribus dictis modis rectiſſimè creatitiæ naturæ ſocietate, nõ illis, ſed Deo in illis, & per illas, homo ſeruit. alioquin omnis tolleretur extern' cultus tam Legis naturę, quàm veteris, & noſtræ; & perirẽt cum prece publicâ ſacrificia & Sacramenta omnia, atq; ipſius corporis noſtri cum anima in ſeruiendo Deo ſancta ſocietas. qua re nihil poteſt cogitari abſurdius aut indignius.

Igitur vt reliqua taceamus, in quibus homo ſeu iuſtè, ſeu iniuſtè ſe ſubijcit creaturis: quod ad rationẽ Religionis & cultus attinet, de quo nobis inpręſentiarũ ſermo eſt, ſubiectio hominis in cultu Dei erga creaturas triplex eſt. Vna eſt damnabilis, cũ ſe cultu latriæ & ſummi honoris, cuicũq; creaturæ aut ſuperiori, aut inferiori iniuſtè ſubmittit. De quo genere à Gentilibus

bus frequētato cōqueritur D.Paul' cap.1.ad Rom. Altera erat apud Iudæos fideles creaturarū obseruatio, grauis quidē illa & dura,ad cultū tamē Dei veri instituta, & propterea iusta & legitima, licet creaturarū ad Religionē assumptarum numerositate,infirmitate,obscuritate esset oneris & fastidij plena. Quę proinde à D.Paulo cap.2.Coloss.& Gal.4.*seruitus sub elementis* dicitur,& *Legis pædagogia*: atque à D. August.lib.3. de doctrina Christiana cap 9.appellatur *seruitus sub signis*, cùm nimirū homines operātur aut venerātur signū sacrū, cuius significationē aut sensum nō nouerunt,cùm tamē sciāt, in illo signo vnū coli æternū Deum. Et proinde hæc seruitus lōgè distat ab illa iniusta & nunquā pręcepta subiectione Gentilium,in qua summus cultus terminatur ad ipsas creaturas. Tertia hominis subiectio erga creaturas est in noua Lege;illa etiā à Deo pręcepta,& necessaria,& ad pœnā aliquā instituta;sed multò liberior,facilior, vtilior,efficacior, gratiæ spiritusq; plenior, significatione, numero,obseruatiōe leuior & suauior. Et propterea licet diuino etiā præcepto talium nobis elemētorum vsus mādatur, seruit' tamē nō vocatur,sed suauissimum iugum est & gratissimū Religionis obsequium. Ergo liberi quidem sumus, nō solùm præ Gentilibus,qui seruierunt creaturæ potius quàm creatori; sed etiā præ Iudęis ipsis,qui signorum sępè incognitorum,semper autē inefficacium ingēti multitudine premebātur:verumtamē vt in cultu Religionis,aut cæteris vitæ studijs, à signis omnib' sensibilibus,quàmdiu corpore cōstamus,& in hoc mundo versamur,& variè circa creaturas peccamus,summaq; rerum spiritualiū ignoratiōe tenemur, prorsus separemur,fieri nullo modo potest. Hoc enim esset,hominē in ea luce collocare, vt videat Deum facie ad faciē:quod hîc nō assequimur,sed in futuro expectam'.Dicim' ergo ad plenā resolutionē cōtra Hæreticos & nostros,& antiquos,quos nuper nominauimus;propriè seruitutē creaturarū esse,cū cult' terminatur ad ipsas creaturas:& hæc Idololatria est,semper iniusta,& nunquā præcepta. Alterā verò Iudæorū subiugationē sub elementis cōparatione prioris

Rom.1. Col.2. Gal.4. Aug. Rom.1.

seruitutis esse libertatem planè optabilem, licet illa per se, & Christianæ Religionis comparatione, sit seruitus, continens iugum importabile, sed iustum: Christianorum autem subiectionem ad eleměta, esse aliquam seruitutem respectu vitæ innocentis ante peccatum in Paradiso, & futuræ quæ erit in cœlo planè libera: sed tamě in summa paucitate, efficacia, & apertissima significatione signorū, esse (quæ potest cogitari in hac vita) liberrimam, & humanæ naturę mirum in modum suauem atque congruentem; quæ quidem mediocri signorum talium exercitio mirificè recreatur & adiuuatur, tametsi plurimorum inefficacium pondere deprimatur.

Act. 15.

Causæ legitimæ instituendi talia Sacramenta plurimæ adferuntur, ex parte & Dei, & hominis, & creaturarum.

CAP. XXIIII.

HÆc autem fient adhuc clariora certioraque, si hoc ipso loco, qui ad hanc rem commodissimus est, breuiter causas perstringamus, cur Deus eam rationem Religionis & cultus sui probauerit, quæ in creaturarum vsu & dedicatione consistit, id est, cur Sacraměta instituerit, cùm in omni Religionis statu, tùm maximè in noua Lege. Et cùm plures ad hāc rem rationes à Theologis adferri soleāt, tùm hę præcipuę sunt, quæ sumuntur vel ex parte Dei, vel ex parte hominis, vel ex parte creaturarum.

Causæ Sacramentorū, ex parte Dei.

Ac ex parte quidem Dei, rationes instituendi Sacramenta sumuntur, & ex misericordia eius, & ex iustitia, & ex sapientia, & ex potentia. Quæ diuinæ virtutes omnes sunt valdè conspicuę in vsu & institutione Sacraměturum. Primùm, *misericordia* fecit, vt facillima remedia & vbique obuia instituerentur, quibus statim ad quoduis momentum subueniri possit fragilitati hominis tam labilis, tam peccabilis ad omnem occasionem: vt ad sumptionem & vsum vulgaris & omnibus obuij elementi (si sanctè velit) grauissimorum peccatorum & flagitiosè transactæ vitæ in momento temporis possit habere remedium; atq;

ad con-

ad consolationem,& spem suam constituendam, externā eiusdem beneficij & sensibilem confirmationem. Hæc fuit certè summa Dei in hominem misericordia. Deinde claret *iustitia*: quia homo offendit Deum se erigendo supra cōditionem naturæ suæ, affectando Diuinam dignitatem, & nolendo esse in ordine creaturarum, dum obedire cōtempsit Creatori suo circa mandatam creaturam. Propterea visum est congruere Diuinæ iustitię, vt dum misericorditer reparatur, ad maiorem humiliationem & pœnam sensibilibus elementis, aquæ, pani, vino, oleo, & similibus iustè subdatur. Tum *sapientia* elucet: quòd grauem pœnam & grandem consolationem in eodem sępè elemento vel Sacramēto ministret: vt in Confessione nostra, & Circumcisione antiqua. quòd caducam creaturam & corporalem tam mirificè coniungit cum Diuina & spirituali gratia ad vnum effectum producendum: vt in cæteris omnibus Sacramentis nostris: & in Eucharistia quidem, quòd ipse gratiæ auctor Christus Iesus se nostra causa externis, sensibilibus, alienis, & abiectis speciebus panis & vini, modo tam stupendo adiungit. Huc pertinet illa excellens ratio D. Thomæ lib. 4. cap. 56. contra Gent. quam sic proponit: Congruebat Diuinæ sapientiæ, vt viæ & media instrumenta humanæ salutis atque Diuini cultus correspondeant atque proportionentur primæ & vniuersalissimæ causæ eorūdem effectum. Sed Christus, qui est Verbum incarnatum, exhibuit summum cultum Deo, simulque operatus est vniuersalem nostram Redemptionem, in sensibilibus suæ carnis elementis, aqua, sanguine, sudore, & similibus. Igitur æquum fuit, vt virtus huius causæ vniuersalis ad nos deriuetur per externos etiam actus circa visibiles creaturas: vt eâdem etiam sapientiâ, qua olim grande Sacramentum Redemptionis nostræ in visibili corpore & Cruce operat⁹ est, per consimilia media instrumenta Christianorum lapsus continuò corrigat ac reformet. Et hæc de sapientia. Vltimò, *potentia Diuina* in eo maximè illustratur, quòd potuit vincere Diabolum & peccatū tam fragilibus & infirmis rebus. & quòd

S. Thomas.

potuerit tantam vim & efficaciam constituere in vulgaribus creaturis: ita vt aqua, panis, vinum, atq; similia, ea præstēt erga hominum salutē, quæ nec homines ipsi, nec Angeli queāt facere. Quod genus admirabilis potestatis exercuit etiam in ipsa Redēptione, dum fragili ligno & cruce aduersarias potestates vicit; & (vt inquit Paulus) *per infirma huius mundi elegit confundere fortia.* Quæ mirabilis (coniuncta cum sapientiā) potentia est in tota dispensatione humanæ salutis tantopere à Christo Domino obseruata, vt hoc solo nomine ab Atheis, Hæreticis, Iudæis, & Gentibus, tota Christiana Religio (dum sapientiam illam & potentiā carnales ipsi non cernunt) sit irrisa & explosa pro summa stultitia. Et hactenus de causis instituendorum Sacramentorum visibilium ex parte Dei.

1.Cor.1.

Ex parte Hominu.

Iam verò ex parte hominis, videbimus Sacramentorum institutionis valdè etiā necessarias rationes fuisse. Sunt autē tres rationes eiusmodi apud Magistrum Sentent. qui lib.4. Dist.1. Sacramēta dicit instituta propter instructionē, & humiliationē, & exercitationē hominis in Diuino cultu. Sed ante Magistrum Hugo de Sancto Victore, æqualis D. Bernardi, elegātissimè causas reddidit secundum eadē ipsa tria capita; cur nimirū quoad hominē, præsertim post lapsum, essent cōducibilia visibilia Sacramēta, lib.1. de Sacramētis parte 9. cap.3. vbi in hunc sensum rem prosequitur: Sacramēta corporalia esse mirè conuenietia homini, vt est in hoc statu. Primū enim, per peccatum deiectus fuit homo in magnā cæcitatē & ignorationē, quare in lapsu læsa est pars intellectiua animæ, sicut D. August. lib.22 cap.22. de Ciuitate Dei copiosè demōstrat. Secūdò, per superbiam eodē tēpore grauiter læsa est pars irascibilis, qua in rebus seu bonis, seu malis agēdis homo se effert altiùs & inflatur. Tertiò, quātum ad cōcupiscibilem partē præ cæteris in eodē lapsu læsam, res salutares & præcipuè spirituales factæ sunt ingratæ & plenę tædij atq; fastidij. Quib⁹ tribus vitiatis potētijs suauissima collocātur in Sacramētis sensibilib⁹ remedia, dum ad intellectiuæ partis restaurationē per sensibilia erudimur; & quoad irasci-

Sent.4. Dist.1.

Hugo Victorinus.

Aug.

ad iraſcibilē partē, ſub iiſdē elemētis humiliamur; dum deniq; quoad concupiſcibilē, ex varietate corporalium elemētorum in Diuino cultu tædium & faſtidium omne depellimus. Antiqui verò Theologi, qui minus ſubtiliter iſta ſunt conſectati, ſæpè eaſdē cauſas notarunt etiā ipſi, licet nō eodē modo explicauerint. A quibus quid acceperimus, hac videmur methodo poſſe tradere: Nimirum *primā cauſam*, quoad nos homines, inſtitutionis Sacramētorum fuiſſe, vt elemētorum ſenſibiliū adminiculo ad ſpiritualia bona capeſſenda & intelligenda eleuemur; ac deinde, vt admirabiles vias & extraordinarias Diuinæ gratiæ, quib⁹ ſanamur à peccatis noſtris, per ſimilitudinē & repræſentationē rerū ſenſibiliū agnoſcam⁹, videlicet, quomodo purget peccata Chriſti Redēptio, quomodo paſcat animas noſtras, quomodo foueat ad nouā vitā in Chriſto, quomodo cōſoletur, quomodo vniat, quomodo roboret, ceteraq; ſupra naturę conditionē in nobis admirabiliter operetur. Vt ſicut per naturales creaturas (teſte D. Paulo) virtutes Dei, quib⁹ rerū naturaliū cauſa & cōſeruator exiſtit, cognoſcim⁹; ſic per huiuſmodi Sacramēta veluti nouas quaſdā creaturas, eiuſdē Dei virtutem, qua ſupra naturā nos ſaluat & beat, atq; in vita ſpirituali cōſeruat, capiam⁹. Propter quā cauſam pulchrè D. Auguſt. appellat corporalia Sacramēta *verba quadā viſibilia*, quib⁹ gratia Paſſionis Dominicæ hominibus apertè annūciatur, cōtra Fauſtū lib. 19. cap. 16. Cuius etiā totius rationis fundamentum eſt deſumptum ex D. Chryſoſtomo Hom. 83. in Matthæum, & 60. ad populum Antiochenum, tùm etiā ex D. Dionyſio cap. 1. de Eccleſiaſt. Hierarch. vbi docet, Eccleſiaſticā Hierarchiā ſenſibilibus ſymbolis conſtare, ſicut cœleſtis ex intelligibilibus cōſtat.

1. Rom. 1. Aug. Chryſoſt. Dion. Are.

Altera cauſa apud Patres eſt, vt his externis ſymbolis veluti in Rempub. ſacrā & ſocietatē communē externè coëant fideles inter ſe; atque in his ipſis rebus ſancto fœdere pacis, vnionis, charitatis, & communionis vincula colant. vt hoc modo conſtituatur Eccleſia viſibilis, fiatque etiam gentibus & alienis aſpectabilis. Vnde etiam ab omnibus alijs ſeu legitimis

2.

ſeu ille-

ſeu illegitimis Rebuſpublicis diſtingui queat; adeoque clarè, vt digito etiam demõſtrari poſſit & diſcerni cœtus ritè colentium Deum ſuper terram. A quo etiam cœtu quidam, dum ab ijſdem communibus ſymbolis arcentur propter peccatum, aut ipſi ſe excludunt per perfidiam, viſibiliter eijciuntur. Et vt in ſumma dicam, hoc exercitium viſibilium Sacramentorũ apertam facit profeſſionem fidei communis in Deum, vt non ſit

Rom. 10. ſatis (teſte D. Paulo) interna fidei virtus, niſi ore cõfitearis etiã ad ſalutem. Quod nihil aliud eſt, quàm externo verbo aut opere profiteri apud mortales reliquos, cuius fidei & Religionis ſis. Et hæc omnia pulchrè complexus eſt D. Auguſt. Epiſt. ad

Ep. 118. ca. 1. Ianuarium, cùm dicit, Chriſtum *Sacramentis ſignificatione præſtantiſſimis, & obſeruatione facillimis, ſocietatem noui populi colligaſſe.* Et lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. cùm docet, non ſolùm Chriſtianos, ſed alios quoſuis variarum Religionum populos, non alia ratione in nomen Religionis coagulari poſſe, *niſi viſibilium ſignaculorum vinculo colligentur.* Hæc igitur ratio iſta omnia continet: primùm viſibilibus Sacramentis Rempub. colentium Deum conſtitui. Secundò, charitatem & pacem inter ciues eiuſdem Reipub. coli. Tertiò, fidem in communem Deũ profeſſione declarari. Quartò, diſtinctionem ab alijs omnibus ſeu iuſtis, ſeu iniuſtis hominum cœtibus, fieri. Vltimò, malorum aut corruptorum membrorum apertam abiectionem ſeu

3. excommunicationẽ ijſdem ipſis contineri. *Tertia cauſa* apud Patres eſt, vt mortales ad creaturarum ſtudium nimium propenſi, habeant in quo legitimè ſe exerceant, & ita iuſtiſſimis rationibus per eaſdem ipſas creaturas à ſeruitute creaturarum

Euſeb. Cæſ. reuocentur. De qua re vide Euſebium lib. 1. demonſtrationum Euangelic. cap. 6.

Cauſæ ex parte Creaturarum. Iam verò quod ad tertium attinet, in quo diximus, cauſas inſtituendi Sacramenta eſſe quærendas: breuiter, ex conſideratione creaturarum videbimus fuiſſe mirè congruum, vt Sa-

1. cramenta in his ipſis elementis ſtatuantur. Prima autem ratio

S. Thomas. eſt, quam Thomas etiã annotauit lib. 4. cap. 56. contra Gentes,

quòd

quòd nimirum ex assumptione rerum sensibilium ad cultum Dei, creaturarum etiam corporearum præstantia, dignitas, & à Creatore indita bonitas pulcherrimè defendatur contra Manichæos & alios vetustiores Hæreticos, qui corporeas imprimis res impiè abominabãtur, vt in seipsis prophanas, atque ex creatione impuras: cùm his tamen ipsis Christus & in Sacrificio summo suo, & in Sacramentis nostris vti voluerit. Vide Leonem sermone 4. de Quadragesima. Secunda ratio sumpta est ex creaturis, quatenus hominum causâ sunt conditæ: vt propterea nobis subseruiant nõ solùm ad corporis & communis vitæ subsidia, sed multò magis ad animorum salutem & spiritualia beneficia: cùm nulla sit creaturarum omnium, vnde nõ solùm corporis commoda, sed etiam animæ adiumenta capere non possimus. Deinde altera ratio est, vt quæ res passim arripiuntur ab hominibus ad peccati occasiones, adeo vt à Deo deflecti non possit nisi ex inclinatione ad creaturas, circa quas omnia peccata committuntur: in his ipsis (vt æquũ certè fuit) remedia quoque ponerentur. Quod prçclarè canit Prudentius de ligno Crucis: *Et medelam ferret inde, hostis vnde læserat.* Vt non sit minor ars Christi seruantis homines in creaturis, quàm dęmonis perdentis per creaturas. Huc pertinet, quòd creaturæ etiã ipsæ vanitati inuitò & nõ volentes (vt inquit Paulus) subiectæ, dum assumuntur ad hominis restitutionem, & benedicuntur ad sacros vsus, incipiunt quodammodo liberari à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei: vt quæ peccatis nostris contaminatæ, & à pristina conditione deiectę, naturæ horrore insito ingemiscunt; per assumptionem ad tam sacros vsus, intima rursus naturæ inductione lætentur, sibique quodammodo gratulentur. Lege D. Ambros. lib. 5. Epistolarum, Epist. 21. ad Horontianum. Adde his tandem, quòd tunc proprijssimè creaturæ benedicunt Deum, cùm illi exhibentur tanquam non solùm supremo Auctori & Conditori naturarum suarum, sed vt Redemptori & restauratori omniũ rerum: vt ita homo simul cum rebus omnibus sua causa insti-

Iren. li. 4. ca. 32. 34.

2.

3.

Prudentius

4.

Rom. 8.

Amb.

5.

tutis exhibeat cultum Deo ſummum, dum de ſeipſo & de reliquis rebus omnibus gratias agit in ſanctiſſimo actionis genere. Vnde indubiè origo omnium Sacramentorum, Sacrificiorum, & Ceremoniarum ex ipſius naturæ noſtræ primis initijs. Quam rationem ſanctè inſinuat D. Irenęus lib. 4. cap. 32. diſputans de Sacramento Euchariſtiæ, quomodo ad eam faciendam Chriſtus mandabat Diſcipulis, vt primitias ex ſuis creaturis Deo offerrent, nō quaſi indigenti, ſed ne ipſi ingrati circa creaturas & infructuoſi appareant: &, quod Chriſtus ipſe noſtro omnium nomine propter hāc cauſam ſumpſerit creaturas eas quæ ſecundùm nos ſunt, vt ſuper illas, gratias ageret Deo, & faceret eas Corpus & Sanguinem ſuum. Qui & lib. eiuſdem cap. 34. pulcherrimè docet, quod Hæretici & Ethnici, qui exhibēt has creaturas alteri Deo quàm noſtro (qui eſt eatū fabricator) impiè faciunt, & quod ipſi ficti Dij nō poſſunt in Sacramentorū ſuorū obſequijs vēdicare ſibi iuſtè alienā creaturam.

Irenæus.

Ex prædictis cauſis infertur, quòd Sacramenta ſint neceſſaria, & non liberæ obſeruationis.

CAP. XXV.

EX his nunc cauſis declaratis, rectè Theologi ſtatuunt, Sacramenta non ſolùm ante tempora Gratiæ, ſed etiam nunc poſt Chriſti aduentum eſſe neceſſaria ad ſalutem hominum; non ſingula tamen omnibus, ſed quædam ſingulis, & varia varijs hominū aut neceſſitatibus, aut vitæ ſtatibus: vniuerſis autem in cōmuni, omnia planè Sacramenta, quę à Chriſto præſcripta ſunt, eſſe neceſſaria. Quod de quibuſdā ex Scriptura apertè habemus, vt de Baptiſmo Ioan. 3. de Euchariſtia Io. 6. de Pœnitentia Math. 16. de extrema Vnctione Iacobi vltimo. Neque tamen hæc, neque alia quæcunque, ſeu huius, ſeu alterius ſtatus Sacramēta, ſunt neceſſaria neceſſitate naturali, quo modo ignis neceſſariò ardet; aut abſolutè, ſic, vt Deus per abſolutā potentiā nō poſſet aliter ſaluare hominē; ſed neceſſitate ſuppoſitionis, id eſt, præſuppoſita Dei volūtate, inſtitutione, &

ñe,& præcepto.qua sola necessitate quidã putãt Sacramẽta dici necessaria ad salutẽ.Sed nos addimus,non solùm necessitate suppositionis quę est ex pręcepto, sed magis ex ea suppositione,quę respicit finẽ & media ad finẽ. vt Sacramẽta dicãtur necessaria,nõ solùm quia De⁹ pręcepit,sed quia pręcepit illa tanquã conuenientissima remedia humanę reparationis.Necessariũ enim(vt Aristoteles habet lib.5.Metaphysicorum) dicitur respectu finis; & id dupliciter: Vno modo, sine quo finis nullo modo acquiritur,vt victus respectu vitę.Altero modo,cũ commodè ad finẽ sine tali medio non peruenitur, vt pons ad traijciendum amnem.Quo genere necessitatis ex suppositione asserit August.Incarnationem Christi fuisse necessariam,lib.13. cap.10.De Trinitate: *Non* (inquit) *quia alius modus non fuit possibilis Deo, sed quia sanandæ nostræ miseriæ alius conuenientior modus non fuit, nec esse oportuit.*

Aristot.

Aug.

Hac necessitate Sacramentorũ ex fine, institutione, & prouidentia Dei pręsupposita: sequitur etiã, quòd Sacramẽta non sint adiaphora & liberę obseruationis; nõ magis nũc,quàm in veteri Lege. Indifferẽtia autẽ & libera dicimus ea,quę pro cuiusq; volũtate,sine cõtemptu tamẽ,vsurpari,vel omitti possũt. Sicut apud catholicos Aqua benedicta,lotio pedum in Cœna Domini,& id gen⁹ alia multa; apud Confessionistas, Sacramẽtum Confessionis;apud Caluinũ,etiã Baptismus;apud Anabaptistas,etiã omnia Sacramẽta.Putant enim isti homines,seruile esse & Iudaicũ,alligari ad ista externa, licet contemptũ nolint,& liberũ permittãt vsum. Contra hos ergo dicimus,quòd tam necessariò astringũtur ad hęc Sacramẽta nostra,vt nõ solũ illorũ cõtemptus,sed etiã quęcũq; carẽtia, tum cũ requirũtur, sit aliquãdo damnabilis,semper autẽ noxia.nisi quòd in adultis vehemẽs desideriũ habẽdi,hoc est, votũ Sacramẽti, tũ cũ actu haberi nõ queat, apud Deum Sacramẽto actu suscepto virtute respõdeat. Imò Sacramẽta omnia sũt tã necessarię obligatiõis, vt pro cuiuslibet Sacramenti nostri in Ecclesia obseruatione debeant Christiani omnes nõ minùs certare vsq; ad sanguinẽ,

N 2 quàm

quàm olim Iudæi pro Sabbatho,& pro quacunq; alia re quam putabant ſtrictiſſimę obſeruantiæ fuiſſe. Cuius rei pulcherrimum eſt teſtimonium D.Auguſtini lib.19.cap.14. contra Fauſtum,vbi hæc inter cætera digniſſima lectu ſcribit: *Si antiqui pro prænunciatiuis Sacramentis, & rerum nondum impletarum figuris, dura & horrenda pati parati fuerunt,& multi perpeſſi ſunt,ſicut tres pueri, Daniel, Machabæi, & alij: quantò magis nunc pro Baptiſmo Chriſti,pro Euchariſtia Chriſti,pro Signo Chriſti* (confirmationem intelligit) *ad omnia perferenda paratior debet eſſe Chriſtianus?*

Aug.

Obiectiones aduerſariorum plures proponuntur, & ſoluuntur.

CAP. XXVI.

HIs ita de neceſſitate, cauſis atque rationibus inſtitutionis Sacramentorum pertractatis, commodiſſimo iam compendio reſpondere poſſumus ſingulis argumentis ab Aduerſarijs nouis & antiquis propoſitis.

Primum argumentum eſt: Gentiles idololatræ ſic colunt Deos ſuos per creaturas externas: ergo non licet Chriſtianis idem facere. Negatur conſequentia; cùm pulchrè D.Auguſt. dicat,lib. 1. contra Aduerſ.Legis & Prophet. cap.18. *quòd Dæmon talia à Gentilibus ſibi exhiberi non exigeret, niſi Deo vero hæc deberi ſciret. Falſus enim Deus* (inquit) *ſic vult adorari ab eis quos decipit,ſicut verus Deus honoratur ab ijs quibus conſulit.* Hæc ille. Hinc videmus, non eſſe peccatum in eo, quòd in ratione cultus,vel in materia cultus,conueniamus aliquando cum Gentilibus: tùm quia illi ſæpè à nobis hæc, id eſt, à Dei cultoribus priùs ſumpſerunt. Vera enim Religio anteceſſit falſam, & falſa imitatur veram,ſicut patet ex primis duorum fratrum victimis tam in pecoribus,quàm in frumento; per quæ fideliter ſeruitũ eſt Deo vero, antequam eſſet idololatria vlla: tùm etiam, quia id genus cultus quod eſt in vſu gentilitio, ſæpè ortum eſt ex Lege naturæ, per quam agnoſcunt inſtinctu naturali, talia deberi Deo,cùm tamen qui ſit verus Deus,non intelligant. Quę ergo

Veræ falſæq; Religionis ſimilitudo, & differentia.

ergo illi legi Naturæ consona habent, ab eis transferimus tanquam ab iniustis possessoribus, & vero Deo cui debentur, reddimus. Sed obijcit Brentius cap. de Baptismo in Confess. Vvirtenberg. illud Dei præceptum Deuter. 12. *Caue ne imiteris Gentes, & requiras ceremonias earum, dicens, sicut coluerunt Gentes istæ Deos suos, ita & ego colam. non facies similiter Domino Deo tuo.* Respondetur, quod Gentes aliquando habebant materiam sacrificij & Sacramenti legitimam, vt pecora, panes, vuas, & similia. Aliquando illegitimam, in qua peccabant contra legem Naturæ, vt cùm offerrent filios suos dæmonibus, & sanguinem humanum funderent ad placandum dæmonem. Hoc ergo à natura abhorrens est illud, in quo nolebat Dominus populum suum imitari Gentes. Ita enim sequitur in Textu: *Omnes abominationes quas auersatur Dominus, fecerunt Dijs suis, offerentes filios suos & filias, & comburentes eos igne.* Hæc quidem illegitima est materia Religionis, sed non ita omnis alia, quæ in cultum dæmoniorum erat assumpta, sicut patet de pane, vino, oleo, aqua, & similibus. Nam olim quoq; obijciebatur Christianis, quòd colerent Cererem & Bacchum, propter Sacramentum & Sacrificium nostrum in pane & vino positum. quod notauit August. lib. 20. cap. 13. contra Faustum. Vbi propter obseruationem etiam Sabbathi Hæreticus obijcit Fidelibus cultum Saturni gentilis Dei. Et plurimum aduertendum est ex eodem August. Epist. 119 ca. 7. quòd superstitiosi cultores & obseruatores creaturarũ solebant se defendere ex eo, quòd Christiani videbantur habere aliquid in suis Sacramẽtis simile. Cùm (inquit) superstitiosos Mathematicos aut fatidicos reprehendim⁹ ex Paulo, quòd obseruent dies, & annos, & tempora: Illi statim nobis obijciunt, quòd ad Lunæ cursus obseruamus Pascha. Ac si & augures, vt superstitiosam auium obseruationem defendant, Christianos in consimilem suspicionem deducere velint, quia columbam adhibuit Spiritus Sanctus in apparitione sua, eandemque etiam Saluator ad simplicitatem commendãdam figuratè posuit. Et hi qui veneficia exercẽt, ac mortales incan-

Brentius. Deut. 12. Aug. Gal. 4. Mat. 3. Mat. 10.

tant per ſerpentes, dum à nobis Chriſtianis reprehenduntur, obijcere nō vereantur & nobis, quòd ſerpentes ſacros habeamus, dum ab illo animali in Scriptura petimus figurā prudentiæ, dicēte Domino: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, &c.* Atq; eò tandē redit oratio Auguſtini, vt dicat, ſuperſtitionē non poſitā eſſe in vſu iſtarū rerū ad Religionē, ſed in modo, ratione, fine, & intentione vtentiū: ſicut aliter viator, agricola, nauta obſeruant tempora ad iter & opus commoda; aliter planetarius ad fatum & fortunam proſperam coniectandam. Sic aliter Chriſtianus ad ſignificationem, aliter gentilis ad ſuperſtitionem. Vnde & lib. 1. cap. 19. contra Aduerſar. Legis: Non reprehendit Paulus (inquit) Gentiles, quia ea quæ nos ſacrificamus, ſacrificant; ſed quia quæ immolant Gentes, dæmonibus immolant, & non Deo.

1. Cor. 10.

2. Secundò argumentatur Porphyrius apud Euſebiū de Præparat. Euang. lib. 1. cap. 6. & Aduerſarius Legis apud Aug. lib. 1. cap. 18. quòd huiuſmodi Sacramenrorum Deus videatur indigere aliquibus creaturis, aut ſaltem delectari quibuſdam præ alijs, ſicut Dæmones, qui (teſte Aug de Ciu. Dei li. 21. ca. 6.) illiciuntur per certas creaturas vt cū hominibus verſentur, id eſt, per varia genera animalium, lapidum, herbarum, lignorū, carminum, atque rituum. Reſpondetur primùm ad id quod obijcitur de indigentia Dei, ex D. Irenæo lib. 4. cap. 32. quòd ea non fiant propter Dei indigentiam, ſed propter noſtrum obſequium. Secundò verò, quòd nec quibuſdā creaturis delectetur Deus: ſed pręſcribit certa, quia nō ſunt omnia æquè apta ad inſtructionē & ſignificationē. Quomodo dicendū etiā eſt, quòd nec ſyllabarum ſono, ſitu, numero, aut ordine in formis Sacramentorū afficiatur ipſe, ſed quòd ea verba pręſcripta ſint, quæ ad ſignificandū & efficiendū ſunt aptiſſima & efficaciſſima. Cū ecōtrà apud Gentiles, magos, & Incātatores nō tam ſenſus requiratur carminū veneficorū, quàm rara & portentoſa inuſitatorum verborum modificatio. Cuiuſmodi aliquot ſuperſtitioſæ verborum formulæ recitantur ab Irenæo lib. 1. cap. 18.

Iren.

Tertio

Tertiò obijciunt, seruile & Iudaicũ esse, atq; libertati Christianę contrariũ, alligari in cultu Dei ad creaturas. Respondem⁹ ex August. lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 9. seruitutẽ Iudęorũ non in eo fuisse, quòd externa Sacramenta habuerint in pręcepto, sed in multitudine, infirmitate, obseruandi difficultate, & maximè in eo quòd vulgus fidelium seruiebat tũc sub his signis quę nõ intelligebat; & quòd velamẽ gestabat positũ super oculos, ne ipsas res significatas propinquiùs aspiceret: sicut & D. Paulus notauit, velamẽ veteris Testamẽti mansisse in Iudęis vsq; ad sua tempora, euacuandũ licet per Christum. Et sic quidẽ seruiebãt carnales Iudęi, qui supra signa animos nõ erigebãt: cùm Prophetę & spirituales viri etiã tunc intelligentes quò referrentur signa, fuerint sub ijsdem elemẽtis liberi, & nõ serui. Quanto magis nũc in nouo Testamẽto, sub paucis, apertis, & significãtissimis signis liberi sumus per Christum? Vnde pulchrè dixit B. August. lib. 19. cap. 17. contra Faustum: *Populus Iudaicus in eis, qui intelligebant quò hæc pertinerent, erat liber: sed seruus in eis, qui hæc non intelligebant.*

3. Aug. 2. Cor. 3. Aug.

Quarto argumentantur Hęretici ex 1. Timoth. 4. quòd *corporalis exercitatio ad modicum vtilis est.* Respõdeo, quòd si sequamur commentarium Chrysostomi & Gręcorum semper ferè interpretantium illud Pauli de exercitio ad robur & ad sanitatem confirmandam, tum nihil facit ad eam rem quam cupiũt. Sed si dicamus, Paulum loqui de exercitio corporali, quod est in cultu Dei per corporalia Sacramenta vel similia, sicut Ambros. exponit: tunc respondendum est, Apostolum loqui de illo Iudaico carnali cultu persistente in signis, & non instituente cultores ad spiritualem effectum & significationem signorum. Qua de causa Iudæi communiter dicuntur *carnales*, sicut contrà intelligentes & exercentes spiritum vocantur *spirituales*, siue fuerint Iudæi, siue Christiani. Vnde D. Thomas q. 61. artic. 1. tertię Partis, dicit eleganter, *exercitationem per vsum Sacramentorum non esse merè corporalem, sed quodammodo spiritualem, nimirum per significationem, & causalitatem.*

4. Chrysost. Amb. S. Thomas.

Quinto

5. Quintò obijciunt, ſolam fidem ex parte hominis, & ſolam Paſſionem ex parte Chriſti, & ſolam gratiam ex parte Dei, ſufficere ad ſalutem. Reſpondeo de fide, quòd non ſufficiat ad ſalutem. Et probatur, quia Mar. 16. fides & Baptiſmus cõiunguntur, & in his requiruntur quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem: ſicut & Pœnitentia Ioan. vltimo, his qui peccarunt mortaliter poſt Baptiſmum. De Paſſione verò Chriſti & gratia, fatemur ſufficere eas ad ſalutem: ſed dicimus, Sacramenta eſſe vias & media inſtrumenta, quibus iſta nobis applicantur, & non ſolam fidem. De qua re latiùs aliàs.

Mar. 16. *Ioan. 21.* *Infrà, ca. 31. & 35.*

An Sacramenta fuerint, aut forent in ſtatu Innocentiæ.

CAP. XXVII.

SACRAMENTI definitione, inſtitutione, neceſſitate, obligatione, partibus, cauſis & rationibus explicatis, & contra Aduerſarios defenſis; ordo inſtitutionis requirit, vt breuiter commemorem, quibus hominum generibus, populi conditionibus, aut mundi temporibus fuerint Sacramenta neceſſaria: & deinde ſecundo loco, quibus de cauſis voluerit Deus, cùm vnus idemq; ſit ipſe & immutabilis, fidemque vnam omnium Gentium & temporum eſſe oporteat, tamen cultûs Dei & Sacramentorum obſeruationem eſſe variam. vt his breuiter annotatis, commodiùs eam nobilem Quæſtionem de gratia, vi, & effectu Sacramentorum noſtrorum tractemus.

Et primò quæri ſolet, vtrùm Sacramenta corporalia fuerint neceſſaria *in ſtatu innocentiæ*, vel ante lapſum hominis, aut ſi perſtitiſſet continuò in innocentia ſua? Ad quam quæſtionem reſpondemus: ſi nomen Sacramenti propriè & ſtrictè accipiatur, vt ſit remedium peccati (quo modo Theologi omnes ex parabola Samaritani, cuius remedia vulnerum de Sacramentis interpretantur, intelligunt) tum ille ſtatus Sacramentis non indigebat. in quo nimirum ſi permanſiſſet primus parens, nec timor fuiſſet peccati. Si autem Sacramentum ita capiatur, vt ſit

1. *Luc. 10.* 2.

vt ſit ſignum externum declarans vel efficiens augmentũ gratiæ,& animę perfectionem operans,ſicut Euchariſtia,quę propriè non inſtituitur ad remedium peccati: ne ſic quidem acceptum Sacramentum videri poſſit fuiſſe futurum, ſi homo in innocentia permanſiſſet. Quia eam fuiſſe perfectionem illius Status putāt ſcholaſtici Theologi poſt D. Thomam penè omnes,vt anima hominis in ea rectitudine pendêre,adiuuari, aut pęrfici non deberet, quoad ſpiritualem cognitionem, ab inferioribus & ſibi ſubiectis corporalibus rebus. In qua re tamen non dubitamus, nimium dixiſſe Magiſtrum Sentent. cùm ait Diſtinct. 1. lib. 4. hominem in eo ſtatu vidiſſe Deum ſine medio. Sed licet probabile hoc ſit, Sacramenta tum non fuiſſe ad gratiam & ſupernaturalem de Deo & ſalutis ratione cognitionem capeſſendam neceſſaria, cùm corporalibus rebus anima non videretur indigere ad ſpirituales effectus:tamen & cōtraria ſententia vera eſſe poteſt, propter naturalem conſtitutionem hominis ex anima & corpore;vnde corpus etiam tum poterat ſubſeruire animæ ad ſalutem,ſicut & reliquę creaturę, ex quibus & inſtructionem capere poterat, & eas ſibi ad ſigna & Sacramenta collocare. Eſtq; hæc ſententia conformis doctrinæ Auguſtini lib. 13. cap. 20. de Ciuitate Dei,aſſerentis,lignum vitæ præter communem vſum, etiam rationem Sacramenti cuiuſdam habuiſſe. Ita enim ſcribit: *De ligno autem vitæ propterea guſtabatur,ne mors eis vndecunq; ſubreperet. tanquam cætera in paradiſo eſſent alimento,& illud Sacramento: vt ſic accipiatur lignum vitæ in Paradiſo corporali, ſicut in ſpirituali Sapientia Dei,de qua ſcriptum eſt: lignum vitæ eſt omnibus amplectentibus eã.* Potuit ergo eſſe aliquod ſignum ſpiritualis alimenti in corporali elemento,id eſt, Diuinæ gratiæ quatenus paſcit hominem ſecundùm animam: Igitur & Sacramentum, licet vndiq; propriam Sacramenti rationem non habuerit,vt Sacramenta nūc vocantur ad remedia peccati inſtituta. Sin autem tertiò ſumamus Sacramentum magis cōmuniter adhuc,non ſolùm pro ſigno ſanctificatiōis aut remiſſionis,ſed pro quouis externo ele-

S. Thomas. Aug. Prou. 3. 3.

mento assumpto in Religionem, ad cultum Dei,vel ad gratiarum actionem,vel ad agnitionem supremi Dominij,aut beneficij Creationis,aut saluationis nostræ:talia quidē futura fuisse signa,sacrificia,& Sacramenta,etiam in statu Innocentiæ,plus quàm probabile est; licet ex recētioribus Scholasticis quidam negēt. Primùm enim valde cōgruit,vt homo ex anima & corpore constans protestaretur fidem suam congruenter naturæ suæ per externa elementa. Secundò ille status non fuisset merè spiritualis.Deinde debebat ille populus coalescere in vnam Religionem:quod non potuit nisi per externa signa. Item debebat distingui ab Hierarchia cœlesti, quæ externis symbolis nō cōstat, vt inquit Dionysius cap.1. de Ecclesiast. Hierarchia. Deinde commodissimę gratiarum actiones pro cęteris creaturis esse non possent,nisi per oblationes & dedicationes earundem creaturarum.Nec quicquam facit contra hæc quod quidā obijciunt, hac ratione & templa, & sacerdotes tum futuros necessariò. quod primo negari potest, cùm hæc tunc liberè à quouis, & vbiuis fieri potuissent. Tum verò si sacerdotes & templa illis temporibus concesserimus, non erit absurdum: non magis, quàm quòd Respub. & ciuitates credimus tum futuras, cùm homo etiam tunc fuisset animal sociabile ; nec haberet vtique aliam nobiliorem causam constituendæ Reipub. & ineundæ societatis, quàm nomen Religionis & Diuini cultus.

Vtrùm fuerint Sacramenta post lapsum,in lege Naturæ, sicut in legibus Moysi,Christiq́; &, vtrum etiam tum obligatoria fuerint, an libera.

CAP. XXVIII.

HActenvs de Sacramentis, quoad *statum innocentiæ*: Nunc quomodo se habeant ad *tempora post lapsum*,dicendum est. Fuerūt autē pro varietate temporū & cōditionum humanarum,tres formę Reipub.legitimę & politię spiritualis post lapsum vsq; ad cōsummationē seculi,quas *Status* appellant

Tres Leges.

pellant nostri; Augustin⁹ Epist.119.vocat *tria tempora seculi, ante Legem, sub Lege, sub Gratia.* vulgò nunc, *Legem Naturæ, Legem Moysis, Legem Christi nominamus*: Et hęc duo vltima, *Testamenta, vetus, & nouũ*; & *Leges, veterẽ & nouã.* Et ille secũdus status, qui est veteris Testamẽti, à Christo peculiariter dicitur *Lex & Prophetæ* Math.11. Iam verò quin Sacramẽta habuerint hi duo posteriores status, Moysis & Christi, nemo dubitat, cũ vterq; Lege Dei scripta & aperta, licet diuersorũ Sacramentorũ pręscriptione cõstet. Sed quęstiò est de primo statu, in quo popul⁹ fidelis nõ habebat tã apertã Reipub. formã, sed viuebat sine Lege scripta & ab alio instituta, solũ ex dictamine rationis adiuto nonnunquã peculiari Dei reuelatione aut interna suggestione Principib⁹ familiarũ facta. Qui status durauit ab Adamo lapso vsq; ad Moysen, cũ nonnulla tamẽ differẽtia. Habuit enim partes duas: vnã ab Adamo vsq; ad Abraham, alterã ab Abrahamo vsq; ad Moysen. Perspicuũ autẽ similiter est de hac posteriori parte primi status, quòd Sacramẽtum Circũcisionis habuerit in remediũ originalis peccati. Itaq; dubitatio nũc est de prima eius parte ante Circũcisionis institutionẽ; itemq; de reliquis omnibus, qui tẽpore quidẽ secũdę partis, sed nõ de stirpe Abraham erãt. Nam Circũcisio reliquos ab illa familia non obligauit. Quę difficultas etiã est de omnib⁹ colentib⁹ Deũ verũ, pręter Iudęos, etiã tẽpore veteris Legis; sicut & de fœminino sexu etiã stirpis Abrahã. Itemq; an fuerit aliquod Sacramẽtum pro relapsis post acceptam Circumcisionẽ in ipsa familia Abrahæ.

De his verò omnibus apud vetustos Theologos penè nihil habemus (& sunt qui hodie scribant, parum referre, habuerint nécne Sacramenta.) nisi quòd D. August. lib.15. de Ciuitate Dei cap.17. ita scripsisse dubitantem videmus: *Vtrum autem aliquod fuerit, vel si fuerit, quale fuerit regenerationis signum ante Diluuium, sicut Abrahæ est Circumcisio postea imperata, sacra historia tacet. Sacrificasse tamen Deo etiam illos antiquissimos homines, non tacet. quod & in duobus primis fratribus claret, & in ipso Noë, qui postquam egressus est de arca,* (Aug.) (Gen.4. Gen.8.)

 hostias

hostias Deo immolare legitur. Hæc August. Ex quo loco facilè colligimus, saltem conatum fuisse eum probare, Sacramẽtum regenerationis aliquod extitisse etiam ante Circumcisionem, licet Scriptura illud non commemoret; ex eo nimirum, quòd Scriptura apertè tradat, Sacrificium tunc fuisse, quod in ratione cultus & agnitione redemptionis est Sacramento simile. Aut fortasse putauit, ex his sacrificijs aliqua fuisse etiam Sacramenta; sicut & nostrum sanctissimum & vnicum Sacrificium, præter rationem sacrificij, est etiam Sacramentum. Magis autem propiusque S. Gregorius lib.4. Moralium cap.20. rem attingit, ita inquiens: *Quod apud nos valet Baptismus, apud antiquos egit vel sola fides propter paruulos, vel pro adultis virtus Sacrificij, vel pro his, qui ex stirpe Abrahæ, mysterium Circumcisionis.* Hæc ille. Quod allegatur de Consecrat. Distinct.4. can. *Quod apud.* vbi apertè docet, fuisse pro originali peccato, & consequenter etiam pro alijs in adultis, aliquam externam ceremoniam: igitur & Sacramentum. Nam ceremonia omnis, ad quam peccatum mortale remittitur, siue fuerit sacrificium, siue non fuerit sacrificium, est tamen Sacramentum. Et probatur fortiùs, quòd remittebantur peccata etiam tunc ad externa signa, elementa, & sacrificia; quia fuit Sacerdotium in lege Naturæ, vt apertum est ex eo, quòd Melchisedech fuerit tum sacerdos. Omnis autem Sacerdos assumptus est ad offerendum pro peccatis, teste Paulo ad Heb.7. Si autem oblatio pro peccatis; & Sacramentum. Vnde patet, quòd etiam Melchisedech, licet non tunc obtulisset (vt obtulit) quando obuiauit Abrahæ, obtulerit tamẽ aliàs vel in eadem materia, vel in alia. Quinetiam de Iob, quòd in Lege Naturæ sacrificauerit pro peccatis filiorum, & quòd quotidie miserit ad illos vt sanctificaret eos, patet Iob. 1. Rursum hoc assumitur pro certo apud omnes, quòd in nullo statu hominum saluabatur aliquis nisi in fide Christi, vel explicita, vel implicita. Quæ fides præsupponebat item originalis peccati agnitionem & necessitatem medicinæ, in Capitibus quidem & Principibus familiarum, vt in Iob & simi-

Gregor. Papa.

1. Gen.14. Heb.7.

Iob 1.

2.

& similibus, expressam & explicitam. In alijs verò id requirebatur ad salutem, vt eandem fidem cum Patriarchis suis, licet non ita apertè cognitam, externa protestatione explicarent. Ex quo sequitur, quòd sicut fides Redemptoris erat necessaria, sic & protestatio, & applicatio eiusdem fidei per aliquod externum opus, in quo debebāt cōfiteri apud suos, quòd Deus esset donator gratiæ, salutis, & remissionis. Hæc autem fieri nō poterāt, nisi per ceremoniam & sacrificium pro peccato. Porrò autem, quòd & vsus sacrificiorum pro peccatis, & necessitas fidei Mediatoris, probent tunc fuisse Sacramenta, locuples testis est D. August. lib. 5. cōtra Iulianum Pelagian. cap. 9. in hæc verba: *Non credendum est* (inquit) *ante datam Circumcisionem famulos Dei (quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi) nullo Sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis, quanquam quid illud esset, aliquā necessaria causā Scriptura latère voluerit. Nā & Sacrificia eorum legimus, quibus vtique Sacrificijs Sanguis ille figurabatur qui tollit peccatum mundi.* Præterea ad hanc rem cōfirmandam multùm facit, quòd omnes rationes, quibus congruentia Sacramentorum ad alios status probatur, etiā faciant pro Lege Naturę, non minùs quàm pro alijs Politijs Ecclesiasticis. Erat enim populus saluandus, erat Ecclesiæ portio non minima, laborabat eodem morbo & cæcitatis & superbiæ, cōfidebat in eodem medico. Ergo debebat habere similem medicinam, eandem instructionem, & viam salutis eandem. Deinde, meruit etiam ille populus, pro pœna subijci elementis corporalibus. Item, tum quoque erat Religio & cultus Dei externus; in cuius nomen conueniebat populus, vel per integras Respub. vel saltem per particulares familias. Deniq; & tunc sacerdotium, sacra, ceremoniæ extiterunt, quibus populus omnis in religionem coalescit. Et probatur vlterius, quia omnes gētes, etiā quæ ignorāt Deū, offerūt pro peccatis: quod nō poterāt aliunde habere, nisi ex relicto instinctu Naturæ. quod postea Dæmon arripiebat sibi, quia videbat hæc cōuenire vero Deo. Igitur in Lege Naturę erant ceremoniæ pro peccatis.

Arg. 2. 3. 4.

De obligatione Sacramentorum in Lege Naturæ.

Ex his deducim⁹ etiã aliã conclusioné, quòd hæc Sacraméta erãt in præcepto, data eorũ facultate. Non est enim cogitandum, fuisse tũc institutũ remediũ, & quòd homines nõ obligarẽtur ad acceptandũ atq; procurandũ idẽ remediũ. Deinde, nisi tenerẽtur ad remedium sensibile, ille status fuisset spiritualior, quàm noster, & multò liberior, cùm solo interiori motu cordis posset in eo peccator iustificari. quòd in nostro ordinariè non accidit, cùm tamen nostra sit Lex libertatis & Gratiæ.

Sed dices mihi: Quo præcepto & qua institutione obligabant ista? Respondeo, quòd eâdem qua sacrificia Noë, Abelis, Melchisedech, Abrahæ, Iob; nempe suggestione diuinâ tacitâ, & non determinata in particulari, sed generali, qua iubebantur hæc facere, nõ semper in tali modo, & tali materia, sicut in Lege scripta; sed generaliter, quòd deberẽt protestari fidẽ, & modum iustificationis atq; redemptionis, per quascunq; creaturas quæ apud illos Diuino dono essent in vsu; vt pastores oues offerrent, agricolæ fruges, & alij alia. Et propterea nõ erat opus, apud omnes Gentes aut familias ijsdem hostijs vti. Inspirauit autem Deus hanc legem & voluntatem suam circa sacrificia & Sacramenta, eodem tempore, quo suggessit Adamo *de semine benedicto*, cuius seminis ab eo tempore omnia Sacramenta facta sunt significatiua. Et deinde Adã hoc significauit filijs suis. Ex quo factum est, vt Abel & Cain ab initio rerum humanarum sacrificauerint. Quæ deinde Dei voluntas dimanauit per illos & sequentes Patriarchas ad posteros omnes, veluti per traditionem. Quod genus institutionis aut conseruationis diuinorum præceptorum circa Religionem atq; cultum Dei ita expressit Deus, loquens Abrahæ Genes. 18. *Scio enim* (inquit) *quòd præcepturus sit filijs suis & domui suæ post se, vt custodiãt viam Domini.* Eodem ergo modo, quo fides supernaturalis fuit in præcepto in Lege Naturæ, quamuis non appareat cui hoc primùm fuerit expressè mandatum: etiam Sacramenta, licet præceptionem, institutionem, aut suggestionem eorum Scriptura tacuerit, tamen præcepta fuisse sentiendum est.

Gen. 3. Gen. 4. Gen. 18.

Per

Per hæc autem omnia quæ de Lege Naturæ diximus, vbicunque *sacrificia pro peccatis*, aut *Sacramenta ad remedium peccati* nominauimus, non sic intelligẽdum est, sicut de nostris Sacramentis, quòd gratiã illa quoq; ex opere operato contulerint; sed quòd signa fuerint tantùm fidei vel Pœnitentiæ, quibus iustificabantur homines non nisi ad vsum talium signorum. In hoc enim sensu etiam illa dicuntur *remedia peccatorum*, sicut & veteris Legis Sacramenta similiter.

Determinatio Sacramentorum in veteri Lege.

Postea verò ordinans sapientia Dei, vt Respub. spiritualis apertè constitueretur, in qua certioribus & illustrioribus modis esset colendus Deus; vtque designaretur familia, in qua Christi Redemptoris carnalis Natiuitas esset præfiguranda & expectanda: Sacramẽta, quæ priùs erant libera, determinauit ad certas materias, certos ministros, certa tempora, certos effectus, certa loca, & certos ritus, partim retinens ea quæ erãt in Lege Naturę, partim noua & plura addens, atque ad maiorem necessitatem in particulari determinans: relinquens tamen fideles omnes, qui adhuc erant extra Israëliticam gentem, illi libertati & indifferentiæ Sacramentorum, quam priùs habebant in Lege Naturæ. Neque enim tota Ecclesia Dei (quod Iudæi volunt) erat sub Lege vnquã, aut sub Gente Iudaica, licet ad eorum ritus & modum colendi Deum quiuis ex gentibus accedere potuisset. Vide D. August. lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 47. In hoc ergo statu veteris Testamenti fuisse Sacramenta, perspicuum est. Eaque durauerunt vsque ad finem illius politiæ, resoluentis se in aduentum vel mortem Saluatoris. Vnde iam orbi noua Respub. quæ *Catholica* dicitur, nouum Sacerdotium, nouum Sacrificium, noua Sacramenta, nouum Testamentum, & noua Lex; omnibus Sacramentis, atque cultu, non solùm Iudaico, sed etiam Legis Naturæ, impletis & resoluentibus se in nostra: vt iam nec populo Iudaico, nec vlli familiæ gentium liceat colere Deum alijs Sacramentis aut Sacrificio, quàm nouis à Christo præscriptis.

Descen-

Defenditur mutatio Sacramentorum veterum, mutationisq; causa, & tempus ostenduntur.

CAP. XXIX.

Tres errores.

SED contra hanc mutationem Sacramentorũ exurgit difficultas triplex: Prima à Iudæis, Secunda à Manichæis, Tertia à Nazaræis & Ebionitis. Primi, hoc est, Iudæi (sicut ex August. refert D. Thomas lib. 4. contra Gent. cap. 57.) credebant Sacramenta legalia propter hoc quòd à Deo sint instituta, esse in perpetuum seruanda, cùm Deus non pœniteat neque mutetur. Manichæi contrà, quia mutata Sacramenta legalia viderunt, nũquam fuisse bona, sed à malo Deo profecta putarunt, vsi etiam argumento Iudæorum, quòd Deus, si bona fuissent & à se præcepta, nunquam sublatis illis substituisset noua. Postremò Nazaræi & reliqui à Hieronymo Epist. 11. inter Epistolas Augustini notati, vt hanc ipsam mutabilitatem Dei circa cultum vitarent, confitentes & vetera & noua Sacramenta à Deo profecta, voluerunt Deum vtroq; genere simul colere, & veterem & nouam Legem ex æquo seruantes.

Aug. Thom.

Hier.

Ad istam ergo omnem difficultatem soluendam, tres conclusiones pono. Prima est contra Iudæos, quòd mutatio & variatio rerum à Deo præceptarum non probet in Deo vllam pœnitentiam aut mutabilitatem. Tunc enim est inconstantia & mutabilitas, cùm quis circa idem eodem modo affectũ sententiam vel voluntatem, quam priùs habebat, immutat; non autem, cùm ex diuersitate conditionum, & temporum, atque ætatum, variè de rebus disponit. Neque enim paterfamiliâs alia præcepta tradens filio puero, & alia adulto; Neq; medicus alia præscribens remedia febricitanti iuueni, alia febricitanti seni, dicitur mutabilis. Sic neque Deus, ex eo quòd secundùm congruentiam temporum alia Sacramenta ante Incarnationem, alia post Incarnationem instituerit, potest dici pœnitẽs, aut pertæsus veterum, aut mutabilis, aut varietate & nouitate delectatus. Secunda conclusio est contra Manichæos, quòd abrogatio vel mutatio Sacramentorum veterũ nõ inde fuerit,

quia

quia erant mala, aut Deo bono exosa; sicut nec Sacramentorũ nouorum institutio, quòd ea essent Deó magis congrua, vtilia, atque delectabilia, quàm priora: cùm vtraque pro diuersitate temporum, hominum necessitati, non diuinæ cõmoditati fuerint comparata, vt notauit D. August. lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 5. Tertia conclusio est contra Nazaræos, quòd vsus earum rerum quæ per se neque bonæ sunt, neque malæ, sed mediæ, fit licitus sæpè vel illicitus propter præceptum, inhibitionem, scandalum, intentionem, & alia adiacentia. Ex quo illud sequitur, quòd hæ actiones externæ, antequam instituerentur in Sacramenta, neque bonæ neque malæ; fiant postea ex institutione, abrogatione, prohibitione, impletione, vel bonæ, vel malæ; vtiles, vel non vtiles; significantes, vel non significantes; obseruandæ, vel non obseruandæ. Vnde facilè videmus, quòd eadem, quæ Deus olim præcepit & bona erant, possunt nunc esse ex prohibitione atque antiquatione, mala & mortifera.

Aug.

Sed hæc tum erunt apertiora, si causas notemus, cur Deus suam præceptionem, institutionem, & cultum externum mutauerit, ac in vna fide Redemptionis varios significandi & colendi ritus mandare voluerit. Prima causa est ex parte Dei, ne scilicet si Sacramenta vetera tam seuerè & præcisè in quibusdam creaturis, & iam omnino seclusis alijs, præscripta fuissent; alia præ alijs Deo ipsi desiderabilia aut necessaria viderentur. Ob quem errorem Spiritus Sanctus in Psal. 49. abrogans illa Sacramenta dicit: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Eandemque causam reddidit etiam D. August. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 5. Secunda causa est ex parte hominis, ne scilicet, ipsis signis nimiùm obseruatis, in his potiùs salutis rationẽ poneret, quàm in rebus significatis. In quo imprimis peccauerunt Iudæi, peccaturi vtique grauiùs, si illa signa essent æterna, nec vnquam alijs signis cederent. Altera etiam ratio fuit ex parte hominis, quia eius conditio nunc pluribus, nunc paucioribus, nunc difficilioribus, nunc facilioribus, nunc obscurioribus, nunc apertioribus indiguit. Tertia causa

Causæ mutationis Sacramentorũ.

1.

Ps. 49.

Aug.

2.

3.

causa est ex variato temporis respectu & circũstantia circa rem significatam, hoc est, mortem Christi & applicationem eiusdẽ ad nostram sanctificationem. Nam alia debebãt esse Sacramẽta prænunciatiua vel prognostica Passionis Christi futuræ, alia cõmemoratiua præteritę vel indicatiua præsentis. Quod optimè declarat D. August. lib. 19. contra Faustum cap. 13. & 16. vbi docet, Sacramenta esse quædam verba visibilia, nunc personantia & promittentia Christum nasciturum, passurum, resurrecturum; alia annunciantia, quòd natus sit, passus sit, & resurrexerit: ita vt, quemadmodum mutãtur verba ad promissionem futuri, & declarationem peracti, sic etiam Sacramenta.

Aug.

Vbi & illud aduertendum est, quod D. Thomas annotauit Quæst. 61. Artic. 3. Part. 3. mortem Christi respexisse Sacramenta vetera, vt causam finalẽ; nostra autẽ, vt eorũ efficientem causam: quia illa pręcesserunt, & ipso consecuto fine, cessarũt, nostra autem incipiunt cum Christi præsentia atque morte, indeq; vim & continuationem accipiunt.

Thom.

4. Quarta causa cur mutanda fuerint Sacramenta, est ex parte ipsorũ Sacramentorum: quia nimirũ erãt ad infantium in fide pædagogiã tantùm instituta, & propterea adultis in fide viris inepta. Ita Paulus ad Gal. 4. Et erant quoque *infirma & egena elementa* (quod ibidem legimus) non habentia spiritum neq; gratiam. Quocirca Passione peracta, Christo præsente, populo Dei viro iam facto, & omni gratia spirituali in cœlestib⁹ benedicto, nõ cõgruebant. Rursus (ex Apostolo ad Hebr. 7.) *nihil ad perfectũ adduxit Lex.* & inde, *reprobatio prioris mandati fit propter inutilitatem & infirmitatem.* Rursus, tum cùm *nondum erat propalata via sanctorum*, erant Sacramenta posita *in cibis, & potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis, tãtùm vsque ad tempus correctionis impositis, quæ non potuerunt iuxta conscientiã perfectum facere quenquam.* Ita cap. 9. ad Heb. Erant grauia, seruilia, & duræ ceruicis populo comparata: ergo filijs, liberis, & per Christum iam factis hæredibus neutiquã imponenda. Ita Act. 15. Erant vmbrę, Heb. 10. ergo debebant cedere & euanescere ad expressam imaginem

Gal. 4.

Heb. 7.

Heb. 9.

Act. 15.
Heb. 10.

æternę

æternę lucis. Erant figurę: ergo pręsente corpore inutiles. Erãt exemplaria cœlestium, Heb.9. ergo per nostra, quæ sunt ipsa cœlestia, abolenda. Erant parabola temporis instantis, itidem Heb.9. ergo in plenitudine temporis ad finem perducta. Iam exultebant noua Lex, nouus Legislator, nouũ Testamentum, nouũ Sacerdotiũ, noua Sacramenta: ergo priora nõ modò antiquata, senescentia, & prope interitum, sed etiam planè mortua, Heb.8. Deniq; Christus in Cruce consummans, implens, atque (vt Damasc. dicit lib.4 cap.26. de orthod. fide) antiqua Sacramẽta sistens, fecit illa nouis planè cõtraria, atq; ἀσύςατα, id est (vt nostri vocant) incompatibilia, & signa mendacia, dum quasi futurum prædicunt atque præfigurant, quem nostra iam venisse testantur.

Heb.9. Heb.8. Damasc.

Nunc autem si quęras, quando & quo temporis momento vetera Sacramẽta cessarint: Breuiter respõdeo; quãdo perfectè impleta sunt; quãdo perdiderunt significationẽ, vim, & obligationẽ; quando dixit Christus in Cruce iam moriẽs, *Consummatum est*; quãdo velum templi scissum est: eo scilicet tẽpore, quo à peccato simul & Lege liberati sumus. Tum (inquit August. Epist.19.) *quando venit fides quæ prioribus Sacramẽtis prænunciata est, amiserunt vetera vitã officij sui*; tunc quãdo nouus & ęternus Sacerdos dixit Patri suo; *Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Et, *sacrificia & pro peccato non postulasti, Tunc dixi, ecce venio, vt faciam voluntatem tuam.* Lege August. in Psal. 39. & Bedam in cap.2. ad Gal. & Hieron. in aliquot Epist. ad D. August. scriptis. Caue tamen putes, cessasse legalia Sacramenta statim ad præsentiam Christi, aut etiam ad institutionem nouorum Sacramentorum. Adhuc enim habebant non mendacem significationem de morte Christi futura, & propterea obligationem. Nec nostra, licet tunc instituta, habebant completam significationem, aut vim, aut effectum, sicut post mortem Christi: quanquam in consilio fuerint, etiam ante Passionem. Sed tunc planè mortua erant & inutilia vetera, quando noua integram significationem, & vim, atq; effectũ

Tempus cessationis legalium. Mat.27. Aug. Psal.39. Heb.10. Aug. Bed.

ex morte Christi adepta fuerant. Ad quam rem faciliùs intelligendam August. ponit trium temporum distinctionem. quem nos quoque sequimur, quia non solùm à Scholis in id ferè consensum est, sed & Concil. etiam Florent. approbat. In hunc ergo sensum ille ad Hieronymum scribit, quem habebat aliquousque aduersarium in hac causa: Temp⁹ ante Passionem Christi habebat legalia viua, significatiua, obligantia. Alterum tempus, quod interiectum est inter Passionem & sufficientem promulgationem Euangelij, habebat antiquum Testamentũ cum omnibus Sacramentis suis veluti corpus mortuum, sine vtilitate, & necessitate obligationis, deferendum tamen honorificè ad sepulchrum, ne si contumeliosè tractaretur, sicut cultus Idolorum, putaretur nunquam à Deo institutum. Tertiũ tempus à sufficienti promulgatione Euangelij, per quam planè sepulta est Lex Et hoc tempus vsque ad finem mundi abominatur legalia vt mortifera, & omnibus modis Christo ac saluti nostræ inimica. Et de mutatione veterum, hactenus.

Ep. 19.

Quòd multùm præstent Sacramenta noua veteribus; ita vt nec mutanda ipsa vnquam sint.

CAP. XXX.

Deinceps de nouis dicturi, hoc primùm reliqui sermonis nostri collocamus in transitu fundamẽtum; quòd nostra Sacramenta sint multo excellentiora Sacramentis veteris Legis; idque obijcimus contrario axiomati Hæreticorum, quod impijs verbis ita concepit Caluinus lib. 2. Institut. cap. 10. *non esse quòd ex Euangelio vllam Sacramentis nostris prærogatiuã vendicemus.* Cui impietati, pro Catholico dogmate de præstantia totius ministerij nouæ Legis, aliquot argumẽtis resistendum est. Imprimis ergo pro nobis facit D. Paulus in tota Epistola ad Hebr. appellans nostrum Testamẽtum *melius Testamentum.* Inquit enim cap. 1. *Melioris Testamenti sponsor factus est Iesus.* Rursus cap. 8. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repro-*

Caluinus.

D. Paulus.

Heb. 1.

Heb. 8.

repromißionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. Idem 2.Cor.3.pulcherrimam facit antithesim inter ministerium vtriusque Testamēti, prius appellans *ministerium literæ, ministeriū damnationis, ministerium mortis*: nostrum autem, *ministerium Spiritus, vitæ, iustitiæ, gratiæ. Si* (inquit) *ministerium mortis & damnationis fuit in gloria, quantò magis ministratio spiritus erit in gloria? Si Testamentum quod euacuatur, per gloriam est, multò magis Testamentum quod manet, in gloria est.* Quem totum locum Apostoli insigniter explicauit pro honore Sacramentorum nostrorum & ministerij eorundem, D.Chrysost.lib.3. de Sacerdotio. Sed & D.August. clarissimis testimonijs suis excellentiam nostrorum præ veteribus comprobauit.Conc.1.in Psal.103.& lib.3. de Doctrina Christ.cap. 19. & Epistola ad Ianuarium; sed optimè lib.19.cōtra Faustum cap.13. vbi ait: *Prima Sacramenta ablata sunt, quia impleta sunt: & alia instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora.* Et super Tit.Psal.73.ita inquit: *Sacramenta veteris & noui Testamenti non sunt eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia tantùm Saluatorem. & illa salubriora, fœliciora, faciliora.* De qua re vide etiam Concil.Florent.Sess.vltima. Quam eandem conclusionem egregiè probat Dionys. de cælesti Hierarchia cap.5.docens, nostrum Euāgelicum statum esse medium inter veterem Legem, vbi omnia fuerunt figuratiua & vmbratica, atque cœlum ipsum, vbi veritas & cultus erit sine symbolis. Cultus autem, qui propiùs accedit ad cælestia, habens expressam imaginem eorum (teste etiā Paulo Hebr.10.) est præstantior præcedentibus vmbris. Consimile argumentum ad probandum mutationem veterum, & præstantiām nostrorum prosequitur D.Thomas in hunc ferè sensum, 1.2. Quæst. 103. Art.3.omnem cultum symbolicum, per quem adoramus Deū sub tegumentis Sacramentorum, partim adumbrare bona cœlestia futura, partim media beneficia per quę ad cœlestia introducimur, id est, Christum & Sacramenta nostra. Sacramenta porrò vetera fuisse duplici vmbrę subiecta, cùm nō solùm cœ-

2.Cor.3. Chrysost. Aug. Floren. Dion.Are. Heb.10. Thom.

lestia procul & obscurè adumbrarent, sed etiam Christum & nostra Sacramenta, ad quæ tanquam ad corpus & veritatē debebant resolui: vbi nostra non resoluentur, nisi ad ipsum cœlū, tum cùm euacuabitur omne id quod ex parte est. Et huc facit, quòd (vt facilè probari potest ex Scriptura & veteribus) Sacramenta vetera non solùm figuræ fuerint actionum Christi, sed etiam Sacramentorum nostrorum; vt intelligas contra Hæreticos, omnia Sacramenta nostra dici *veritatem*. Hoc innuit D. Ioannes, cum inquit cap. 1. Euangelij sui, *Gratiam & veritatem factam esse per Christum* Vide August. Epist. 86. quæ est ad Casulan. & lib. 1. contra Aduersarium Legis & Prophet. cap. 18.

1. Cor. 13.

Ioan. 1. Aug.

2. Cor. 3.

Porrò cùm Apostolus 2. Cor. 3. asserat, *nec glorificatum esse quod maximè claruit in veteri Testamento, propter excellentem gloriam noui Testamenti*; Cùm hîc non Moysen leges & ceremonias imbecilles dantem habeamus, sed Christum Iesum sua Sacramenta de latere suo in optima maxima Passionis actione exprimentem, suo sacro ore instituentem, gratia, spiritu & omni virtute impertientem; cùmque non dubitemus, vt eā redemptionis rationem, quæ facta est in carne Christi Iesu, omnem superasse sapientiam, ita aliam non potuisse esse viam applicandi illud beneficium commodiorem, maiorem, meliorē, quàm quæ in nouis Sacramentis instituta est; (vnde & nostra Sacramenta non solùm esse veteribus præstantiora, sed etiam talia, vt nec perfectiora, ad quamcunque velis animæ gratiam comparandam, à mortalibus concipi quidem queant: imò ne ad cultum quidem Dei, qui in his maximè consistit, aliquid excellentius addi posse, audacter asserimus; quod facilè intelliges, si in vna Eucharistia notes, qui & qualis sit pastus animæ tuæ, qui & quantus sit cultus Dei tui) cùm, inquam, hæc ita se habeant: illud necessariò consequitur, hæc Sacramenta nostra nunquam vsque ad finem seculi fore mutanda, neque hunc Sacramentalem cultum vllis dignioribus symbolis cedere posse, sed solummodò terminatum iri ad ipsam veritatem aspectabilem in cœlo, vbi non erit opus ceremonia aut

Sacra-

Sacramento, vt Ioan. Apocalip cap.21. notauit, dicens: *Et templum non vidi in ea. Dominus enim omnipotens & Agnus templum illius est.* Quę veritas de non mutandis Sacramentis debet notari contra Cataphrygas, Manichęum, Montanum, Priscillam, & alios, qui sibi restaurationem nostrorum Sacramentorum ex promisso Spiritu Sancto superbè vendicabant. Vide August. lib.32. contra Faustum cap.17. Ex his ergo quæ dicta sunt, aliquid excellentius esse in nostris Sacramentis quàm in veteribus constat. Quid autem illud sit, ex vi & effectu nostrorum iam videbimus.

Apoc.21.

Aug.

Noua Sacramenta conferre gratiam ex opere operato: & quis sit Operis operati sensus ac vsus, quodq́; bonos motus non excludat.

CAP. XXXI.

Primvs ergo & pręcipuus effectus, idemq́; omnibus Sacramētis nouis cōmunis, est gratia sanctificans. Quam gratiam in anima hominis Deꝰ operatur per Sacramēta, tanquam per instrumentalem causam; non alia ratione, nec minus verè, quàm homo dicitur scribere per calamū. Quod lucis causa, paulò pluribus verbis, & distinctiùs, per has tres cōclusiones sibi inuicem ordine quodā cohærentes, exponimus. Prima conclusio: Sacramēta sunt causæ efficientes gratiæ, operātia & producentia eam in anima. Secunda: sunt eiusdem instrumentales, & nō principales causæ, quia nō eam operantur sua propria naturali virtute, sed mota à Deo qui est principalis causa. Tertia: Gratiam, licet per actionem principalis agentis, non operantur, nisi exercendo suā propriam naturalem actionem: hoc est, Baptismus, Eucharistia, & reliqua, non perficiunt gratiā, quam ex principali agente possunt, nisi propria & naturali actione aquę, panis, olei, vt lotione, cibatione, inunctione corporis, & similibus. Vnde sequitur, quòd quamuis non ex naturali sua virtute, ex ipsa tamen actione & operatione naturali, hoc est *ex opere operato*, conferant gratiam.

Quod verbum licet apud primos Ecclesiasticos Auctores non fuerit in vsu, licetque barbarum sit, & contra veram Grammaticen passiuè sumatur; tamen quia non ita nouum est, vtpote vsurpatum 400. abhinc propè annis ab Innocentio 3°. lib. 3. de Mysterio Missæ, & quia habet apertum in Scripturis & Patribus sensum, non est veritum sacrosanctum Concilium Tridentinum, imò necessarium cõtra Hæreticos iudicauit, ipso in hac materia vti, Sess. 7. cap. 8. *Si quis* (inquit) *dixerit, noua Legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam, sed solam fidem Diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Habet autem hunc sensum, quòd Deus operatur hãc gratiam non ex fide, deuotione, aut merito hominum, sed ex opere Sacramenti, quo ad eam rem vtitur tanquã instrumento: & quòd propterea Sacramentum non habeat vim operatiuam ex fide aut alia virtute hominis, sed ex ipsa institutione Dei. Id quod D. Augustinus euidenter expressit lib. 4. con. Crescon. cap. 16. dum ait: *Non eorum meritis à quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constare Baptismum, sed propria sanctitate atque veritate propter eum à quo institutus est.* Quod etiam valde significãter lib. 4. contra Donatis. cap. 24. enunciauit, dicens: *Sacramentum ipsum per seipsum in paruulis valere plurimum.*

Trid. Con.

Vsus Operis operati.

Nostri igitur homines adinuenerunt istud verbũ *operis operati*, vt ab opere operantis, id est, merito suscipientis Sacramẽtum vim non habere declararent, & vt opera Sacramentorum ab his actionibus humanis distinguerent quæ valorem consequuntur ex hominis deuotione, sicut ieiuniũ, eleemosyna, &c. Non autem, vt per illud excluderent (quod contra calumnias Hæreticorum aduertendum est) aut fidem, aut pœnitentiam, aut alios quosuis bonos motus in adultis, vel quæcunque præparamenta ac necessarias dispositiones in susceptione Sacramentorum, ex parte hominis; quandoquidem apertis Scripturis, vt Marc. vltimo, & Act. 8. requiritur fides ad Sacramentum. & Act. 2. requiritur pœnitentia: Act. 22. requiritur inuocatio Nominis Domini: 1. Cor. 11. requiritur examen conscientiæ: & sic

& sic de alijs. Non est autem vllo modo consequens, nos virtutes istas in Sacramentorum susceptione ideo non omnino requirere, quòd non agnoscamus eas tanquam causas meritorias & effectiuas quæ suo concursu vim, efficaciam, & valorem ipsi Sacramento tribuant; sed tantùm vt causas disponentes, materiales, passiuas, respectu (inquam) ipsius operis Sacramenti & effectus Sacramentalis. Nam aliâs huiusmodi virtutes ex concurrenti gratia, etiam extra Sacramentum, habent suos effectus, sicut & in Sacramenti susceptione auctiorem gradum gratiæ merentur. Sed quod ad ipsum Sacramentum attinet, sunt (inquam) passiuæ propriè, sicut & ipse homo passiuè se habet in Sacramento suscipiendo: licet, vt se ad Sacramentū præparet & ducat, fides & deuotio in ipso, sint actiuæ. Post quæ Sacramentum opus suum facit, & producit gratiam in homine sic fide & pœnitentia præparato, tanquam in bene affecto & disposito subiecto; & non per illarum virtutum proprias vires vim suam exercet, quo modo olim vetera Sacramenta, quia non poterant per se ad quenquam deriuare fructum Passionis futuræ, ideo vsa sunt fide quam protestabantur. Nam fides ex propria actione sua apprehēdebat Christi Passionem futuram, atque per Passionem illam ita fideli mente conceptam, iustificabat in Sacramentis, & non ipsa Sacramenta. Sed nunc Passione Christi semel exhibita, constituuntur ipsa Sacramenta instrumenta, quæ eandem Passionem animabus nostris applicent. Nunc ergo sic se habet fides aut deuotio suscipientis Sacramentum, sicut eædem virtutes sese habuerunt in eo, circa quem Christus vel Apostoli miracula operati sunt. Qui enim sanitatem consecuti sunt per Christum, debebant illi quidem credere; tamen ineptum esset asseuerare, quòd sanitas non à virtute aut verbo Christi, sed à fide illorum proficisceretur: In qua nempe re Humanitas Christi fuit instrumentalis causa, & Deus principalis causa; homo autem fidelis fuit tantùm materia bene disposita. Hoc autem est multò magis gloriosum Deo, quòd omnem Sacramentorū efficaciam suæ institutioni, suis in-

Gloria Dei ex opere operato commendatur.

Q

ſuis inſtrumentis, potiùs quàm noſtris actibus adſcribamus. Quæ res bene animaduerſa multùm conuincit Hæreticos, qui aliàs ĕtiam, in hac præcipuè materia, volunt videri ij, quib' Diuinus honor cordi & curæ ſit. Vbi & illud notandum eſt, tantopere pertinere ad gloriam Paſſionis Dominicæ illuſtrãdam, multum concedere huic operi Sacramenti, vt Patres quàm minimum tribuendum putent ipſi miniſtro ſecundario, vt eo plus cõcedatur Sacramentorũ inſtitutori & miniſtro primario Chriſto; cuius vis ad ſalutẽ noſtrã viget etiã tum, cùm miniſtri nõ ſolùm mali ſunt, ſed ſæpè etiã Hæretici: vt ſic intelligas, hoc opus operatũ fidẽ quoq; & bonitatẽ miniſtri ab hac operatione excludere. Deinde propter hanc præterea cauſam dicimus Sacramentum exercere vim ex opere operato, quod ſæpè etiã tum gratiã cõferat, cũ fides non ſit magna, cũ deuotio langueſcat, & contritio de peccatis aliàs planè inſufficiens exiſtat. Nunc enim ſufficit, ſi nõ ſit aduerſa aliqua qualitas, quæ obicẽ Sacramẽto ponat. Optimè autem hoc opus operatũ & ipſam vim Sacramẽtalem percipies ex eo, quòd effectum ſuũ in paruulis, morionibus, & ſtupidis, ſine quibuſcunq; virtutibus proprijs, aut cooperãtibus aut diſponẽtibus, ampliſſimè operetur.

Aug. Vnde D. Auguſt. ſæpè aliàs, ſed elegãtiſſimè dixit lib. 1. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 18. *Totum hoc* (inquit) *fit in paruulis vi Sacramenti & diuinæ gratiæ*. Quod nos *ex opere operato*, ille *vi Sacramenti* dixit. Deniq; hoc opus operatum comparatum eſt propter contentioſos homines, qui volunt, Sacramenta noſtra non alia ratione ad gratiam producẽdam operari, quàm Euangeliũ & Verbũ Dei, per modũ inſtructionis, ſignificationis, & teſtificationis Diuinę erga nos volũtatis, quã volũt proponi & fide acceptari ex his externis ſignis & verbis Sacramentorũ: cũ cõtrà Eccleſia ſanctè agnoſcat, tã actiones, quã elemẽta, & maximè verba Sacramẽtorũ prętet ſignificationẽ, operatiua quoque eſſe, ſicut illa verba: *Lazare, veni foras. Mulier, remittũtur tibi peccata tua. Sol, ne mouearis. Creſcite & multiplicamini*, & ſimilia. De qua operatoria vi in Sacramentis alias diximus. Vide etiam

Io. 11. Lu. 7. Ioſ. 10 Gen. 1. Supra, cap. 20.

D. Am-

D. Ambrof. cap. 4. lib. 4. de Sacramentis.

Minimè autē nunc laborandū eſt in eo quod Hęretici obijciunt,excludi merita Chriſti,inſtitutionē Chriſti,efficientiam Dei,per hoc quòd tantā vim operi operato tribuamus. quādoquidē illa nō ſolùm intelligūtur & includūtur in opere Sacramēti, ſed includūtur etiā tanquā agentes & principales cauſæ: cū omnes Catholici profiteātur,opus Sacramēti eſſe ſecundariū & inſtrumētale,ab altiori cauſa motū & eleuatū ad effectū talē qualē ſua naturali virtute attingere non potuiſſet. Et propterea gratiā, quę dicitur effect⁹ Sacramētalis actionis, nō eſſe correſpondentē inſtrumentali cauſę,ſed principali,id eſt,Deo. vnde & *diuinæ naturæ conſortiū* vocatur à D.Petro. Agens enim principale operās per inſtrumentū,nō intēdit,pducere effectū inſtrumēto ſimilē vel proportionatū , ſed alicui exēplari quod in mēte ſua gerit;vt architect⁹ domū nō ſerrę vel ſecuri reſpondentem,ſed ſuę cōceptioni ſecundùm quā inſtrumenta dirigit.

2.Pet.1.

Quòd Sacramenta noua conferant gratiam,varijs argumentorū generibus,è Scripturis & Patribus confirmatur.

CAP. XXXII.

CVm duo ſint in omni Sacramento nouæ Legis;vnum,vt gratiā ſignificet; alterum,vt gratiam cōferat: de illo priori, vt de re minoris momenti ac faciliori , Scripturæ parciùs loquuntur; Sed de altero , quod magis ſalutare eſt & nouorum Sacramētorum proprium, apertiſſima teſtimonia paſſim prębent. Quò magis miramur Hęreticorum veſaniam,qui neglecto hoc poſteriori,ampliori,ac magis neceſſario effectu, id ſolum quod in Sacramentis minus eſt, ac magis vulgare, retinere ſtudeant. Quorum iam peruerſam ſententiam Scripturis maximè illuſtribus refutabimus,eâdem operâ Catholicum ſenſum confirmantes.

Primū igitur ad Ro.6.& ad Gal.3.teſtatur Apoſtol⁹,quòd Baptiſmi Sacramentū applicet nobis Chriſtū: *Quicūq;*(inquit) *in Chriſto baptizati eſtis,Chriſtū induiſtis*.Itē,q applicet mortē eius.

1. Applicatio Chriſti. Rom.6. Gal.3.

An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Et vt videas apertam rationem instrumentalis causæ, ita inquit: *Consepulti sumus per Baptismum cum illo in mortem.* Et ad Coloss. 2. *Consepulti ei in Baptismo sumus.* Vnde sic colligimus: Induere Christum, incorporari Christo, participem esse mortis, sepulturæ, Resurrectionisque eius, est summa gratia: igitur cùm Deus eam nobis donet per Baptismum, sequitur, hoc Sacramentum conferre gratiam.

Col. 2.

2. *Per ipsa Remissio, &c.* Act. 2.

Et quòd hoc ex opere suo faciat, instrumentaliterque gratiam conferat, probatur apertiùs ex Act. 2. vbi D. Petrus dicit: *Baptizetur vnusquisque vestrûm in remissionem peccatorum.* Ecce remissio peccatorum effectus ipsius Sacramenti est. Rursum ex Act. 22. idem perspicuum est, quòd ipsa actio externa, id est, ablutio corporis, operetur effectum remissionis. Inquit enim Paulo Ananias: *Baptizare, & ablue peccata tua.* Consimilem vim tribuit Apostolus ipsi lotioni & operi Sacramenti, Ephes. 5. *Mundans Ecclesiam* (inquit) *lauacro aquæ in verbo vitæ.* vbi & actionem, & instrumentum, & effectum indicat apertissimè. Sed optimè rationem causæ instrumentalis expressit ad Tit. 3. dum vtitur præpositione *per. Secundùm suam misericordiam* (inquit) *saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis.* Eodem modo D. Petrus. *Octo animæ saluæ factæ sunt in arca per aquam. quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma.* Cùm ergo regeneratio, renouatio, salus, & ablutio peccatorum *per* Baptismum sint, quin Sacramenta sint instrumēta gratiæ, nullus relictus est ambigendi locus.

Act. 22. Eph. 5. Tit. 3. 1. Pet. 3.

3. *Idem quod Deus.*

In quibus illud quoq; animaduertendum est, quòd in his omnibus ferè locis coniungitur ad eundem effectum cum principali agente Sacramētum, vt intelligamus, non esse distinguendam operationem hîc variarum causarum, sed effectum integrū coniunctim attribuendum omnibus; imò & aliàs quoque intelligēdas esse reliquas, quandocunque vna tantùm exprimitur. Quod optimè rursus percipies ex primis Saluatoris verbis de hoc Sacramento habitis, Ioan. 3. vbi iunctim regenerationem hominis attribuit

aquæ

aquæ & Spiritui ſancto. *Niſi quis* (inquit) *renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt videre Regnum Dei.* Cum autem vnus effectus ſic attribuitur duabus cauſis ſibi mutuò coordinatis, ſicut non poteſt vni denegari, ſic neque alteri. Si igitur gratia effectus eſt Spiritus, erit quoque effectus aquæ.

Ioan. 3.

Plurimùm autem ad hunc locum eadem Saluatoris verba ex hac etiam parte conferunt, quòd tãtam eſſe vim in hoc Sacramento indicent, vt ipſius vſus, ſuſceptio, atque actio, reuera dicatur altera natiuitas, regeneratio, atq; renouatio hominis, cuius operationis noua vita in Chriſto ſit terminus. Vnde intelligimus, ſic eſſe ſpiritualem vitã gratiæ effectum Sacramenti, ſicut naturalis vita & eſſe hominis eſt terminus atque effectus naturalis generationis. Vbi ſi ſemen, & ſuccus, & calor, & humor natiuus in vtero matris ſint cauſæ fœtus, quid dubitamus dicere, Eccleſiæ vterum, id eſt, Baptiſmum effectiuè producere vitam ſpiritualem? Quod ſapienter aduertens Ambroſ. lib. 2. de Sacramentis cap. 6. admirabundus dicit: *Vt in hoc ſeculo nexus diaboli ſolueretur, inuentum eſt Sacramẽtum, in quo homo viuus moreretur, & viuus reſurgeret.* Idem ipſum diuinis verbis docet S. Leo, ſermone 4. de Natiuitate Domini: *Spiritualem* (inquit) *originem in regeneratione quiſque conſequitur, & omni homini renaſcenti aqua Baptiſmatis eſt inſtar vteri virginalis, eodem Spiritu ſancto replente fontem, qui repleuit & Virginem; vt peccatum quod ibi vacuauit ſacra conceptio, hic myſtica tollat ablutio.* Et Serm. 5. *Originem quam ſumpſit in vtero Virginis, poſuit in fonte Baptiſmatis: dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim Altiſſimi, & obumbratio Spiritus ſancti, quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem, eadem fecit vt regeneret vnda credentem.* Atque ex D. Auguſt. lib. 1. de peccatorum merit. & remiſſ. cap. 24. annotandum eſt, tam eſſe hoc intrinſecum Sacramentis, gratiam videlicet operari, vt plurimùm commendet Chriſtianos Punicos, quòd ab effectu appellarent Baptiſmum ſua lingua *ſalutem*, & Euchariſtiam *vitam.* Quem gratiæ effectum ſingularem, maximè Sacramento ſui corporis contineri, Chriſtus Ioan. 6. docuit, cùm

4. Effectus ſingulorum.

Amb.

Leo.

Aug.

Ioan. 6.

 ait:

ait: *Qui manducat me, viuet propter me:* &, *Qui manducat meã carnem, in me manet, & ego in eo.* Et, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Quòd si igitur alimentũ corporale vitã corporalem sustentat, quidni & spirituale spiritualẽ? In quem locũ vide D. Cyrillum lib. 10. in Ioan. cap. 13. Et in hoc genere quid potest desiderari clarius, quàm quòd 1. Cor. 10. Apostolˀ ipsum opus Sacramẽti, id est, *fractionẽ panis* & *sumptionẽ Calicis*, appellat *communicationem Corporis & Sanguinis Domini*; quæ est summa gratia vnionis cuiusq; membri cum capite suo, sicut & illa vnio est membrorum inter se, quę his verbis ibidem cõtinetur: *Vnum corpus multi sumus omnes qui de vno pane participamus.* Similiter ad actionem cæterorum quoq; Sacramentorũ verè cõferri gratiam, vide de Confirmatione cap. 8. Act. vbi Simon Magus *vidit, quòd per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus.* Vide de Ordine 1. Timoth. 4. *Gratiam datã cum impositione manuum Presbyterij.* Vide etiam Iacob. vltimo orationem fidei & inunctionem sacram *saluantem infirmum, & dimittentem peccata.* Cuius maximi atq; interni effectus ne vlla esset apud fideles dubitatio; quòd is oculis corporeis cerni non potuit, voluit illum Deus, tum cùm primùm Sacramenta noua ministrari aut institui cœpta sũt, miraculis externis cõsimilẽ effectũ repręsentantibˀ declarari. Sic Saluatore in Iordane baptizato, cœlos apertos, & Spiritũ sanctũ in colũbę specie apparuisse; ita cõfirmatis Apostolis, dispertitas linguas, &c. ita deniq; ad singulorũ quorũq; Sacramentorũ administratiões, in primitiua Ecclesia miracula ostẽsa fuisse, memorię proditũ est.

Aliud argumentorum genus ad idem probandum sumi potest ex quibusdã rebus & actis nostra Sacramẽta olim præfigurantibus. cuiusmodi fuit 4. Reg. cap. 5. aqua Iordanis mundãs lepram Naaman Syri, licet ægrè etiã credẽtis vim eius. Hæc à D. Ambros. lib. 1. cap. 5. de Sacramẽtis elegãter ostẽditur sic operata in corpus leprosi, sicut aqua Baptismatis in animã peccantis. Eiusdẽ Sacramẽti nobilis figura fuit etiam aqua Probaticæ, Ioan. 5. quæ ex opere operato sanabat languores omnes. Vnde

Cyril. | 1. Cor. 10. | Act. 8. | 1. Tim. 4. | Iac. 5. | 5. Miracula. | Mat. 3. | Act. 2. | 6. Figuræ. | 4. Reg. 5. | Amb. | Ioan. 5.

illi tot

illi tot annos expectãti defuit sanitas etsi cupidissimo, quia defuit Aquæ tactus. *Erat autem illa* (inquit Chrysost.) *figura atque descriptio nostri Baptismatis, quod erat futurum plenum potestatis & gratiæ, & purgaturum peccata, & pro mortuo viuum effecturum.* Hom. 25. in cap. 5. Ioan. Sic & Eusebius Emissenus, sermone de S. Blandina, sic August. ser. de S. Stephano ac Laurentio. Huic generi argumentorum vicinum est illud, vt ex Scripturis & Theologis colligamus, quomodo vetera Sacramenta, vel figuræ circa effectus suos nostris collatæ, longè inferiores extiterint. Sic Manna, & Eucharistia nostra, Ioan. 6. quoad effectus conferuntur: sic Coloss. 2. Circumcisio & Baptismus noster. Sic D. Chrysost. de Sacerdot. lib. 3. confert actum sacerdotis in Sacramento Pœnitentiæ cum ministerio veteri circa mundationem leprosorum, docens in nostro Sacramento & sacerdotio magis verè & propriè purgari animam & remitti peccata, quàm in veteri purgata sit lepra. Alius argumentorum locus erit, si consideremus, ferè nulla fuisse Sacramenta veteris Legis, quæ non præter significationem, quandam quoq; ex opere operato sanctificationem attulerint. Operabantur enim (teste Paulo ad Hebr. 9.) iustificationes carnis. Et sanguis hircorum, & ciuis vitulæ sanctificabant ad emundationem carnis, & munera purgabant à partu mulieres, & sacrificia erant constituta ad tollendas quascunque legis irregularitates; & talem effectum ex opere operato sunt sortita. Ergo nostra Sacramenta eodem modo sese habent ad animæ & conscientiæ sanctificationem.

Chrysost. *Euseb.* *Aug.* 6. *Collatio cũ veteribus.* 7. *Effectus additus significationi veterum.* *Heb. 9.*

Quòd Sacramenta noua alio modo causent gratiam, quàm prædicatio Euangelij.

CAP. XXXIII.

Ex his omnibus, quãta sit Hæreticorum cæcitas & impietas, videmus, qui Sacramenta nostra non magis efficere gratiam, quàm baptismum Ioannis, vmbram Ezechiæ, vellus Gedeonis, & consimiles figuras, asseuerare audent. Sed

Mat. 1. *4 Reg. 20.* *Iud. 6.*

Sed importunitas tamen eorum maior eſt, qui ea ſic eſſe cauſas gratiæ, vti Euangelium, contendunt; quatenus nimirũ quaſi verbis quibuſdam viſibilibus per ea inſtruamur de Chriſto & mortis eius beneficijs; qui & hanc ob cauſam Sacramentorum verba vulgari lingua, quaſi ad inſtructionem tantùm comparata, proferenda volunt. Verùm hæc tergiuerſatio hæretica ſolidè confutatur ex eo imprimis, quòd hæc ſigna Sacramentalia cùm ſint multò obſcuriora quàm Euangelium aut prædicatio, tum etiam adhibeantur in adultis ſemper poſt Euangeliũ prędicatum, & poſtquam ea crediderint quæ de Chriſto & eius meritis credenda ſunt. Ergo ad aliud quàm ad inſtructionem, & ad aliquid conſequendum, quod ex fide ſola aut doctrina Euangelij aſſequi non potuerint. Hoc confirmatur egregiè ex 2. Act. vbi videmus præcedentem doctrinam Euangelij generantem in hominibus fidem & compunctionem cordis, & tũc ſubſequens opus Baptiſmi. *His* (inquit Lucas) *auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres?* En tibi vim Euangelij. Et Petrus, *Pænitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in remiſſionem peccatorum, & accipietis Spiritum ſanctum.* Ecce virtutem Sacramentorum. Sic Act. 8. Philippus primùm Euangelizauit Eunucho; qui deinde cùm docenti crediſſet, *licet tibi* (inquit) *baptizari.* Ex quibus planum eſt, aliud eſſe officium Euangelij inſtruentis ad ſalutem, aliud Sacramenti dantis atque conferentis ſalutem, gratiam, ac remiſſionem peccatorum. Inde quoque confutatur hoc commentum, quòd Sacramenta ſæpè miniſtrantur vtiliter his quibus ineptum eſſet concionari, vt paruulis & morionibus. Igitur præter inſtitutionem ſeu inſtructionem, habent vim quandam ſalutiferam ex opere operato; & per conſequens, nõ eo modo ſaluant aut gratiam tribuunt, quo Euangelium.

Act. 2.

Act. 8.

Sed obijciunt Hæretici, à Paulo Rom. 1. Euangelium quoq; dici *Dei virtutem in ſalutem omni credenti:* nec tamen eidem inſtrumentalis cauſæ efficaciam ad ſalutis comparationem concedimus.

Rom. 1.

cedimus. Respondemus, Apostolum seipsum sequentibus explicare verbis, cùm causam reddēs eius quod dixerat de virtute Euangelij, ita ait: *In eo enim reuelatur iustitia Dei ex fide in fidem.* Viden apertè, quomodo Euangelium dicatur *virtus Dei in salutem?* non donando eam, sed proponendo, promittendo, offerendo, reuelādo Diuinam iustitiam ex fide. Est etiam Anselmi commentarius in hunc locum non incommodus: Euangelium dici virtutem Dei, id est, res contentas & propositas nobis in Euangelio, Crucem, mortem, resurrectionem, & Baptisma cum cęteris Sacramentis. Nam & ad Sacramenta, salutis acquirendæ causa, Euangelium credentes vocat.

Anselmus.

Illud verò quod obijciunt ex August. Tract. 80. in Ioan. & contra Faustum lib. 19. cap. 6. vbi appellat Sacramentum *quoddam quasi visibile verbum*: Vanum est. Non enim à sanctissimo Doctore ita dictum illud est, quasi, quoad effectum seu efficaciam, Sacramentis Verbum Dei conferret, aut paria faceret in operatione salutis: sed tantùm quoad officium significandi ea conferens inter se, vult non solùm verbo prædicationis, sed etiam Sacramentorum signis, tāquam quibusdam verbis sacris, fidem mortis Dominicæ explicari & proponi. Quanquam & ipsa significatio Sacramentalis quandam quasi doctrinam de Christo constituens, longè tamē differt ab ea institutione quæ verbo prædicationis fit: Cùm prędicatio simul multos de beneficijs Christi communiter instruat; Sacramentorum verò significatio singulos seorsim suscipientes, de beneficio Passionis tunc in ipsa actione Sacramenti sibi particulariter applicato commonefaciat. Vnde illud vulgare est, *Sacramentum id significare quod confert.*

Augi.

De modo conferendæ gratiæ in Sacramentis, quinque sententiæ Scholasticorum, cum confutatione primarum quatuor.

CAP. XXXIIII.

Sed nunc grauior restat & subtilior scholastica disputatio, orta ex ipsius effectûs Sacramentalis, id est, gratiæ excel-

lentia. Quæ cùm sit ordinis supernaturalis atq; cœlestis, & participatio quædam Diuinæ naturæ, vel (vt D. Petrus appellat) *diuinitatis consortium*, qua sublati supra creaturarum dignitatem deiformes planè efficimur; vnde fiat, vt infima anima gratiâ ornata, apud Deum dignior sit perfectissimo Angelo, si solam in eo naturæ conditionem spectes: cùm (inquam) tanta sit gratiæ excellentia, dubitarunt multùm Scholastici, an possit ea attingi per vllum instrumentum corporeum; &, An produci possit ab alia causa, quàm ab ipso Deo; &, An alia ratione, quàm per creationem. Qui tamen omnes propter communem sententiam confitebantur, ita debere credi, & ita dici, *Sacramenta conferre gratiam:* etiam tum, cùm ab Ecclesia contra Hæreticos nihil adhuc definitū esset. nisi quòd nobilis quidam Scholasticus subobscurè vellicauerit Magistrum, quòd primus ausus fuerit, gratiæ efficientiam in Sacramenti noui definitione ponere; cùm tamen & ipse, quin conferant Sacramenta ista gratiam, non planè negauerit: licet reuera, sicut & cæteri penè omnes Scholastici, eum conferendæ gratiæ modū inuenerit, qui verè causæ rationem nō habeat. Solus inter omnes D. Thomas illis temporibus in Augustino magis versatus, & spiritu atque ingenio longè omnibus antecellens, idipsum attigit, quod postea Florentinum & Tridentinū Concilia definierunt: dum studiosissimè peruestigat aliquid, quod sit non solùm verbis, sed reipsa supra modum signi, & quod propriè rationem causæ efficientis habeat. Omnium autem sententias in quinque classes perspicuitatis causâ conferimus.

2. Pet. 1.

S. Thomas.

Quinque classes sententiarum.

1. Dispositiuè.

Prima est: Sacramenta non producere gratiam immediatè, vt calor calorem; sed dispositiuè, quia efficiunt & producunt eas dispositiones in anima, ad quas statim aderit à Deo gratia: Ac si homo diceretur generare animam rationalem, propter quasdam dispositiones ab illo causatas in corpore, ad quas statim Deus infundit animam. Has dispositiones dicūt esse duas: In quibusdam Sacramentis, characterem; in alijs, quandam animi habilitatem vel decorem, quem *ornatum* appellant. Et

quia

quia Sacramenta producunt iſtas præuias diſpoſitiones gratię, ideo dici gratiam producere. Addunt & tertium quiddam: Sacramenta etiam tollere impedimẽta gratię, dum fomitem cõcupiſcentiæ & peccati reliquias minuant. Sed his omnibus nõ obſtantibus, propriè negant iſti, Sacramenta eſſe cauſas gratiæ. Quod enim de charactere aiunt, nihil eos iuuat, quia non ſemper ſequitur gratia ad characterem, ſicut ad diſpoſitiones hominis anima rationalis. Quod ad ornatũ attinet, eſt res ficta, Scripturæ atque Eccleſię ignota. Et deinde non eſt minor difficultas, quomodo Sacramenta producant eum, cùm ſit merè ſpiritualis, quàm de ipſa gratia. Et tertium, quod eſt remouere impediens, licet aliquid tribuat Sacramentis, tamen collationem gratiæ non concedit, niſi per accidens, & veram efficientiam tollit.

2. Per aſſiſtentiã Dei.

Secunda ſententia eſt, quòd Sacramenta per ſe non producant gratiam, ſed Deus aſſiſtens Sacramentis ex pacto; ſicut antiquì quidam Philoſophi dixerunt, cauſas ſecundas non producere effectus, ſed Deum ad præſentiam cauſarum; & ſicut ſigna maleficorum poſſint dici cauſa illorum effectuum, quos dæmon ad ipſa operatur. Sed & hæc ſententia non plus tribuit nouis, quàm veteribus Sacramentis; nec veram rationem cauſæ attingit; nec vltra modum ſigni aſſurgit.

3. Vt cauſæ morales.

Tertia ſententia eſt, quòd Sacramenta ſint tantùm cauſæ morales, non habentes actionem aliquam qua producant gratiam: ſicut pecunia eſt cauſa moralis qua redimitur captiuus, & meritum cauſa mercedis, & conſilium ſeu perſuaſio, cauſa rei gerendæ. Sed & hic modus tollit veram rationem cauſæ operantis, cùm ſint hæc omnia tantùm occaſiones, cur vera cauſa agat & producat effectus ſuos, ſicut conſilium ad actum occiſionis, & pecunia ad redemptionem. In quo genere cauſæ eſt etiam Chriſti Paſſio, qua commeruit, ſoluit, procurauit noſtram liberationem. quod Sacramentis conuenire non poteſt.

4. *Gratos faciunt, nec producunt gratiam.*

Quarta sentētia est Dominici à Soto, qui cùm vidisset Decretum Eugenij quarti in Concil. Florēt. & adfuisset ipse Tridentino, non dubitauit, aliud esse sequendum quod reuera tribueret Sacramentis propriam gratiæ efficientiam vel productionem: Et propterea relictis omnibus omnium sententijs, nouam ipse sententiam peperit, qua dicit, Sacramēta esse quidem instrumenta, non producendi gratiam, sed faciendi homines gratos Deo; & ideo definiri in Concilijs, Sacramenta esse causas gratiæ, quia per ea homo fit gratus Deo, non quòd producant aliquam qualitatem per quam homo fiat gratus: cùm etiam apud nos homo homini fiat charus atque gratus sine aliqua noua qualitate in ipso producta. Ac proinde veritus & ipse difficultatem rei, & gratiæ creationē, vult, nos verè & propriè per Sacramenta fieri gratos Deo, sed qualitatem gratiæ postea infundi per ipsum Deum; cuius tamen apud antiquos dicit nullam fieri mentionem. Sed ad huius alioqui doctissimi viri sententiam confutandam, annotandum est (quod nec ipse negare potuit) iam esse definitum propter Hæreticos qui imputatiuam iustitiam induxerūt, nos fieri iustos per qualitatem inhærentem; & tam in Tridentino, quàm in Viennensi Concil. doceri, per Baptismum infundi paruulis gratiam & virtutes, neminemque iustificari nisi per iustitiam quæ verè animæ nostræ insit. Proinde nimis subtile est illud, & minùs solidum, fingere hominem per Sacramenta fieri gratum Deo, sed ipsam gratiam donari à Deo, & non à Sacramentis. Quod hoc etiam argumento apertè improbamus: Sacramenta ex hac sententia non attingunt formam per quam homo fit gratus, neque aliquam dispositionem ad talem formam: ergo non possunt esse causæ, cur homo dicatur esse gratus Deo. Si fortè respondeat, quòd Sacramenta ipsa sint causæ dispositiuæ ad gratiam; tum dicimus, eas nō esse causas effectiuas, sed materiales & improprias; id est enim, dispositiuas. Et quòd ait, Patres, dum dicunt Sacramenta esse causas, nō facere mentionem qualitatis illius quam gratiam iustificantem dicimus: Respondemus, nec mentionem

Sess. 6. cap. 7. & can. 11.

tionem

tionem huius fecisse eos, quòd Sacramẽta essent causæ faciendi homines gratos Deo. Sed hoc dixerunt, quod cum vtroque parem vim habet, scilicet Sacramenta iustificare, abluere, & remittere peccata, dare vitam, incorporare Christo, pascere & purgare animam.

Quinta ergo sententia est, quòd Sacramenta verè producant gratiam, & attingant ipsam eiusque productionẽ per modum propriè dictæ causæ instrumentalis; cuius ea est ratio, vt mota per principale agẽs, producat effectum illi conformem. Et hæc sententia est commendata ab Eugenio Papa Armenis in Concil. Florent. eademque est definita in Trident. Sess. 7. & explicata postea in Catechismo eiusdem Concilij, sicut longè antè ab ipso Thoma 3. Part. Quæst. 62. Artic. 1. In qua re & ipse secutus est Augustinũ, & veterem Ecclesiam vniuersam, quæ nunquam verita illam subtilitatẽ creationis gratiæ, eiúsve excellentiam, semper tenuit, homines per Sacramenta iustificari, & proinde gratiam per eorum operationem produci.

5. Attingũt gratiam instrumentaliter.

De Sac. in gen. can. 6. & 8.

Quòd Sacramenta, secundum quintam sententiam, per modum instrumenti conferant gratiam, latiùs demonstratur.

CAP. XXXV.

HVIVS autem Sacramentis dignissimæ sententiæ vis & veritas in illo suo quasi fundamento cernitur maximè, quòd Scripturæ & Patres concedant *Humanitati Christi sacratissimæ*, quæ & ipsa creatura est, quòd sit non solùm causa moralis & meritoria gratiæ, sed etiam instrumentalis, ministerialis, atque efficiens; & non solùm satisfaciens pro peccatis, sed reuera actiuè remittens & purgans peccata. Explicemus ista planiùs. Christi (inquam) actiones omnes, & præsertim Passio, non solùm commeruerunt nostram Redemptionem, ita vt Deus earum respectu daret gratiam & vitam hominibus, sed etiam ipsę passiones, sicut & eius sanctissima caro, fuerũt operatiuæ, concurrentes cum ipso Deo circa iustificationem nostram

Humanitas Christi instrumentum gratiæ.

ſtram & remiſſionem. id eſt, Deus vſus eſt ipſa Humanitate Chriſti eiuſq; actionibus meritorijs, prçter id quod ſoluerunt aut meruerunt, vt etiam actiuè concurrerent ad effectum Redemptionis producendum. Hinc Ioan. 1. dicitur, *Gratiam factam eſſe per Ieſum Chriſtum:* & Apocalip. 5. *nos Sanguine eius lauari.* In quibus verbis cauſa efficiens deſignatur. Et Matth. 9. ſecundùm Humanitatem remittit peccata Paralytico, ſicut & Magdalenæ, & latroni in Cruce, verè per carnem & Paſſionem ſuam viuificans eorum animas: ſicut & per organum ſpiritus ſui dat Spiritum ſanctum Apoſtolis, Ioannis vltimo. Secundùm quam etiã Humanitatem dicitur ipſe baptizare Spiritu ſancto, Ioan. 1. hoc eſt, interiùs per Baptiſmum iuſtificare, ſicut exponit Auguſt. ſuper illa verba: *Super quem videris Spiritum ſanctum, &c.* Qui etiam ſecundùm eandem Humanitatem inſtituit Sacramenta, & vim viuificatricem æternam dedit eis: Quomodo dicit Beda: *Dominum per tactum carnis ſuæ dediſſe vim regeneratiuam aquis.* Et omnium diuiniſſimè Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 12. vſque ad 17. docens, Chriſti Carnem propter participationem veræ vitæ factam eſſe viuificatricem, non ſolùm corporum, ſed etiam animarum. Propter hanc vim operatiuam Damaſcenus etiam, poſt pleroſque Græcos Patres, lib. 3. de orthod. fide cap. 15. appellat Humanitatem Chriſti *organum Diuinitatis*, ſicut corpus noſtrum eſt animæ noſtræ organum. Vnde & Auguſt. paſſim illud vſurpat, *Sacramenta fluxiſſe de latere Domini*, in Pſal. 138. & Tractatu 15. in Ioan. & in lib. Sententiarum decerptarum, Sent. 328. & ſæpè aliàs; non ob aliam cauſam, quàm quòd ille ſanguis in ſacrificium tum effuſus, vim viuificatricem omnibus Eccleſiæ Sacramentis dederit: vt ita non ſolùm à Deo ipſo, ſed etiam ab inſtrumento iſto Diuinitati cõiuncto ad effectus ſupernaturales moueantur.

Facillimè ergo & fundamentum cauſæ noſtræ, & difficillimæ rei declarationem intelliges, quo modo ſcilicet Sacramenta, quæ ſunt à Chriſto ſeparata, concurrant cum Humanitate

[Margin notes: Io. 1. — Apoc. 5. — Mat. 9. — Lu. 7. & 23. — Io. 21. — Aug. Tract. 4. & 5. in Io. — Beda in ho. Euan. quod canitur in Oct. Epip. vide Homiliarium totius anni. — Cyril. Alex. — Damaſc. — Aug. — Miracula per corpus Chriſti & alia inſtrumenta.]

nitate & Diuinitate eius in conferenda gratia; (quemadmodũ mecum & cum manu mea in ſcribẽdo calamus cõcurrit) ſi notaueris in ſimili, quę vis virtuſque fuerit primũ in Humanitate Chriſti, quę eſt inſtrumentũ ipſi Deo cõiunctũ, deinde in eiuſdem inſtrumẽto quolibet ſeparato, ad miracula varia facienda; & quomodo illa vtraq; inſtrumẽta ſępè cõcurrerint verè & ꝓpriè cũ principali agẽte Deo, ad quaſuis qualitates ſupernaturaliter inducendas, ſiue ſpirituales, ſiue corporales. Vide enim quomodo ſanitatẽ per fimbriã, & per corpus, & per Deitatẽ eius Hęmorrhoûſa conſecuta eſt Luc. 8. Nam ad tactũ fimbriæ, quę erat inſtrumentalis cauſa ſeparata, *exiuit virtus* de Chriſti corpore vt inſtrumẽto cõiuncto, & de Diuinitate, vt principali & propria cauſa admirabilis effect⁹ illius. Sic in ciuitate Naim vnicum matris filium tactu corporis ſui reſuſcitauit, Luc. 7. Sic Principis Synagogę filiã, & manu impoſita, & verbo ad vitã reuocauit, Matthęi 9. Sic luto, tanquã inſtrumẽto ſeparato, & lotione in natatoria Siloë Ioã. 9. donauit cęco nato viſum. Sic digitis & ſputo Marc. 7. & Matth. 9. loquelam & auditũ reddidit Dæmoniaco. Sic operatorio verbo remiſit pœnã peccati mulieri adulterę, Ioã. 8. & paralytico Matth. 9. eodẽ inſtrumẽto remiſit ipſum peccatũ. & organo tam vocis, quã flatus, dedit Spiritũ ſanctum, Ioã. vltimo. Ex quibus nunc aduertendum eſt, quòd ſicut nulla eſt creatura, licet maximè excelſa, quæ per ſe mota vel ab alia creatura agitata poſſit producere aliquẽ ſupernaturalẽ effectum, multò minùs ſpiritualem, & omnium maximum ipſam gratiam iuſtificantem: ita nullam eſſe creaturam tam ad ſimilitudinem vel efficaciam ineptam, quin Deus poſſit, & ſæpè etiam velit vti ea ad maximos quoſque effectus producendos. Imò ſæpè vtitur (ſicut doctiſſimè notauit Hugo de Sancto Victore lib. 1. parte 9. cap. 5.) ijs rebus pro inſtrumentis, quæ non ſolùm nullam habent vim vel aptitudinem ad tales effectus, ſed quæ ſunt per ſe ipſis effectibus contrariæ, ſicut aqua lepræ, lutum virtuti videndi, maſſa ficorum vlceri. Quæ omnia cùm fuerint planè inimica

Luc. 8. — Luc. 7. — Mat. 9. — Ioan. 9. — Mar. 7. — Mat. 9. — Ioan. 8. — Mat. 9. — Ioan. 21. — *Motus creaturarum duplex.* — Hugo Vict. — 4. Reg. 5. — Io. 9. — Iſ. 38.

naturæ

naturaliter desideratis effectibus, tamen Deus ex ijsdem tales effectus produxit quasi instrumentis quibusdam, propter eminenens suum imperium in creaturas, & propter illud generale quod inseuit illis in creatione de inseruiendo Creatori ad omnes vsus, etiam contra particulares naturas.

Sic igitur est, vt aqua, si solùm à sua naturali inclinatione, & ab homine qui est creatura, applicetur vel moueatur, effectum alium, quàm corporis lotionem, non habeat. Sed eadem ipsa aqua in Baptismo, vt applicata & mota à Deo per ministrum, non solùm lotionem corporis attingit, sed etiam ipsam ablutionem animæ, & gratiæ productionem: sicut lutum, nõ à quouis motum, sed à Deo, sanat oculos. Quæ ratio eadem est in omnibus Sacramentis: quorum vnumquodque dum actionem suam naturalem peragit, interim vt institutum, motum, applicatum, intentum à Deo, fit verè instrumentalis causa gratiæ & remissionis peccatorum.

Patrum testimonia. Et hæc quam explicuimus, est vera sententia, cõformis omnium Sanctorum dictis. Ex hoc enim sensu dixit *Aug.* August. *eam esse vim aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat*, Tractatu 80. in Ioã. Et lib. 19. contrà Faustum cap. 11. *Sacramentorum vis* (inquit) *inenarrabiliter valet plurimum.* Et eodem lib. cap. 17. ita docet: *Aqua, & omnis illa actio corporalis, quæ agitur tum cum baptizamus, fit & transit: virtus tamen quæ per ista operatur, iugiter manet, & donum spirituale æternum est.* Hanc eandem vim in Sacramẽtis confitetur *Bed.* Venerabilis Beda, & D. *Chrysost.* Chrysost. vterq; in tertium cap. Lucæ, docentes, *Eam virtutem ex Christi Carne Baptismum consecutum esse, vt eius aqua Christo pariat animas* Et D *Greg. Pp.* Gregorius, vt citatur de Consecrat. Distinct. 4. cap. Per aquam: *Non omnis aqua* (inquit) *sanat animam, sed illa sanat animam, quæ habet gratiam Christi.* Et D. *Amb.* Ambrosius lib. 2. cap. 2. de Pœnitentia: *Sicut* (inquit) *Naaman Syrus non credidit lepram suam purgari posse per aquam, sic impossibile videbatur, vt aqua ablueret peccatum: sed hoc fecit Deus possibile, qui tantam nobis donauit gratiam.* Postremò D. *Cyril.* Cyrillus omnium elegãtissimè lib. 2. in Ioã cap. 42.

Quem-

Quemadmodum(inquit)*viribus ignis intensiùs aqua calefacta, non aliter vrit quàm ipse ignis; sic Spiritus Sancti operatione aqua, quæ baptizati corpus aspergitur reformatur ad Diuinam virtutem & Potentiam.* Ita ille. Vbi pulchrè insinuat, aquam à Spiritu Sancto motam habere eandem potentiam, quam ipse Spiritus Sanctus, respectu animarum nostrarum. Et in hoc etiam sensu Saluator noster, Io.3. complectens vtramque causam Sacramentalis effectus, appellat illud totum vnde renasci debemus, *aquam & Spiritum.* Et August. Tractatu 80. allegato, similiter connectens causas, appellat totum Sacramentum, *aquam, verbum, & quod creditur.* Et D. Paulus eandem variarum causarum connexionem sic distinguit ad Ephes.5. vt Christum, lauacrũ aquæ, verbum vitæ simul Ecclesiam mundare dicat. In quo genere (nam admonendum illud est) non partem operatur Deus, & aliam partem Sacramentum; sed (sicut fit etiam in actionibus naturalibus, vt quando Sol & homo generant hominem) totum hoc, & totum ille vno ac indiuiduo opere peragunt.

Ioan.3.

Aug.

Eph.5.

Quòd instrumentalis illa vis sit in Sacramentis, solùm in motu seu vsu ipsorum, non autem stabiliter & constanter.

CAP. XXXVI.

IAM ergo Sacramentum, si eius totum esse respicias tum cũ operatur, licet res sensibilis & naturalis sit, quoad materiam & formam & actionem transeuntem: tamen si consideretur in ordine ad finem, scilicet gratiam; & in ordine ad agens, hoc est, ad Deum à quo mouetur; & in ordine ad primam institutionem; & in ordine ad intentionem & dantis & suscipientis (quę omnia spiritualia sunt:) tunc videbis rem esse spiritualem. Et hoc officium, siue esse supernaturale Sacramenti, quod habet tum cum eleuatur à Deo supra naturæ terminos, atq; applicatur ad diuinũ effectum, dicitur *virtus Sacramenti*, estq; ipsa natura eius, quatenus à summo Deo applicatur ad effectũ gratiæ. Cum ergo audis Patres attribuentes Sacramentis vim ex Spiritu Sancto, aut ex Christi carne, quasi insit aut inhæreat

Sacramentũ quomodo res & sensibilis & spiritualis.

Virtus Sacramenti, ipsum esse Sacramentale.

Sacramentis: noli putare, id eos dicere, quasi sit aliqua permanens qualitas à Deo infusa Sacramento, aut eius materiæ, cùm ea qualitas neque spiritualis, neque corporalis esse possit. Nam si corporalis esset, nihil adiuuaret ad spiritualem effectum, magis, quàm ipsa natura aquæ. Et spiritualis qualitas non potest inesse in corpore tanquam in subiecto. Sed id volunt, hanc esse *virtutem Sacramentorum*, ordinari, moueri, applicari, eleuari à Deo ad talem effectum spiritualem: hoc est, *ipsum esse Sacramentale*, quatenus illa mouentur & applicantur à Deo. Eodemque modo de omnibus rebus consimilibus iudicandũ est, per quas, tanquam instrumenta, spirituales effectus producit Deus. Non enim fuit vis illa in aqua Iordanis, aut Probaticæ, tanquam qualitas permanens in subiecto: nec in ipsis Reliquijs Sanctorum, vestibus, aut virgis, quę ex tactu sanctorum corporum mira quædam operantur, constanter hæc virtus inhæret; sicut nec in rebus quidem consecratis, vt aqua benedicta, & similibus. Sed istarum rerum sanctissimarum virtus est ipsa earũ (vt ita dicam) entitas, solummodò vt dedicantur Deo, aut mouentur per ipsum ad quoscunq; supernaturales effectus. Ita enim Christus accipiendo lutum aut saliuam, non impressit illis, multò minùs vmbræ Petri, aliquam qualitatem medicam; sed vtendo & applicando, eleuauit eas ad quascunque sanitates producendas, cùm ipsæ qualitates sanatiuas actu inhærentes atque stabiles non haberent. Verùmtamen in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento aliquid hîc singulare seruatur; de quo alio commodiore loco dicemus.

4.Reg.5. Io.5. 4.Reg.13. Act.19. 4.Reg.4. Act.5. Vide lib.1. De Euch.ca. 3.diff.5.& 6.

Quatuor argumenta contra hoc quod dictum est, Sacramenta esse instrumenta gratiæ, soluuntur.

CAP. XXXVII.

1. *Quomodo corporale agat in spirituale.*

HIs nunc intellectis, dubitari non potest, quin corporea res, vt aqua vel oleum, licet virtute propria in rem spiritualem agere non possit, vt in animam hominis, aut rem spiritualem in ea producere, vt gratiam: tamen sine omni difficul-

difficultate & rationis repugnantia possit in spiritualem rem agere virtute nobilioris agentis, præsertim spiritualis. Vt phantasma in imaginatione, cùm sit accidens corporeum, tamen quia agit in virtute intellectus agentis qui spiritualis est, producit speciem intelligibilem. Sic ignis & Inferni & Purgatorij, qui est materialis & corporalis, agit tamen in dæmones & animas hominum, quæ sunt res merè spirituales; & hoc, quia instrumentum est Dei. Et sicut agit inferius in superiorem naturam ex motione superioris causæ: ita & instrumenta semper ferè producunt nobiliores effectus quàm sint ipsa; cùm effectus non correspondeat causæ instrumentali, sed principali, per quam mouetur vltra formam suam naturalem. Quomodo sæpè in natura videmus, accidens ex vi substantiæ à qua procedit, producere substantiam: vt calor motus ab igne producit ignem; & nonnunquam etiam substantiam viuentem, vt calor pullum; si tamen moueatur à substantia viuente, vt à gallina. Illud verò est admirabilius, quòd Deus sæpè agat per instrumenta in rem subiectam, quam tamen instrumenta corporaliter non attingunt; licet quando instrumentum mouetur à causa naturali, contactus semper sit necessarius. Sic quando Christus Regulo Ioan. 4. dixit: *Filius tuus viuit*, indubiè illo verbo Christi sanabatur, cùm tamen non pertingeret vox ad ægrotum, neque audiretur ab eo. Sicut quando consecratur hostia, non est necessarium, vt aër motus aut sonus syllabarum attingat panem; quo tamen verbo, tanquam instrumento, consecratur. In his igitur vis instrumenti procedit vlteriùs, quàm externus contactus.

2. Quomodo instrumentũ producat nobiliorem se effectum.

3. Quomodo instrumentũ non semper attingat opus.

Io. 4.

Solũ id nũc restat, vt dicam[9] breuiter (quia multi hîc impingũt nõ solũ Hæretici, sed etiã Catholici) quomodo Sacramẽta possint esse instrumẽta producẽdi gratiã, quę à solo Deo ex nihilo creari videtur. Si enim creetur, vtiq; non ex aliquo instrumẽto depẽdẽre posse, perspicuũ est. Dicimus ergo, gratiã non creari à Deo, nec concreari (quod est propriũ accidentiũ in eo

4. Quomodo instrumẽta sint, cùm gratia videatur creari.

genere)ſed produci,ſeu comproduci(nam & hoc conuenit accidentibus) ex aptitudine & potentia naturali animæ,ſicut cętera omnia quæ producuntur in ſubiectis talibus quę ſunt apta nata ad ſuſcipiendum accidentia. ſicut ignis ex ligni potentia procreando calorem vel ignem,non creat,ſed producit ea. Et ſicut Chriſtus tactu ſuo procurat, non tamen creat auditum; quia auris hominis eſt apta nata, ex cuius potentia & naturali facultate talis qualitas educatur.(Sufficit enim vt forma aliqua accidentalis non dicatur creari,vel ex nihilo produci, quòd in aliquo ſubiecto procreetur quod ipſius eſt naturaliter ſuſceptibile.nam de anima hominis, cùm ſit forma ſubſtantialis per ſe ſubſiſtens,alia ratio eſt) Eodem igitur modo quando Deus producit gratiam in anima, non creat eam, quia anima noſtra eſt in potentia naturali,vt ſit ſubiectum gratiæ.Sed tamen notandum eſt, quòd anima noſtra non eſt in conſimili eadémve potentia ad recipiẽdum eodem modo omnes qualitates. Nam quaſdam recipere poteſt ab agente naturali, vt habitus ſcientiarum, quos à magiſtro per humanam doctrinam acquirere poteſt. At quædam animæ qualitates ſunt, ad quas non minùs quidem eſt in potentia quàm ad priores,ſed non poteſt recipere eas niſi à ſolo Deo; cuiuſmodi ſunt fides, ſpes, charitas. Et hoc nos optimè docet Auguſt. lib.1.cap.5. ſub finem, de Prædeſt.Sanctorum,dicens: *poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem,eſt naturæ hominum.* Et paulò pòſt,*In natura eſt poſſibilitas habendi fidem.* Idem habet ca.31.& 32. de Spiritu & litera. Et res eſt per ſe perſpicua,cùm manifeſtè actus etiam ſupernaturales harum virtutum theologicarum eliciamus per potentiam naturalem intellectus & voluntatis. Credere enim, licet ſit donum & gratia Dei,tamen eſt actus intellectus;ſicut amare Deum,eſt actus voluntatis. quemadmodum & ipſa viſio, ac fruitio Dei futura in cœlo, licet ſit ſummum omnium donorum,non creatur tamẽ, ſed producitur ex intellectu hominis. Eſt enim actus vitæ.Nec verò gratia eſt excellentior qualitas, aut magis ſupernaturalis,quàm iſtæ ſunt. Quemadmodũ ergo neque

Mar.7.

Aug.

neque ſcientiæ naturales, neque ſupernaturales; quia anima ex naturali facultate eſt apta ad ſuſcipiendum eas, dicuntur creari, ſed produci: ſic quando Deus donat nobis per Sacramenta gratiam, fidem, & ſimilia, nõ dicitur creare illa, ſed producere. & per conſequens, ad eam productionem ita poteſt adhiberi inſtrumentum, ſicut requiritur ſubiectum, & præſupponitur aptitudo ſubiecti. Non diffiteor tamen in hac materia Gratiæ vocabulũ *creationis* ſæpe in ſacris literis vſurpari, ſed id fit partim magis vulgari vocis acceptione, cùm quouismodo aliquid effici ac procreari ſiue ex nihilo, ſiue ex aliquo ſignificatur: Partim eleganti vocis accommodatione & Catachreſi, quatenus ex analogia ſignificationis magis propriæ ad productionẽ naturalis eſſe pertinentis transfertur ad ſpiritualem, moralem & myſticam creationem, per quam ſola Dei gratia & voluntate ſine omnibus meritis ita conſtituimur in noua quadam hypoſtaſi ac exiſtentia ſpiritus, ſicut per propriè dictam creationem res à ſolo Deo ſine ſecundis cauſis ac adiumẽtis ex nihilo producuntur: & hoc modo interpretatur Thomas 1.2.q. 110. ar.2.ad 3.illud Pauli ad Eph.cap.2. *Ipſius ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis*, eodemque modo ſimilia. 2.Cor.5. & ad Gal. 6.

Pſ.50. Eph. 2. & 4. 2.Cor.5. Gal.6.

Quòd Sacramenta propter iſtam cauſalitatem gratiæ, continere Gratiam dicta ſint.

CAP. XXXVIII.

Iam verò, vt hanc veram cauſæ & efficaciæ rationem Sacramentis noſtris ineſſe confirmarẽt Hugo Victorinus & Eugenius 4. in Concil. Florentino, & horum authoritate maximi quique Theologi poſteriores: non ſolùm ea conferre, ſed *continere* etiam dicebant gratiam. Quod idem habetur etiam Can.6.Seſſ.7.Concil. Trident. vt intelligeremus, gratiam reuera & propriè produci per Sacramentalem actionem, cuius proinde effectus genuinus ſit. Cùm alioquin ſi Sacramentum eſſet tantùm cauſa per accidens aut ſine qua nõ, aut ſi tantùm

Hugo Vict. Eugen.4. Trid.Conc.

operaretur per adiunctam fidem & deuotionem hominis, aut per pollicitationem atque assistentiam Dei, cõtinere gratiam non diceretur. Vt igitur pro vera causa habeatur, dicitur continere gratiam quam producit. Quo modo res producta, antequàm actu existat, Philosophorum etiam more dicitur causæ suæ inesse, virtute; sicut lectus in serra, & seges in semine. Cùm ergo audis, Sacramenta continere gratiam, aut gratiam inesse Sacramentis, noli sic cogitare (quod Hæretici Concilium decreuisse fingunt) quasi insit illis tanquam in subiecto, vt accidens, aut tanquam in loco, sed nec tanquam in vase quidem: sed tantùm eo modo, quo effectus virtute, antequam existat, in causa contineri dicitur. Quanquam & illud negandum non est, quòd Sacramenta dicantur etiam *vasa gratiæ:* non tamen propriè, sed eo sensu quo vas pro instrumento capitur; quod apud prophanos quoque frequens est, sed in Scripturis sacris multò magis obuium. Sic Iudith 16. *vasa bellica:* sic Psal. 7. *vasa mortis:* sic Ezechielis 9. *vasa interfectionis:* & Esaiæ 22. *vasa musica:* & Act. 9. *vas electionis*, pro instrumentis vbique dixerunt.

Vasa gratiæ.

Vtrum etiam Sacramenta veteris Legis, Circumcisio saltem & ordo, gratiam contulerint.

CAP. XXXIX.

ITaque nunc perspicuè intelligimus, quomodo verè & propriè Sacramenta nouæ Legis non solùm significent, sed etiam dent atque operentur salutem & gratiam. Id nunc aliquantulum remorari nos debet, vt explicemus, cur, si non omnibus, saltem Circumcisioni, aut (vt quibusdam placet) etiam Ordinationi sacerdotum in veteri Lege idem non concedimus. quandoquidem de hoc veteri Sacramento Ordinis, quòd *sanctificet Sacerdotes,* legimus Leuit. 8. & de Circumcisione tam diligens præceptio, & tam acris ne omittatur comminatio passim in Scripturis existit, vt Patres sanctissimi & Baptis-

Leu. 8.
Gen. 17.

Baptiſmo noſtro eam contulerint, & remiſſionem peccatorum illi ſine omni dubitatione tribuerint. Vnde Scholaſtici vetuſtiores Magiſtrum ſecuti, remiſſionem peccati originalis & actualis eidem non minùs quàm Baptiſmo, licet gratiam non item, conceſſerunt. Alij recentiores animaduertentes, culpam mortalem ſine gratia remitti non poſſe, ex cap. 3. ad Rom. vbi omnis iuſtificatio attribuitur gratię Chriſti, etiam gratiam illi Sacramento, licet ad omnes effectus non tam amplam, neque ad apertionem cœlorum omnino pertingentem, tribuerunt. Et hanc ſententiam multi nobiles huius ætatis Theologi ſecuti ſunt, putantes, Circumciſionem excipiendam eſſe à communi lege veterum Sacramentorum. Sed quod debeat hominem Catholicum in contrariam partem mouere, eſt continua & conſtans doctrina Pauli, qui non magis attribuit iuſtificationem Circumciſioni, quàm vlli alij Sacramento veteris Legis. Imò diligenter & de induſtria illam nominatim excipit, dicens cap. 2. ad Gal. de tota Lege, & peculiariter de Circumciſione: *Si iuſtitia eſſet ex ea, Chriſtum gratis eſſe mortuum.* Et apertè, per totam illam Epiſtolam contra *egena & infirma elementa* ſatagens, vbique Circumciſionem perſtringit vel maximè. Neque verò ita intelligi poteſt, quaſi tum poſt abrogationem (ſicut Hæretici exponunt) ea inutilia eſſe velit: cùm probare ſoleat, priùs fuiſſe in ſe infirma & vacua, etiam cùm vigerent, & propterea fuiſſe abrogata, & meliora inſtituta, vt magis cap. 7. ad Heb. claret. Deinde Concil. Florent. facit hoc proprium Sacramentis nouæ Legis, conferre gratiam, ſicut & Trident. quod verè non diceretur, ſi vel vnum in veteri Lege hoc idem faceret. Denique ſummum argumentum eſt, quòd non potuerit Circumciſio habere hanc gratiam remiſſionis, niſi ex ſanguine Chriſti, vel ex perſona illius incarnata. Sic autem à Chriſto non potuit accipere aliquam actualem vim operatiuam, antequam incarnatio Chriſti eſſet. Et planiùs ſic: Id ſolùm tum tēporis remittebat

Sent. 4. Diſt. 1.

Rom. 3.

Circumciſio.

Gal. 2.

Heb. 7. Floren. Trid.

peccata

peccata in Sacramento, quod potuit applicare hominibus beneficium rei futuræ, & nondum existentis: sed id solùm fides fecit. Ergo remissio & gratia in veteri Lege tātùm ex fide fuit: Et aliud officium Sacramenta non habuerunt, quod ad hanc rem attinet, quàm protestandi fidem. Atque hoc indubiè voluit Paulus Rom.4. cùm appellat Circumcisionem *signaculum iustitiæ fidei*, id est, iustitiæ acquisitæ per fidem in Christū venturum. Neque vnquam Paulus disserens de iustitia veterum, tribuit eam Sacramentis, sed semper fidei. Imò expressè subtrahit eam Legi & Sacramentis, omnibusque operibus Legis, dum omnes Patres & ante Circumcisionem, & post Circumcisionem Hebr.11. asserit *fide placuisse Deo*. cùm contrà in nouo Testamento attribuat gratiam & remissionem non tantùm fidei, sed etiam Sacramentis, vt Ephes.5. & Tit.3. intelligens, ante Christi mortem per fidem: post Christum exhibitum, etiam per Sacramenta applicari nobis gratiam Christi.

Rom.4. Heb.11. Eph.5. Tit.3.

Loca tamen quædam Patrum à Magistro lib.4. Distinct. 1. citantur, quæ cum his quæ diximus pugnare videntur, quibus & ipse deceptus est. Ac primùm allegat (sicut & Gratianus de Consecrat. Distinct.4.can. *Ex quo*) Augustinum lib.2. ad Valerium de nupt. & concupisc. cap.11 sed vterque malè & corruptè. Ita enim dicit August. in optimis quibusq; exemplaribus: *Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum iustitiæ fidei, ad significationem purgationis valebat & paruulis originalis veterisq́ peccati: sicut & Baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo institutus est.* Hæc Aug. In cuius loci descriptione compilatores Sententiarum & Decretorum pro illis verbis, *valebat ad significationem purgationis*, posuerunt (sicut fortè legebant) *valebat ad purgationem.* Ex quo eandem rationem efficaciæ attribuerunt Circumcisioni & Baptismo, cùm Auctor notanter & distinctè dixerit, sic valuisse Circumcisionem ad significationem, sicut noster Baptismus ad innouationem valet. Vnde animaduertimus, eundem quidem effectum, hoc est, remissionem originalis peccati sequi ad vtrūq; Sacra-

Ad locum Augustini.

Sacramentum,ſed non eodem modo ſequi. Nam ſequitur ad Baptiſmum, tanquam ad cauſam innouantem & regenerantem: ſequitur ad Circumciſionem, tanquam ad ſignum eius rei practicum & indubitatum. Atque idcirco eleganter in eodem cap. Auguſt. dicit: originale peccatum *in infante ſignificatur expiari Circumciſione octaua diei, hoc eſt, Sacramento Mediatoris in carne venturi.* Et ſequenti cap. 12. grauiſſimè docet, iuſtitiam omnem in veteri Lege fuiſſe iuſtitiam fidei vẽturi & morituri Mediatoris, ſiue fuerit ante Circumciſionem, ſiue in Circumciſione,ita inquiens: *Abraham cùm adhuc eſſet in præputio, ex fide iuſtificatus eſt, cùm ſuperioribus temporibus omnino latuerit Sacramentum iuſtificationis ex fide.* Vbi aduerte diligenter, quòd ſicut Paulus 4. Rom. appellauit Circumciſionem *ſignaculum iuſtitiæ fidei*, ita hic ſumm᷒ Doctor appellat eandem Circumciſionem *Sacramentum iuſtificationis ex fide.* Baptiſmus quidem appellatur nonnunquam *Sacramentum fidei*, quia eſt primum Sacramentum in fide & Religione noſtra,& quia in quibuſdam generat fidem: ſed non appellatur *Sacramentum iuſtitiæ fidei*, vel *iuſtificationis ex fide.* quia illa iuſtitia quæ per noſtra Sacramenta contingit, eſt ex ipſis Sacramentis tanquam inſtrumentis Dei. Sed iuſtitia antiquorum, etiam quæ ſequebatur ad Sacramenta,erat tamen iuſtificatio ex fide,& non ex Sacramentis. Atque hoc ipſum declarat idem Doctor ſubſequentibus verbis: *Eadem fides* (inquit) *Mediatoris ſaluos iuſtos faciebat antiquos, puſillos cum maioribus, & non vetus Teſtamentum.* Vbi ſub nomine *Teſtamenti* excludit Circumciſionem & omnia Legalia, ſignificans, etiam tunc cum ſequebatur iuſtitia ad aliquod Sacramentum vetus, ſeu in puſillis ſeu in magnis; illud tamen fidei, & non Sacramento eſſe tribuendum; niſi quatenus ex diuino pacto & præcepto tale ſignum debebat adhiberi. quod tribus de cauſis factum eſt: ad proteſtationem fidei, ad applicationem communis fidei ad perſonam alteram, & ad ſignificationem eius iuſtitiæ quæ erat ex eadem fide. Fides ergo tunc temporis erat proprium inſtrumentum apprehendendi

Mediatoris mortem futuram, siue formata fuisset, siue etiam informis. Non enim iustificabat fides in Sacramento per modum meriti, sed quatenus applicabat Redemptionem ex sanguine Christi, qui erat effusus (teste Apostolo Hebr. 9.) *in redemptionem earum praeuaricationum quae erant sub priori Testamento.* Nam si fides iustificans per modum meriti in Sacramentis veteribus requireretur, tum infantes nunquam fuissent iustificati; cùm nullus mereatur alteri primam gratiam, praeter Christum. Et ideo doctissimè, licet obscurè annotauit D. Thomas in Dist. 1. lib. 4. Sentent. fidem protestatam per Circumcisionem, non iustificasse ratione actus personalis, sed ratione obiecti, hoc est, Christi futuri: Quae fides applicabatur alteri per signum externum à Deo praescriptum.

Ad loca Bedae & Gregorij. Ex his nunc facile est respondere ad ea quae objiciuntur ex Beda super cap. 2. Euangelij Lucae, vbi dicit: *Idem salutiferae curationis auxilium Circumcisionis in Lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod Baptismus agere consueuit reuelatae gratiae tempore, &c.* Et ex D. Gregorio 4. Moral. cap. 2. *Quod apud nos* (inquit) *valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus Sacrificij, vel pro semine Abrahae Sacramentum Circumcisionis.* Haec illi. Ex quibus videri possint attribuisse *eandem vim* veteribus atque nouis Sacramentis, praesertim Circumcisioni. Sed his, qui inde colligunt, *eodem propterea modo* concurrere vtraque Sacramenta ad salutem, negatur consequentia; quia transit vitiosè argumentum à re ad modum rei. Nam Doctores hi nil aliud volebant, quàm tunc fuisse correspondens aliquod Sacramentum nostro Baptismati; & ad eundem finem, id est, remissionem originalis peccati, comparatum; & ad quod sequeretur infallibiliter in personis dispositis gratia & iustitia. Non autem id volebant, *eodem modo* ista sequi ad vtrumque genus Sacramentorum. Nam quòd ad Circumcisionem sequebatur remissio, fiebat per accidens ratione signi, ratione

tione rei adiunctæ, & ratione pacti Diuini: eodem planè modo, quo non solùm Hæretici, sed etiam aliquot (vt diximus) vetustiores scholastici voluerunt noua Sacramenta conferre gratiam. Hoc enim totum, quod illi aut nouis, aut veteribus tribuerunt, nos veteribus tribuimus. Sed nouis hoc præterea cogimur à veritate concedere, quod illi noluerunt; ea nimirum, tanquam instrumenta Passionis Christi iam peractæ, non ex fide, aut pollicitatione, aut significatione tantùm, sed ipsa per se operari istos effectus. quos magna ex parte operata sunt etiam vetera, sed per accidens.

Et hæc nostra explicatio de inefficacia Circumcisionis, est etiam veterum Patrum sententijs valde consentiens. Ita enim D. Chrysostomus Hom. 27. in Genes. *Attende* (inquit) *quomodo Deus Circumcisionem pro lege statui voluit, non quòd ad animæ salutem efficere hoc possit quicquam, sed vt Iudæorum pueri ab infidelibus distinguerentur, & vt hoc gratitudinis indicium circumferrent quasi signum & sigillum. Hinc D. Paulus hoc vocat signum iustitiæ. nam ad iustitiam ipsa Circumcisio nihil conducit.* Hæc ille. Similia habet Hom. 29. in Genes. & 40. Sic Epiphanius lib. 1. Tomo. 1. secta 8. Epicureorum, asserit, Circumcisionem fuisse signum corporale, commonefactionis gratiâ & indicij quòd in Patrum pietate essent permansuri. Ita præclarè loquitur: *Figuræ erant in Lege, veritas in Euangelio; Illic Circumcisio fuit carnalis, tempori inseruiens, vsque ad magnam Circumcisionem, hoc est, Baptismum, qui verè circumcidit nos à peccatis.* Quod eodem penè modo Paulus ad Coloss. 2. dicit, Circumcisionem scilicet *fuisse manufactam, in expoliationem corporis carnis*; Baptismum autem *esse Circumcisionem ipsius cordis.* Hanc doctrinam item Sanctissimus Iustinus Martyr cōtra Tryphonēm Iudæum tradit his verbis: *Abrahā Circumcisionem accepit in signum, & nō ad iustificationem, vt Scripturis & veritati rei credendum est. quam Circumcisionem carnalem cùm fœminæ assumere nō poterant,*

Patrum testimonia.

Chrysost.

Rom. 4.

Epiphan.

Col. 2.

Iustin.

manifestum est, datam esse in signum, & non ad opus iustitiæ. Alioquin tale dedisset Deus, vt indifferenter à fœminis & viris obseruari posset. Hæc ille. Idem accuratè probat Tertullianus lib. contra Iudæos cap.1. tùm alijs argumentis, tùm eo præcipuè, quòd aliquando intermittebatur sine culpa parentum, aut animarum periculo, vt diu in deserto, & diu in Moysis filio. *Erat enim signum* (inquit) *& non institutum in prærogatiuam salutis.* Cyprianus quoque Epist.8.lib.3. discrimen tale Baptismi & Circumcisionis notauit, cùm nostrum Sacramentum spiritualem, vetus carnalem Circumcisionem appellauit: hoc etiam argumēto docens, nostrum conferre gratiam, non item illud, quia nostro nullus præscribitur dies, non magis quàm ipsi gratiæ Diuinæ; Illorum verò Sacramento, octauus. ante quem diem semper sine Circumcisione, & post quem diem sæpè sine Circumcisione, saluari poterant. Hoc D. Irenæus etiam multis argumentis probat lib.4.cap.30. concludens his verbis: *Per Circumcisionem neminem esse iustificatum, sed in signum datam populo.* Vide etiam Theodoretum Quæst.67. in Genes. & Origenem Hom.7. in lib. Numeri, & lib.2. in cap.2. Epistolæ ad Rom. Ex quibus omnibus non est nunc dubitandum, quin Catholica sit doctrina, in eo nostra Sacramenta omnibus veteribus præstare, quòd reuera & propriè gratiam & salutem conferant: Cuius gratiæ vetera tantùm erāt signa aut causæ per accidens impropriéque dictæ.

Tertul. Cyp. Iren. Theodoret. Orig.

Gratia Sacramentorum, & gratia virtutum in quibus conueniant, atque discrepent.

CAP. XL.

Nvnc autem id solum in hac parte restat explicandum, quæ sit illa *gratia quam per Sacramenta* homini conferri ostendimus; & an eadem sit vel differat ab illa gratia, quam *virtutum & donorum gratiam* dicimus, quæ sæpè homini vel tribuitur, vel augetur sine Sacramentis, non solùm ex diuina operatione, quæ non alligatur Sacramentis, sed etiam ex huma-

humanis meritis & studiosis actionibus. Quam quæstionem dilucidè expediemus hoc modo. Sicut gratia virtutum, ita & ea quam Sacramenta tribuunt, integrè perfectèque iustificat, & gratum facit hominem Deo, tribuens animæ humanæ diuinum quòddam & supernaturale esse, quod D. Petr⁹ Epist. 2. cap. 1. appellat *maximum & pretiosum donum, per quod efficimur Diuinæ consortes naturæ*. Rursus, vtraque gratia est habitus animæ inhærens, iuxta Concil. Trident. de Iustificatione, Sess. 6. cap. 7. & Can. 11. Deinde vtraque habet sibi adiunctas, vel producit omnes virtutes. Vide D. Thomam lib. 3. cōtra Gent. cap. 151. & duobus sequentibus. Denique vtrumq; genus gratiæ tollit omne mortale peccatum. Ex quibus manifestum est, *in his communibus* non differre gratiam Sacramentalem ab altera: sed tantùm dici Sacramentalem, tum cùm producitur per Sacramentum; Cùm autem eadem qualitas studiosis actionibus comparatur, tum dici gratiam virtutum & donorum.

Conuenientia. 1. 2. Pet. 1. 2. 3. 4.

Hæc igitur licet ita sint, tamen reuera nō est eadem vtriusque generis gratia *in effectis particularibus*; ad quæ nimirum conferenda, Sacramenta propriè instituuntur. Addit enim gratia Sacramentalis semper aliquid peculiare, quod gratia virtutum non dat, aut certè non tam copiosè dat. Quómodo etiam non solùm gratia Sacramentalis differt à gratiâ alio modo infusâ, sed etiam gratia vnius Sacramenti differt à gratia alterius Sacramenti. Quòd si autem id tribuatur aliquando extra Sacramentum, quod peculiariùs donatur in Sacramento; tamen multò perfectiùs & excellentiùs idem ipsum in Sacramento, quàm extra Sacramentum, donari solet. Sicut ad cōfessionem fidei & constantiam licet operentur fides & fortitudo diuinitus datæ extra Sacramenta, tamen hoc animi robur in Confirmationis Sacramento peculiariter & excellentiùs tribuitur, vtpote à Deo ad illum effectum producendum propriè instituto. Sic indubiè anima hominis pascitur & nutritur quodammodo verbo Dei & contemplatione; sed longè excellentiùs Corpore ac Sanguine Domini, ad eum finem de industria do-

Discrepātia. 1. 2.

natis. Item continentia & temperantia plurimùm facit ad fidem & castitatem Matrimonij seruandam: tamen ea gratia quam ipsum Matrimonij Sacramentum tribuit, longè magis adiuuat. Et non solùm ad hos peculiares Sacramentorum fines acquirendos magis propriè & perfectè operatur gratia Sacramentalis, sed etiam gratiam omnem ad quemlibet effectum multò copiosiorem producunt Sacramenta, quàm vllæ actiones humanæ, siue meritoriè, siue dispositiuè concurrant. Quæ res multùm commendat frequentem eorum Sacramentorum vsum, quæ commodè sæpiùs iterari possunt. Vnde & altiùs infigi mentibus nostris hæc cogitatio debet. Nemo ergo dicat, se sine sumptione Eucharistiæ posse sibi gratiā augere ex eleemosyna, ieiunio, precibus, alijsque pijs studijs. Sæpè quidem ita fit, nō negauerim: sed nullo modo est comparabilis illa gratia gratię quę ex hoc Sacramento singulari tribuitur; in quo Deus solus & peculiariter, tāquam per optimum & maximum instrumentum, per Corpus Filij sui, gratiam & virtutes operatur. Adde his, quòd illa gratia certior est quæ ex Sacramentis habetur, atque maiorem salutis spem excitat; cùm ij possint esse defectus in operibus etiam iustissimorum, vt aut non omnino, aut rariùs mereantur augmentum gratiæ. Quorum tamen defectum atque imperfectionem ita supplet Sacramētum, vt cum mediocri personæ dispositione, ex vi operis facti gratiam amplissimam conferat. Non enim ea contritio, quæ est satis ad Sacramentum, erit satis ad meritum in Sacramenti acceptione; multo minùs extra Sacramentum, ad merendum auctiorem gratiam. Neque ea fides, charitas, & deuotio extra Sacramentum semper meretur gratiam, quæ coniuncta cum Sacramento sufficeret ad reddendum suscipientem idoneum, in quem Sacramentum gratiam & vim suam operetur. Tanta est & tam salubris virtus instrumenti Passionis Dominicæ. Rursus alia adhuc differentia est, quòd gratia Sacramentorum non solùm comparatur ad id, vt homo ex ea bene, & beatè, & studiosè viuat. quod proprium est virtu-

tum

tum omnium, quarum gratia id propriè agit in anima & eius facultatibus, vt homo iustè & sanctè operetur: cùm ex altera parte Sacramentalis gratia non solùm illud prçstet, sed prætere a singulare auxilium ferat cõtra naturæ languorem & vitiositatem eam, quæ in his qui sanctissimi sunt, manet. Atque ex hoc peculiarem etiam vim exercet in peccata præterita & eorum causas: cùm virtutes quoad præsens & futurum tantùm propriè excludant peccatum. Hinc tibi duo Sacramenta ad reatum præteritorum peccatorum soluendum, Baptismus & Pœnitentia: & ad roborandas debilitatas vires animæ, Confirmatio: Ad spiritualis animæ caloris ex peccatis contractam defectionem restaurandam, Eucharistiæ alimentum: & ita in cæteris Sacramentis. quorum singula non solùm bonos & sanctos reddunt suscipientes, sed etiam singularem vim aliquam in præcedentem aut naturæ aut personę morbum exercent; quod virtutes peculiari officio non faciunt. Huius rei ignoratione Lutherus posuit, quòd vera pœnitentia non est nisi noua vita, non aliam agnoscens morum conformationem quàm Philosophi, qui nihil præterita curauerunt, præsertim quoad offensam Dei resarciendam.

Lutherus & Philosophi.

Ergo vt concludamus, gratia Sacramentalis habet id totum quod gratia virtutum & donorum habet: neque est habitus animi diuersus ab illa communi gratia, sed est veluti vna species illius, à Deo infusa ad certos & peculiares effectus, qui & ipsi *gratiæ* quoque dicuntur; non solùm quia sunt gratuita Dei dona animis humanis infusa, sed etiam quia tam diuina sunt singula, vt illorum minimum sit gratiæ iustificantis proprius effectus, nec sine gratia infusa haberi possit. Ex quibus omnibus in promptu est deuotis mentibus cogitare, quid quantumque Deus operetur in animis nostris per summam sapientiam atque ineffabilem bonitatem suam, vt nos reddat mundos & se dignos. Id enim quòd tam pauci vel cogitent vel intelligãt, quomodo scilicet Christus generet sibi animas, quomodo alat eas, quomodo roboret, quomodo labẽtes restituat,

& quo-

& quomodo cætera omnia ad salutem nostram mirabiliter faciat ac procuret: quòd hoc, inquam, aut non credatur ab Hæreticis, aut non intelligatur à populo, aut non diligatur magis à nobis qui intelligimus, dolendum est vehementer, & vt secus fiat, summopere laborandum. Sed hæc hactenus.

Quòd sint septem noua Legis Sacramenta, singulaq; tam propriè sic dicta, quàm Baptismus.

CAP. XLI.

NVNC de Sacramentorum numero dicẽdum est, quem septenarium esse, non solùm sanctissima omnium temporum traditio, atque multorum Conciliorum auctoritas docet, sed ipsa etiam Sacramenti vera definitio. quod præsertim illi quoque Sacramentorum nostrorum fines atque effectus, seu communes, seu singulorum proprij, de quibus diximus, confirmabunt.

Cap. sup.

Ecclesiæ definitiones. *Lucius Pp.*

Atque Ecclesiasticam auctoritatem si videre cupis, habes definitionem Lucij 3. lib. 5. Decret. titulo de Hæret. ca. *Ad abolendum,* in hæc verba: *Vniuersos qui de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, vel de Baptismate, vel de Confessione, vel de Matrimonio, vel de reliquis Sacramentis Ecclesiasticis aliter sentire aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Ecclesia Romana prædicat & obseruat, vinculo perpetui anathematis innodamus.* Hæc ille. Habes item Bullam Eugenij 4. approbatam in Concil. Florentino, ad vnionem Armenorum cum Latinis, ita grauissima auctoritate tradentem: *Noua Legis* (inquit) *septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, &c.* Deniq; & ipsum Concilium Tridentinum, Ses. 7. Can. 1. idem suo cõsensu corroborans: *Si quis dixerit, Sacramẽta noua Legis, plura vel pauciora esse, quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum: anathema sit.*

Eugen. Pp. *Flor. Con.* *Trid. Con.*

Sed hîc Hæretici contentiosi homines Pontificum atque Con-

Conciliorum Ecclesiasticorum iudicio legitimo certissimoq; damnati, ita in perditionem suam more suo resistunt: hæc quidem sic definiri, sed non ex sensu sacrarum Scripturarum scilicet, in quibus de hoc septenario nullum verbum reperitur, sed nec in antiquitate omni. Equidem illis libenter concedimus, conceptâ verborum formâ hoc pronunciatum, scilicet *septem sunt noua Legis Sacramenta*, non haberi in Euangelio. Quin & hoc vlteriùs damus, illa quinque Sacramenta, quæ ipsi sublata vellent, in Scripturis Sacramenta non dici. Sed non vicissim vident acutuli, nec reliqua duo, quæ vtrinque certò habentur pro veris Sacramentis, hanc Sacramēti appellationem à Scriptura accepisse, sed ab Ecclesia. Vnde sequitur, aut nihil valere ipsorum argumentum contra septenarium numerum & contra quinque controuersa, aut quòd eadem cōsequentia tollantur etiam duo reliqua, & sic nulla sint. Quantò igitur melius in Scripturis inuestigari oportuit, non quem illæ fixum numerum exprimerent, aut quo nomine singula appellarent, seu generali, seu particulari; sed quot essent ibi res externæ atque ceremoniæ quæ significarent ac conferrent gratiam, & quænam illæ essent. Nam si quid tale reperiatur, id quin Sacramentum sit, nec ab Aduersarijs negari potest. Multa autem talia esse, ex Scripturis liquet. Eaque cùm essent varijs locis, vel pro tempore institutionis, vel pro commoditate explicationis, ab Auctoribus sacræ Scripturæ tradita, in vniuersum reperta sunt esse septem, totidemque propterea in institutione Ecclesiastica à maioribus nostris passim proposita. Quæ diligentia si fuit vtilis in inuestigando & assignando numero peccatorum septenario, & articulorum fidei duodenario; certè multò magis fuit necessaria in numero Sacramentorū statuendo. quæ non sunt redacta in hunc numerum propter commoditatem doctrinæ, vt fortassis alia; sed quia reuera tot sunt ceremoniæ externæ, per quas Deus dat gratiam ac salutem hominum procurat, & non plures. Sic ergo probamus: Sunt septem signa externa quæ conferunt gratiam, & in Scriptura & in vsu Ecclesiæ, ac

Scriptura.

non plura; ergo ſunt ſeptem Sacramēta tantùm. Conſequentia patet ex his quæ in prima parte Tractatus huius de natura Sacramenti copioſè à nobis dicta & ſolidè confirmata ſunt. Antecedēs probatur legitima Inductione: Ceremonia Baptiſmi confert gratiam, quia regenerat animā, Ioan.3. Ceremonia Euchariſtiæ confert gratiam, quia dat vitam & Chriſto incorporat Ioan.6. & 1ª. Cor.10. & 11. Ceremonia Confirmationis dat gratiam, quia dat Spiritum Sanctum Act.8.17. & 19. Ceremonia Pœnitentiæ dat gratiam, quia remittit quęuis peccata Ioan.20. Ceremonia Ordinis dat gratiam, quia Paulus apertè dicit hoc de ordinatiōe Timothei, 1.Timoth.4. & 2.Timoth.1. Ceremonia coniunctionis maris & fœminæ, quæ appellatur Matrimonium, dat gratiam, quia ex illa datur poſſeſſio vaſis ſui in ſanctificatione & honore, & non in affectu concupiſcentiæ, quemadmodum Gentes quæ ignorant Deum, 1. Theſſal.4. Ceremonia extremæ Vnctionis dat gratiam, quia ſaluat infirmum, & quęcūq; peccata remittit, Iacobi vltimo. Hæc, inquā, reperiuntur in Scripturis talem effectum operantia, & non plura: ergo ſunt ſeptem, tantumq; ſeptem Sacramenta. Senſus autem iſte Scripturarum harum quas adduximus, ſi inde fortè tergiuerſentur Hæretici, defenditur facilè in proprijs ſingulorum Sacramentorum locis. quod nos nunc nō agimus. Deniq; ſi pergat quis cōtentioſus eſſe, reprimatur illo Apoſtoli dicto: *Nos talem conſuetudinem non habemus, neq; Eccleſia Dei*, 1.Cor.11.

Tertia. Porrò de antiqua Eccleſia, quòd hunc numerum ignorauerit, prorſus id negamus Aduerſarijs. Quanquam enim eorum nullus qui ante 1000. annos ſcripſerunt, vniuerſa Sacramenta eo numero pręciſè comprehenſa dixerit; tamen quòd nullus eorū id negauerit, quòd hæc ſingula eſſe Sacramenta, aut ſaltē per modū ceremonię cōferre gratiā, varijs locis pro opportunitate tēporis & tractationis multi ex antiquitate tradiderint, ſatis vtiq; eſt ad iſtorū reprimendā importunitatē, qui in nomine aut numero hærent pertinaciter. Neq; illud etiā eiuſdē generis plus quicquā valet: Dionyſiū, Cyrillum Hieroſolymitanum,

num, Ambrosium, Augustinũ ex professo scribentes de Sacramentis, tum cùm de Hierarchia Ecclesiastica, de Catechesib', de Mystagogijs, de Sacramentis, & his qui Mysterijs initiãtur, de catechizandis rudibus, & de Christiana doctrina, atq; similibus argumentis scripsissent, tamen alia pluráve nõ numerasse quàm duo, nimirũ Cœnam Domini, & Baptismũ: proinde videri probabile, quòd Auctores isti Sacramenta alia non agnouerint: Et cõfirmari inde ampliùs hanc coniecturã putant, quia neq; Irenęus scribens cõtra omnes hęreses, neq; Iustinus omnes ritus Ecclesiæ enumerãs, neq; Tertullianus cõtra Marcionem, numerarunt aut nominarũt alia quàm duo. Sed ad istam egregiam ab Authoritate negatiuè (vt vocant) Dialecticã respondemus, nõ debere istos veteribus pręscribere, quib' locis tractẽt de quibusq; rebus; cùm nemo sit eorũ quos nominant, qui nõ habere potuerit graues causas, cur ab hoc vel illo Sacramento supersedendũ aut tacendum sibi putaret. Sępè maiestas rei, sępè imbecillitas eorũ ad quos scribitur, sępè Aduersariorũ cõtra quos agitur conditio, sępè rei per se perspicuitas, sępè idẽ argumentũ aliàs & ab alijs explicatum, & similia innumera faciunt, tùm in cæteris scriptoribus, tùm in ipsis Euãgelij Auctoribus sacris, vt aliquid ibi non scribatur, vbi maximè cõgruum esse videatur. Vnde impius esset, qui D. Ioannem ex proposito scribentem historiam Christi præsumeret reprehendere, quòd nil de Natiuitate eius secundùm carnem, nil de pueritia, nil de adolescentia, de Baptismo nihil, nihil denique de institutione Eucharistiæ tradiderit, ne tum quidem cum reliquam eiusdem Cœnę vltimę, in qua instituta fuit, historiam texeret. Respondemus secundò, non scripsisse Patres supradictos ex professo de Sacramentis: quod de Iustino, Tertulliano, & Irenæo est manifestissimum. Quin & Dionysius tractat propriè non de Sacramentis peculiariter, sed de actionibus & officijs sacris atque Hierarchijs Antistitum, quæ vel in Sacramentis, vel in precibus, vel in sepultura Christianorum, vel in Consecratione Monachorũ, aut alijs ritibus cernũtur. Vnde cum in Ma-

Io. 13. 14. 15. 16. 17.

trimonio ritus solemnes non essent, nec Pontificum aut sacerdotum proprij, de illo Sacramento nihil loquutus est. Ambrosius quidem titulum dedit libro generalem, *de Sacramentis*; sed ex professo non tractauit de omnibus, sed de his tantùm, quibus fideles initiantur, cùm primùm ad Religionem nostram accedunt. Vnde & tale habet exordium: *De Sacramentis quæ accepistis* (inquit) *sermonem adordior*. Idem etiam fert titulus libri eiusdem, *de ijs qui initiantur Mysterijs*: sicut & libri omnes Cyrilli, atque Augustini catechetici; in quibus oportuit de his Sacramentis maximè tradi, quæ ad initiatos pertinebant, & non de Matrimonio, aut Sacerdotio, aut extrema Vnctione. Tertiò respondemus, falsum esse, quòd in his prædictis libris fiat mentio tantùm duorum, id est, Baptismi & Cœnę: cùm & Dionysius, & Ambrosius, & Cyrillus in his ipsis locis apertè loquantur & de Confirmatione, eamque ad perficiendum Christianum hominem necessariam esse doceant.

Quot Augustino Sacramenta.

Verùm Augustinum imprimis nolunt agnouisse hunc numerum, sed tantùm duo numerasse. Videmus quidem apud Augustinum, vbi interdum dicat, *pauca esse Sacramenta*. sic lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 9. & Epist. ad Ianuar. & sæpè contra Manichæos. sed non ex eo sequitur, quòd tantùm duo cognouerit: quia in eadem Epistola, vbi dicit esse *paucissima*, tamē numerat vt minimum tria, *Aquam, Panem, Oleum*. Ita etiam lib. 19. contra Faust. cap. 14. proponit in exemplum eadem tria, sic appellans, *Baptismum Christi, Eucharistiā Christi, Signū Christi*. Et sicut hic tria, ita cap. 9. lib. 3. de doctrina Christiana, in exemplum doctrinæ atque institutionis suæ, duo recenset; & in lib. de catechizandis rudibus, vnum. Non quòd alia esse negaret, qui his locis commemoratis tria (vt docuimus) nominat, sed quòd ad totius generis explicationem vnum aut item alterum pro exemplo commemorasse sufficeret. Quod ex eo planum etiam esse potest, quòd sæpè vno aut altero ad exemplum proposito, eam orationis suæ clausulam addit, ex qua plura ad eandem classem propriè pertinere intelligas. Sic Epist. 118.

post

post nominata Sacramenta Baptismi, & Corporis atque Sanguinis Dominici, adiecit: *Et si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur*. Item Con.1.in Psal.103. *Respice* (inquit) *ad munus Sacramentorum Ecclesiæ, in Baptismo, in Eucharistia, & in cæteris sanctis Sacramentis*. Idemque Cresconium lib.2.cap.4. premit quasi *separantem Baptismum à religiosa obseruatione Christianorum Sacramentorum, quibus* (inquit) *eum nos inter magna cōiungimus*. Ex quibus locis est illud perspicuum, & plura esse quàm duo, secundum Augustini sententiam, licet *pauca* sint respectu Sacramentorum veteris Legis; & eadem ipsa, quæ præter hæc duo sunt, esse propriè dicta Sacramenta, quia in eodem genere vel expressè, vel per generalem recitationis clausulam, cum duobus illis, de quibus non est inter nos controuersia, ab ipso collocantur. In quo id etiam obseruandum est, quòd lib.2.cōtra Epistolam Parmeniani cap.10. vtitur hac formula loquēdi: *Omnia Sacramenta prosunt dignè suscipientibus*. Qui autem dicit *omnia*, vel *duo & cætera*, vel distinctè munerat tria, vel *Baptismū coniungit Sacramentis Christianis inter magna*, vel etiā dicit *pauca* esse, non is asserit, tantùm esse duo, sed planè plura ostendit esse quàm duo. Et ita de binario numero sunt Hæretici ex antiquitate clarissimè refutati.

Sed nunc, omnia septem quæ colit Ecclesia, agnita fuisse & commemorata ab Augustino cæterisq; Patribus pro veri nominis Sacramentis, & non tantùm ex largiori vocis vsu quo omnia Mysteria dicuntur esse Sacramenta, vt Hæretici fingūt; hoc erit inuincibile argumētum, quòd singula istorum septem ponantur ab eisdem in eadem ratione Sacramenti; qua Baptismus ipse de quo non est cōtrouersia: vt qui quoduis eorum neget esse Sacramentum, aut propriè Sacramentum, simul & Baptisma neget sit necesse. Et primùm quidem, in his de quibus est controuersia, *Confirmatio* dicitur Sacramentum ab Augustino lib.3.contra Donatist.cap.16. & lib.5. cap.9. libro autem 2.contra Epist.Petiliani cap.104.cōfertur cum Baptismo. *Sacramētum Chrismatis* (inquit) *in genere visibilium signaculorum* Aug.

 est sa-

Cyp. *est sacrosanctum, sicut Baptismus.* Eodem modo S. Cyprianus lib. 2. Epist. 1. ita confert Confirmationem Baptismo, vt illa duo Sacramenta vno verbo complectens, *vtrumque Sacramentum* appellet. Secundò, *Ordinationem Ecclesiæ* esse Sacramentum, docet August. lib. 2. contra Epist. Parm. cap. 13. Sed lib. 1. de Baptismo contra Donatist. cap. 1. confert etiam Baptismo: *vtrumque* (inquit) *Sacramentum est, & quadam consecratione vtrũque homini datur; illud cùm baptizatur, istud cũ ordinatur.*

Aug. Tertiò, *Matrimonium* esse Sacramentum, non primùm Gregorius Papa dixit, (vt finxit Caluinus) sed ante eum expressè innumeris locis Augustinus, præsertim in lib. de bono coniugij cap. 7. 15. 18. & cap. 24. apertissimè: vbi illud in ratione Sacramenti comparat Ordinationi, quam priùs cum Baptismo contulerat, vt ostendimus: *Bonum nuptiarum* (inquit) *per omnes gentes & omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis est. Quod autem ad populum Dei attinet, etiam in sanctitate Sacramenti est. quod manet in coniugatis, licet proles non sequatur: sicut Sacramentum Ordinationis manet in ordinatis, licet plebem, propter quam congregandam ordinati sunt, non congregent.*

Aug. Quarto loco, *Sacramentum Pœnitentiæ* confert August. cũ Baptismo lib. 1. de adulter. coniug. cap. 26. & 28 *Eadem est* (inquit) *causa Baptismi & Reconciliationis, siue quibus Sacramentis*

Ambr. *homines credunt se non debere exire de corpore.* Sic Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 7. *Baptismi* (inquit) *& Pœnitentiæ idem est ministeriũ, idem nomen in vtroque operatur remissionẽ peccatorũ.*

Aug. Vltimo loco, *extrema Vnctio* probari facilè potest esse Sacramentum, ex Augustino lib. de visitat. infirm. (si is sit liber

Innoc. Pp. eius) cap. 4. sed melius ex Innocentio 1. Augustini æquali,

Beda. Epist. 1. cap. 8. & ex Venerabili Beda super 5. Iacobi, & 9. Lucæ. qui & ad idem allegat eundem Innocentium primum.

Cyril. Al. & apertissimè ex D. Cyrillo lib. 2. in Leuit. & tandem ex

Chrysost. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio, vbi (quod nos nunc quærimus) etiam Baptismo comparat, tam quoad ministeriũ, quàm quoad modum remittendi peccata: *Non tantùm* (inquit) *in Baptismo remis-*

remittunt Sacerdotes peccata, sed etiam postea in Vnctione, iuxta illud Iacobi, Infirmatur quis in vobis? &c. Eandemque Prosper De prædict. p.2. cap.29. Eucharistiæ in effectu coniungit, dicens: *Anima Sacramento farris & olei Vnctione munita, secura expectat, &c.* Ex his nunc quis non videt, quàm sit vetus hęc de singulis Sacramentis sine exceptione disciplina; & quàm friuolè contendant Hæretici de numero omnium, cùm constet de veritate singulorum; & quàm egregiè mentiantur, dum Augustino vel antiquitati affingunt sententiam binarij, meritò iam multorum Conciliorum authoritate explosam?

Prosper.

Posteriores deinde Theologorum scholæ, aut ignoratis, aut contemptis Hęreticorũ contentionibus, de numero non litigantes, exquisiuerunt rationes potiùs, cur Christus voluerit hunc numerum, & hęc Sacramẽta, potiùs quàm alia, plura aut pauciora. Eiusque rei reddunt rationem ex singulorum Sacramentorum distinctis finibus seu effectis, quæ ex similitudine naturalis vitæ ad spiritualem obseruarunt. Vt enim homo vitam hanc naturalem habeat atque tueatur ad suam & Reipub. vtilitatem, hæc septem sunt necessaria: primùm, vt per generationem in lucem edatur: Secundò, vt augeatur & roboretur: Tertiò, vt alatur: Quartò, si in morbum incidat, vt sanetur: Quinto loco, vt imbecillitas virium ex ægritudine contracta reficiatur: Quæ omnia quinque ad cuiusque priuati vitam consequendam & tuendam vel necessaria, vel conducibilia existunt. Sed deinde quia homo est animal ad societatem colendam natum, vnde quisque sese ita instituere debeat, vt in aliquod legitimæ Reipub. corpus cum reliquis coalescat: fit, vt præter ea quinque priuatæ vitæ adiumenta quæ diximus, sexto loco prouideatur, vt Magistratus nunquam desit, cuius auctoritate & imperio regatur societas illa, cuius quisque nostrûm membrum esse debet. Et postremò, vt legitima sobolis propagatione humanum genus conseruetur. Sicut igitur septem hæc requiruntur ad corporalem vitam tuendam: ita ex horum simili analogia facilè colligemus, spiritua-

Scholasticorum rationes.

ſpiritualem quoque vitam animæ noſtræ talibus planè auxilijs diuinitus inſtitutis niti atque contineri. Nam in Baptiſmo homo ad vitam animę primùm naſcitur & acquirit eſſe quoddam Diuinum. In Confirmatione ad priùs acquiſitam vitam accedit augmentum, robur, & firmitas, quæ Lucæ 24. appellatur *virtus* vel *vis ex alto.* In Euchariſtia datur panis vel paſtus admirabilis, quo vita, quam habemus in Deo, verè alitur atq; cõſeruatur. Quod ſi ſanitas hæc animæ fortè amittatur, eam Pœnitentia reſtituit, quæ quartum locum in Sacramentis habet. Poſtea ne quid deſit, extrema Vnctio morborũ reliquias omnes tollit, & vires ſpirituales ex infirmitate labefactatas recreat atque reficit. Sexto loco, Ordo Magiſtratum ad Sacramentorum miniſteria, plebis moderationem, & ſacras functiones exequendas legitima poteſtate impartit. Septimò additur Matrimonium, vt ex maris & fœminæ ſancta atque caſta coniunctione filij ad Dei cultum & humani generis conſeruationem procreentur & educentur.

Septem iſtorum Sacramentorum comparatio inter ſe, quoad ordinem, neceſſitatem, concordiam, atque differentiam dignitatis.

CAP. XLII.

ATQVE hic ipſe eſt exploratus Sacramentorum & numerus, & ordo. Nam vt ex his varijs gratijs, quas per externas ceremonias tribuit Deus, Sacramentorum certus conſtituitur numerus; ita ex eatundem naturali ordine videmus, quid quicque aut præcedere aut ſubſequi debeat; non ſolùm in doctrina, quæ via quadam & ratione procedit, ſed etiam in Sacramentorum vſu & ſuſceptione. Sicut enim primum eſt in claſſe Sacramẽtorum Baptiſmus, deinde Confirmatio, tum Euchariſtia, & ita deinceps: Ita eadem tria, naturæ ordine, prima ſumuntur: adeoque in primitiua Eccleſia (ſicut ex toto opere de Sacramentis à D. Ambroſ. conſcripto perſpicuum eſt) ſimul etiam tradebantur. Poſtea addebantur reliqua, pro conditione

ditione personarum & temporum. Quanquam reuera nullus in eis ordo ita ex necessitate simpliciterque requiritur, quin reliqua omnia Sacramenta possint promiscuè & indifferenter, licet non tam decenter, ante ea Sacramenta quæ naturâ antecedunt, suscipi: cætera (inquam) omnia, præter Baptismum. Quod Sacramentum nisi priùs susceptum fuerit, reliqua quæcunque adhibita non tantùm nullam vtilitatem afferent, sed ne Sacramenta quidem erunt: quorum propterea Baptismus *ianua* appellatur. Ante Confirmationem enim & Ordo,& Eucharistia,& Confessio,& Matrimonium, vel cætera etiam eodem modo suscipi possunt: sed ante Baptismum nulla. Quo etiam Sacramento excepto;ad reliquorum omnium vtilem susceptionem, si in peccato mortali es, Pœnitentia antecedat est necesse. Confirmatio est perfectio Baptismi, & ita à Patribus dicta, vnde etiam adiuncta Baptismo plerumque; vt Hæretici putauerint, eam esse tantùm Sacramentale Baptismi. Sic & extrema Vnctio est perfectio Pœnitentiæ.

Deinde obseruandum est,quòd in hoc ordine Sacramentorum, quædam sunt simpliciter necessaria, vt Baptismus cuique personæ priuatæ,& Ordo toti communitati. Nam Matrimonium,licet vt officium naturæ, non tamē vt Sacramentum est necessarium. Quædam sunt necessaria tantùm ex suppositione & per accidens, præsupposito nimirum peccato mortali & actuali post Baptismum,vt Pœnitentia. Reliqua omnia sunt illa quidem maximè conducibilia: tamen quia incidunt tempora, etiam in adultis, vbi illa haberi non possunt, aut aliàs vbi sine culpa omitti possunt, non sunt ea, sicut Baptismus, aut etiam Pœnitentia,necessaria. Neque verò hoc solum ita est vt dixi, non omnia Sacramenta cuique priuato esse necessaria; verùm illud etiam obseruandū est,nec quoduis à quouis suscipi posse. Proinde falsum esse,quod dixit Caluinus lib.4. Institut.cap.19. *hoc esse proprium omnium Sacramentorum,vt sint omnibus Christianis communia.* Quo solo nomine, cùm cætera omnia adessent, reiecit Ordinationem,quòd is Magistratus à fœminis obiri non

Caluinus.

possit. Quam rationem si sequamur, nec Circumcisio fuisset Sacramentum. Verum tamen illud est, nulla istorũ Sacramentorum esse, quorum effectus proprij non optimè inter se mutuò consistant. Vnum (inquam) Sacramentum ita alteri non repugnat, quin in vno homine, vnoq; tempore, & Sacramenta omnia, & omnes eorum peculiares effectus existere cõmodissimè queant: licet actus sequentes susceptionem quorundam Sacramentorum non tam bene conueniant cum cæterorum vsu aut dignitate. Actus enim coniugalis habet quiddam indecorum, & Eucharistiæ tùm susceptioni, tùm confectioni aliquo modo contrarium: tamen ipsum coniugij Sacramentum, sicut & gratia fidei atque castitatis coniugalis, nihil habet impudicum, nihil indecens. Et propterea in se quidem cum quouis Sacramento posset suscipi. Sed per accidens ex præcepto vel voto tantùm fit, ne simul cum Ordine propter actûs indecentiam cõiungatur. Hæc diximus propter importunos homines, qui quasi ex nostris placitis argumentantur, Matrimonium non esse Sacramentum, quia cum reliquis Sacramentorum gratijs non conueniat.

Postremo, licet Sacramenta omnia inter se genere conueniant & æqualia sint quoad rationem generalem significandi & conferendi gratiam; tamen in cæteris plurimùm differre, nec sanctitate omnia paria esse, perspicuum est. Baptismus, si necessitatem spectes, longè præstat cæteris. Si dignitatem Ministri respicias, Confirmatio & Ordo digniora sunt, cùm hæc à solis Episcopis administrentur. At si significationem consideres, *magnum Sacramentum* est Matrimonium *in Christo & in Ecclesia*. Sin rei ipsius dignitas atque excellentia spectetur, tùm sacra Eucharistia reliquis omnibus & maiestate, & contentæ rei celsitate, & Mysteriorum numero atque magnitudine, & Religione adiuncti sacrificij longè antecellit. Proinde qui ita vnius Sacramenti rationem ad alterius particularem naturam exigunt, vt vnum alteri nihil præstare velint, ex eoque dignitatem & prærogatiuam Eucharistiæ immi-

Ephe. 5.

nuunt,

nuunt, iustè condemnantur Seff. 7. Concil. Trident. ca. 3. Trid.Con. hac sententia: *Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, vt nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.*

Pro Charactere trium Sacramentorum, iudicia Ecclesiastica.

CAP. XLIII.

ET hactenus de principali ac communissimo effectu omnium nostrorum Sacramentorum, id est, gratia gratum faciente, diximus. ex cuius etiam collatione & varijs effectibus numerum atque ordinem Sacramentorum deduximus. Nunc sequitur, vt de altero trium tantùm Sacramentorũ proprio effectu, hoc est, Charactere, dicendum esse videatur. de quo non minores lites mouerunt, quàm de ipsa gratia, primùm VVicleffus in Conc. Constantiensi damnatus; deinde Lutherus & sui; tandem Caluinus & cæteri Sectarij ad vnum omnes. Qui homines si Ecclesiam audiuissent, & suæ saluti cõsuluissent ipsi meliùs, & nos nunc minùs laboraremus. præsertim cùm Innocentius tertius titulo de Baptismo & eius effectu, cap. *Maiores*, definiat, Sacramentalem operationem in quibusdam imprimere Characterem, etiam quibus non confertur gratia Et Florent. Concilium in Armenorũ instructione ita sententiam ferat: *Inter Sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, id est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctiuum imprimunt in anima indelebiliter, vnde in eadem persona nunquam iterantur: Reliqua verò quatuor non imprimunt, & reiterationem admittunt.* Denique S. Concilium Trident. Sef. 7. can. 9. terribiliter sic pronunciat: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, vnde ea iterari non possunt, anathema sit.* Sed quia his non acquiescunt Hæretici, & quia doctrina de Characteribus præclara est atque ad multas Theologiæ partes valde vtilis, agè verò, de re tota copiosiùs pertractemus.

VVicles. Luther. Caluinus. Innoc. Pp. Flor. Con. Trid. Con.

Characteris vis atque descriptio.

CAP. XLIIII.

Character, si vim notationemque verbi spectes, notam, symbolum, signaculum, insigne denotat. à qua significatione non est abhorrens illud Pauli ad Hebræos 2. vbi vocat Filium, *figuram & characterem substantiæ Patris.* Sed magis tamen quadrat illud Apocalyp. 13. & 16. vbi imago & nota eorum qui seruient Antichristo, dicitur *Character bestiæ*; ac si figura sit quędam per inustionem ferri in pecore efformata, vt firmam & indelebilem notam possessoris sui gerat. Sensus ergo Characteris nostri est: Christum in Sacramento Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, veluti cauterio quodã notare ipsas animas suscipientium indelebili quadam qualitate, per quam in quibusdam Religionis actibus illi configuremur, ad illum pertinere dignoscamur, ab alienis & hostibus discernamur; vnde & ius ac potestatem acquiramus vel faciendi, vel suscipiendi sacrum aliquid in Ecclesia: per quam denique ipsa Ecclesia in nos ius & potestatem habeat. Estque hæc nota tam altè infixa animæ, in qua tanquam in proprio subiecto est, vt eam ad omnem æternitatem, siue in corpore, siue extra corpus; siue seruata in cœlo, siue damnata in inferno; vel ad gloriam augendam, vel ad contemptus testimonium, gerat. Cuius acceptioni vel retentioni nullus potest ponere obicem, modò Sacramentum verum suscipiat. Quæ qualitas ita æternùm durans facit, vt cùm Sacramentum ipsum per se actu transierit, continuò tamen veluti in effectu suo maneat: vnde nec sine scelere vnquam repeti possit; sicut cætera quatuor, quæ Characterem non imprimunt, nec in se aut suis effectibus manent.

Heb. 2.
Apoc. 13. 16.

Causæ, quamobrem Character tribus tantùm Sacramentis tribuatur; cum vsu eius, Patrumq́; de eo testimonijs.

CAP. XLV.

Est autem hic effectus peculiaris solummodò tribus Sacramentis, quia per hæc sola deputamur ad alios quosdam actus

actus religiosos extra ipsum Sacramentum exercendos. Nam in Baptismo tribuitur nobis potestas seu capacitas, quā Scholastici appellant potestatem passiuam, qua reddimur idonei ad alia omnia Sacramenta percipienda. In Confirmatione, ad spiritualem sub Christo militiam gerendam tribuitur tanquam militaris nota. In Ordine verò potestas datur actiua, hoc est, tùm conficiendi, tùm administrandi reliqua Sacramenta. Quæ etiam tria Sacramenta id habent prę cæteris ex hoc Charactere peculiare, vt hominem Deo cōsecrent, & dedicatione quadam donent. Nam licet in susceptione cęterorū colatur Deus, singulaque suscepta homines à peccatis per gratiam emundēt, & ita aliquo modo consecrent: tamen per ea homines non deputantur ex professo ad exercitium Diuini cultus, sicut in his tribus. Vnde & hac quoque ratione iterari non debent, cùm ita sit comparatum, vt res semel consecrata non iterum consecretur, quamdiu existit. In quibus etiam Sacramentis, seu potestatem quam dant, seu peculiarem sanctificationem quam tribuunt, spectes; est semper nota quædam vel signum verè discernens eos, qui hæc Sacramenta susceperunt, ab ijs qui hāc potestatem vel dedicationem ex ijsdem Sacramentis non habent, & consocians eos cùm inter se qui similiter susceperunt, tùm ipsi etiam Christo, cui per hunc Characterem potestatis & sanctitatis configurantur. qui tamen ipse hanc omnem potestatem non à Sacramento, sed aliunde diuinitus atque longè excellentiùs habet. Sic Baptismi Charactere vtrumque consequimur, vt & dinoscamur à gentilibus qui Deum nō colunt, & ad alia Sacramenta reddamur idonei. Ita Character Confirmationis, publicæ militiæ spiritualis auctoritatem tribuit; simulque à nuper baptizatis, tanquam modò genitis infantibus, homines ad publicam pro Religione & iustitia pugnam armatos ac deputatos distinguit. Denique Character Ordinis, ministrandi omnia Sacramenta potestatem confert; & eos etiam qui hanc potestatem habent, discernit à reliquis in fideli populo, qui eam non sunt adepti.

Habet ergo hæc qualitas (vt dilucidi fimus) vim & vſum triplicem. Primùm, vt diſcrimen ſpirituale conſtituat, quo verè à quibuſdam diſtinguamur, in comparatione ad Chriſtum, & quibuſdam alijs configuremur, ac conſociemur: idque non in corpore, in quo nihil poſt Sacramenta tranſacta manet, ſed in corde. Secundò, vt legitimam poteſtatem contineat dandi vel accipiendi ſpiritualia. Tertiò, vt hominem irreuocabiliter Diuino cultui dedicet; non in vniuerſum ſicut Monachos, ſed ſecundùm quędam Religionis officia. Ac propter primum quidem à vetuſtis Theologis dicitur Character, vel ſignaculum, vel ſigillum. propter ſecundum, dicitur ius & poteſtas accipiendi vel dandi Sacramenta atque Sacra. Propter tertium, dicitur ſanctitas Sacramentalis, & conſecratio hominis, non qua fit bonus, ſed qua Diuino cultui mancipatur.

Ad primum officium & nomenclaturam Characteris alludit D. Paulus Epheſ. 4 *Nolite* (inquit) *contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.* In quem locum D. Hieronymus: *Symbolum* (inquit) *Spiritus Sancti in die Baptiſmi accepiſtis, nouum ſignaculum habere cœpiſtis.* Hæc ille. Sed quia hic locus (vt D. Thomæ placet) pertinet magis ad gratiam, quàm ad Characterem Baptiſmi, illud ex 2. Cor. 1. *Vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos*, fortaſſe magis vrget, cùm ibi Apoſtolus duo diſtincta in hoc Sacramento proponat, vnctionem Spiritus, id eſt gratiam; & ſignaturam eiuſdem Spiritus, quæ etiam ſine gratia ſæpè imprimitur. Hæc duo in Baptiſmo annotauit Epiphanius lib. 1. Tom. 1. ſec. 8. comparans illud Sacramentum Circumciſioni, atque dicens: *Baptiſmus & circumcidit nos à peccatis, & obſignat nos in nomen Dei, &c.* Vbi id ſine dubio vult, ſic Baptiſmum dare ſignum vel ſignaculum dominicum in corde, ſicut Circumciſio dabat diſtinctionem inter circumciſos & incircumciſos in corpore. Vide vetuſtum etiam Scriptorem Haymonem in 1. Epiſt. ad Cor. cap. 2. quomodo deus dando hoc ſignum Redemptoris, faciat nos genus electum, regale ſacerdotium, atque

Eph. 4. Hier. 2. Cor. 1. Epiphan. Haymo.

atque gentem sanctam, etiam tum cum boni non simus, sed tantùm propter dedicationem animarum nostrarum in hoc signaculo sanctitatis. Vide etiam Cyrillum Hierosoly. Catech. 17. sub finem. itemque D. Ambros. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 6. vbi allegans vtrumque locum Pauli iam citatum, tandem dicit, *nos in Baptismo specie tenus signari in corpore, sed veritate in corde, vbi Spiritus Sanctus exprimit in nobis imaginis cœlestis effigiem. quod est vtique* (inquit) *Spirituale signaculum cordis, & non corporis.* Hæc ille. Et planius D. Dionysius cap. 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: *Baptizatum* (ait) *in suum consortium diuina Maiestas intus admittit, eiq́; lucem suam, perinde ac signum aliquod, tradit, sanctum efficiens, & sortis Ordinisq́; Sanctorum participem.* In quem sensum etiam Damascenus lib. 4. de orthod. fide cap. 5. annotans varias & peculiares Baptismi operationes, ita inquit: *Per Baptismum accipimus primitias Spiritus, & deinde signaculum & tutelam, & sanctificationem.*

Cyril. Amb. Dion. Areo. Damasc.

Quòd Character non sit ipsum Sacramentum, neque gratia eius, neque ens rationis, sed ens reale, adeoq́; quædam qualitas impressa menti.

CAP. XLVI.

SED vt hæc testimonia quæ protulimus, sicut & alia quæ postea adferemus, faciliùs intelligantur & fortiùs tractentur contra Hæreticos; aliquot conclusiones sunt ponendæ circa naturam huius qualitatis, quàm Characterem dicimus.

Prima est: Characterem esse aliud, quàm gratiam donatam in his tribus Sacramentis. Quæ res debet propriè demonstrari ex his præsertim locis D. Augustini, quæ demonstrant, Characterem Dominicum inueniri in sceleratissimis, & non deleri per peccatum, neque per hæresin. Secunda conclusio est: Characterem esse aliā rem ab ipsa Sacramenti receptione, seu ab

Aug.

ſeu ab ipſo actu Sacramenti; quem quidam falsò volunt eſſe hominis characterizationem: ſicut Hæretici, qui omnia Sacramenta volunt eſſe aliud nihil, quàm externa ſymbola profeſſionis. Quo modo & reliqua Sacramenta non minùs characterem imprimerent, quàm hæc tria. Sed cōcluſio noſtra his propriè locis demonſtratur, quæ oſtendunt, Characterem Dominicum eſſe rem ſpiritualem & permanentem poſt tranſactum Sacramentum. Quod ille locus modò ex Ambroſio adductus, & alia quæ ex Auguſt. ſtatim adferemus, probant. Tertia concluſio eſt: Characterem non eſſe tantùm ex Sacramēti ſuſceptione corporali natum in ratione & cogitatione reſpectū; per quem mens hominis ponit diſcrimen inter eos qui hæc Sacramenta receperunt, & alios qui non receperunt, non ex aliqua qualitate quæ inſit homini, ſed ex aliquo actu qui tranſit; in quo tamen ratio & intelligentia ponunt diſtinctionem poteſtatis & ſanctitatis, licet non inhæreat aliqua reipſa exiſtens qualitas. Dico igitur, Characterem non eſſe huiuſmodi relationem vel ens rationis, ſed veram, impreſſam, atque reipſa inexiſtentem intellectui humano qualitatem. Idque maximè oſtendunt illa vocabula Characteris, impreſſionis, inhæſionis, quæ ab Auguſtino & ſanctis Concilijs in hac cauſa continuò vſurpantur, & quæ non poſſunt rationis reſpectibus aut relationibus competere. Quis enim dixerit, creationem Prætoris aut Conſulis imprimere Characterem indelebilem poteſtatis in mēte Magiſtratus, vnde ius capiat ad publica officia obeunda? Aut quis affirmauerit, aliquem creatum cuiuſlibet facultatis Baccalaureum habere in mente vel in corpore impreſſam poteſtatem vel Characterem ſui ordinis; cùm gradus ille non ponat aliquid in ſuſcipiente, ſed ſit ens rationis tantùm, ex quo homines intelligunt, illum legitimè exercere actus pertinentes ad talem dignitatem propter priorem admiſſionem, quæ tranſijt, & ita iam non exiſtit.

Amb. Aug. Aug. Flor. & Trid.

Rationes. Porrò vt hunc reſpectum atque rationis exiſtentiam à vera Characteris explicatione explodamus, & abſolutæ qualitatis impreſ-

impressionem constituamus, tribus ferè mouemur rationib⁹. Prima est, quòd excellentia Diuinarum operationum in procuratione salutis nostrę ea esse cernitur,& humanis rationibus in hoc genere tantùm antecellere, vt vbi homo homini quicquam præstans in quocunque vitæ officio; seu potestatem, seu honorem,seu gradum, seu Magistratum tribuens, vel sibi gratum faciens;nullam possit mentis mutationem, nec vllam qualitatem animo accipientis infigere:Deus contrà, cùm peccatũ remittit & hominem sibi recõciliat, aut gratiorem facit, cùm quenquam credere, cùm sperare, cùm diligere vult, hæc semper præstet tribuendo aliquam qualitatem veram, & propriè animæ inhærentem, sicut in posterioribus Concilijs etiam definitum est. Ergo non minùs probabile est, Deum dum potestatem & sanctificationem ad officia sacra exercẽda per Sacramenta quædam hõmini tribuit, hoc ipsum facere per qualitatem verè infusam. Ex cuius ignoratione ortus est ille grauis error Hæreticorum huius temporis, non minùs posse deponi aut abdicari sacrum Magistratum,quàm prophanum; &,simul cum executione officij, pro Reipub.aut Principum voluntate potestatem etiam omnem amittere. vnde & ortum creditur Schisma Donatistarum putantium simul cum gratia tolli ius datum in Sacramentis. Secunda ratio quæ me mouet ad statuendum Characterem in absoluta qualitate mentis,est, quòd Hæretici qui se opposuerunt Characteris veritati, non aliud negarunt (si ego rectè iudico) quàm qualitatem hanc inhærentem: cùm secundùm alium sensum in Florent. & Trident. Concil. non videantur condemnari, nisi quatenus Characterem sub hac interpretatione negarunt.Nam alioqui discrimen ordinati ab inordinato,baptizati & nõ baptizati,respectu præcedentium actionum Sacramentalium constitui posse nõ denegarunt.Vltima ratio ex eo sumitur,quòd Hæretici in omnibus Sacramentorum effectibus soleant studiosè negare veros habitus virtutum atque gratiarum,vt hac ratione instrumenta Dei magis inania & inefficacia reddant. Hinc nobis pro vera

Vien. & Trid.

remiſſione, non imputari peccatum; pro vera iuſtitia, relationis quodam reſpectu inter Chriſtum & nos alienam imputari. Ne ergo inanem reddant hunc quoque effectum Sacramenti quem Characterem vocamus; vt eum à relationibus & imputationibus cum Eccleſia Dei vindicemus eſt neceſſe.

Auguſtini loca pro cõcluſionibus ſuprapoſitu.

Nunc igitur ſiquis, præter rationes iſtas, loca Auguſtini ſuperiùs commemorata deſideret: primùm, quòd *Character ſit vera qualitas inhærens*, indicant ſine controuerſia omnia loca, in quibus hæc verba inueniuntur, Characterem *inhærere, infigi, permanere, portari, imprimi, ſignari, dari, accipi*, cum ſimilibus. vel contrà, Characterem *non corrumpi, non deſtrui, non reſcindi, non violari, non detrahi, non deleri, non amitti, &c.* quæ reperiuntur lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 13. cum ait: *Sanè non minùs hærent Chriſtiana Sacramenta, quàm nota corporalis; cùm videamus; nec Apoſtatas carere illis, quæ propterea illis reſipiſcentibus non reſtituuntur, quia amitti non potuerunt.* Ita & Epiſt. 44. *Portatis dominicum Characterem in Sacramento quod accepiſtis, qui oues Chriſti eſtis.* Item lib. 6. contra Donatiſt. cap. 1. *Ouem quæ foris errabat, & foris recipiebat dominicum Characterem, redeuntem corrigimus; ſed Characterem non improbamus dominicum in ea: quem* (inquit) *Characterem multi lupi multis lupis infigunt.* Huic ſimile eſt quod habet in ſer. de geſtis cum Emerito Donatiſta: *Si* (inquit) *Donatus quando ſchiſma fecit, in nomine Donati baptizaret, deſertoris Characterem infigeret, &c. Nũc verò ipſe deſertor Characterem fixit Imperatoris ſui, Chriſti.* Et Epiſt. ad Bonifacium 50. *Character* (inquit) *Dominicus agnoſcitur, nec violatur à nobis vnquam, cùm redeunt deſertores.* Et Tract. 6. in Euangel. Ioan. *Tene* (inquit) *quod accepiſti: non mutatur, ſed agnoſcitur. Character enim Regis eſt mei, corrigo deſertorem, ſed non immuto Characterem.* Deniq; lib. 1. contra Creſconiũ Grammat. ca. 30. ita ait: *Regium Characterem deſertor infixit; &, dominicũ ſignum fugitiuus ſeruus impreſſit.* Iam verò ſecundo loco, *Characterem hunc non eſſe gratiam Sacramenti*, ea teſtimonia præcipuè confirmant, quę docent, *eum eſſe, dari, & recipi ſine charitate, & permanere in*

nere in sceleratissimis Apostatis & damnatis. Cuius generis est illud Augustini Tract.5. in Epistolam Canonicam Ioan. *Si* (inquit) *ex Sacramento charitatem quisq; habeat, tunc se dicat natũ esse Deo: si autem non habeat, Characterem tamẽ impositũ habet, sed is desertor vocatur.* Et planiùs lib. 2. cõtra Parmen. cap. 13. vbi vocat Characterem sanctitatẽ Sacramenti: *Peruersitas* (inquit) *hominis corrigi debet, sanctitas autem Sacramentorũ violari non debet. Constat enim eam in peruersis & sceleratis hominibus, siue intus, siue foris, impollutã & inuiolabilem permanere. Et quòd dicuntur ea mali polluere, quantum in ipsis est, dicuntur, cùm illa impolluta permaneãt; in bonis, ad præmiũ; in malis, ad iudicium.* Et paulò inferiùs: *Sacramenti sanctitas habetur & datur ab eo quem tanquam sceleratum Deus iam damnauit.* Hæc ille. Ex quibus facilè perspicimus, sanctitatem Sacramenti aliam esse à gratia Sacramenti.

Quod ad conclusionem aliam attinet, obseruandũ est, hanc sanctitatem Sacramenti permanentem in sceleratis, *neque esse ipsum Sacramentum*, quod planum est actu transijsse, neque aliquam qualitatem inhærentem Sacramento; sed dici, *Sanctitatem Sacramenti*, quia effecta est per Sacramentum; sicut gratia quæ per Sacramentum producitur in mente hominis, dicitur *gratia Sacramenti*, non quæ in ipso est, sed quæ ab ipso facta est. Quomodo ipse August. proximè allegato loco appellat hanc sanctitatẽ Sacramenti, consecrationem hominis factam in Sacramento. *Ordo* (inquit) *& Baptismus nõ possunt iterari, quia vtrũque Sacramentum est, & vtrumque quadam cõsecratione homini datur, &c.* Vnde sequitur, vt hæc consecratio, dedicatio, seu sanctitas ex Sacramento proueniens, cùm sit qualitas spiritualis mentis, & non corporis, necessariò distinguatur ab actu Sacramenti externo qui in corpore consummatur. Est ergo sanctitas ista inuiolabilis seu Character, effectus Sacramentorum eorum quæ consecratione quadam personarum dantur, & non ipsum Sacramentũ. Propter quem effectum, notandũ est, ipsum Sacramentũ dici ab Augustino *perpetuò manere & gestari ab homine:* quia nimirũ manet in Charactere, in sanctitate,

& consecratione hominis, tanquam in suo effectu: sicut manus dicitur manere in scriptura. Hinc illud in priùs adductis locis: *Sacramenta hærent non minùs quàm corporalis nota.* quod dixit pro Sacramentorum Characteribus, in quibus Sacramēta manent postquam reipsa transierint. Sed huius rei elegātissimum testimonium extat lib. 1. contra Donatist. cap. 1. de vtroque Sacramento Baptismi & Ordinis: *Sacramentum* (inquit) *Baptismi habet qui baptizatur, & Sacramentum dandi Baptismi habet qui ordinatur. nec baptizatus deserens Ecclesiam, amittit Baptismum; nec ordinatus vnquam amittit Sacramētum dandi Baptismi: sed vtrumque in malis permanet.* Et paulò pòst: *Ordinati desertores, redeuntes ad Ecclesiā, non vtique rursus ordinantur; sed aut administrant quod antè administrabant, si id Ecclesiæ vtilitas postulauerit, aut si non administrant, Sacramentum tamē ordinationis suæ semper gerunt, &c.* Manifestè dicit, *Sacramenta manere:* quæ manere vtique non possunt, nisi in aliquo effectu; igitur in Charactere. Ad quod etiam notādum est, nunquam affirmasse Augustinum, reliqua Sacramenta manere: quia effectus eorum non est certò durabilis. Nam alioquin cur non dicimus Sacramentum Eucharistiæ semel susceptum, vel eius sanctitatem manere, nisi quòd nullum habeat effectum necessariò permanentem in anima, sicut ista quæ commemoraui'? Nam gratia quam ea tribuit, quacunque aut perfidia, aut peccato mortali tollitur; eaque sublata, Sacramentum non ampliùs remanere dicitur. Illa igitur sola Sacramenta perpetuò inhærere dicit, quorum aliquis in animo effectus infixus hæret, quocunque se homo deiecerit; & quæ æternum signaculum, sanctificationem, ius atq; potestatē tribuunt, quacunq; hominis peruersitate nō obstante.

Characterem efficere, vt Sacramentum recedente fictione suū operetur effectum, & vt baptizatus sit semper iuris Ecclesiæ.

CAP. XLVII.

Ex hoc Charactere fit, vt Sacramenta illa in quibus confertur (quod tamen quidam, & non improbabiliter, soli tribuunt

tribuunt Charactêri Baptiſmi) operentur effectum ſuum proprium, diu etiam poſtquam ſunt ipſa tranſacta, recipientis ſcilicet fictione ſeu indiſpoſitione correctâ; quod nulla alia Sacramenta videntur facere: aut ſi & alia, certè multò magis iſta. Hinc peccatum actuale vel originale, quod recipienti Baptiſmum in peccato vel infidelitate, non erat remiſſum propter obicem interpoſitum, poſtea quādo pœnitudine ob fictionem ſuam ducitur, in Charactere eiuſdem Sacramenti præteriti remitti poteſt. Ideo Auguſt. lib. 6. cap. 5. de Baptiſmo cōtra Donatiſtas dicit: *Si quis peruerſitate correctâ redierit ad Eccleſiam Catholicam, ſub eodem Baptiſmo quem antè acceperat, peccata dimittentur.* & lib. 1. cap. 12. *Ad remiſſionem peccatorum, redeunti ad vnitatem iam prodeſſe incipit Sacramentum, quod antè acceptū in ſchiſmate prodeſſe non poterat.* Hæc Auguſt. Quo autem modo poſſit Sacramentum vſu conſumptum, & cuius actio atque ceremonia tranſijt, & proinde ſecundùm ſe deſijt eſſe, habere poſtea aliquam operationem, niſi ſecundùm aliquem effectum ſuum in quo remanſit, vix intelligi quidem poteſt: licet ſint, qui id Sacramentis etiam reliquis, quæ Charactêrem non imprimūt, conuenire iudicent. Vtcunque verò id ſit, certè ſtudioſè hîc cauendum eſt ab Hæreticorum fraude, qui ne hunc permanētem effectum quorundam Sacramentorum admitterent, & vt aliud quoque falſum cōtra Pœnitentiæ Sacramentum dogma ſimul ſtruerent, hoc inuenerunt commentum, Baptiſmum ex præcedente pacto Dei facto cum homine tum cum ſuſciperetur Sacramentum, non ſolùm illa peccata remittere quæ antea condonata fuiſſent, niſi homo obſtitiſſet, ſed etiam reliqua omnia poſtea commiſſa abolere, ſine Pœnitentiæ Sacramento, ex ſolâ ſui memoriâ ſubinde animo repetita. Sed de hoc errore non eſt hic locus vt diſputemus; ad Pœnitentiam magis pertinet. Eò autem faciliùs contemnitur, quòd nullo Scripturæ aut Eccleſiæ verbo nitatur; & quòd omnia ſoli fidei, per quā apprehenduntur promiſſiones & pacta, tribuat; nec quicquam vel ipſi Baptiſmo, vel cæteris Sacramentis, aut humanis ſtudijs

Aug.

Hæretici.

& operibus concedat; & maximè propter hoc (quod magis proposito nostro est cōsentaneum) quòd idem quoq; tribuendum esset reliquis Sacramentis quę Characterem non imprimunt, si res ex promissione vel pacto pensanda esset; cùm illa etiam promissionem contineant effectus quodq; sui, vt Hæretici volunt. Tamen nescio, an quisquam eorū tam absurdè erret, vt dicat, Eucharistiam receptam in peccato mortali, postea homini resipiscenti & recordanti fœderis circa effectum eiusdem Sacramenti, tum demum operari suum effectum, quem antè cùm reciperetur, producere propter obicē non potuerat.

Illud quoque ex Charactere manente fit, vt perpetuum acquirat Ecclesia in omnes baptizatos ius: vt propterea neq; Hęretici, neque Apostatæ, cùm deserunt fidem, aut etiam conantur nefandis modis eluere Baptismum (sicut de Iuliano Apostata memoriæ proditum est) possint se ab Ecclesiæ legib⁹ aut pœnis, in libertatē ethnicam vindicare; & multò minùs ij qui in infantia baptizati sunt, possint cùm adoleuerint, pro arbitrio aut retinere hunc Christianæ Catholicæ Religionis statum, in quem aliena opera in infantia sunt inserti, aut eundem (si ita protestentur ac velint) penitus abdicare. Hæc, inquam, ita facere isti non possunt, quia Character cùm certissimum Ecclesiæ ius super quoscunque baptizatos iustissimè acquirat, tùm nullo vnquam tempore deleatur.

Greg. Naz. Or. 1. in Iul.

Vide Conc. Trid. Sess. 7. de Bap. can. 14.

De potestate Authoritatis in Deo, & Excellentiæ in Christo, circa Sacramenta.

CAP. XLVIII.

Restat nunc, vt cùm satis de natura, materia, forma, necessitate, atque effectis Sacramentorū tractauerimus, eam institutionem prosequamur quàm breuissimè, quæ de eorum efficienti causa ab Ecclesia & Theologis celebratur. Est autem efficiens seu operatiua causa in Sacramētis triplex: Principalis, suprema ministerialis, & inferior ministerialis. Principalis est Dominus Deus superbenedicta Trinitas. Summus mi-

mus minister est Christus, vt homo, & sacerdos, atque nouæ Legis lator. Inferior minister est homo Sacraméta vice Christi conficiens aut dispensans. Cui triplici causæ correspondet triplex potestas: Authoritatis, Excellentiæ, ministerij.

Potestas Authoritatis. Potestas auctoritatis in Deo, est propria, natiua, à nullo superiore mutuata potestas; in institutiône, confectione, operatione, dispensatione omnium Sacramétorum, immediatè, propriè, & per se, tam ad ipsa quàm ad effectus eorum producendos concurrens. Et huic primariæ causæ soli, quasi suo iure, suapte natura, atque propria auctoritate à nullo dependente, tribuitur institutio, & fructuosus vsus instrumenti cuiuscunque producentis effectum spiritualem & supernaturalem, cuiusmodi est Sacramentum. Qui enim solus dat gratiam & iustitiam, Deus est, attestante Propheta, Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* & Apostolo Rom. 8. *Deus est qui iustificat.* Psal. 83. Rom. 8. Proinde cùm nemo propria & naturali potentia id faciat præter Deum; sequitur, nullum posse institui instrumentum gratiam conferens & iustificans, nisi à solo Deo. Qui etiam solus naturaliter illabitur in animæ substantiam, & internos effectus gratiæ in ea producit. Atque hæc dicimus, vt omnes sinceram Ecclesiæ Dei confessionem videant: contra Hæreticos calumniátes, quasi hac in parte quod proprium est Solius Dei, alijs tribuamus.

Potestas excellentiæ. Altera potestas, quę est in Christo tanquam in supremo noui Testamenti Ministro, non est sic natiua, sed ministerialis, accepta, data, communicata, dependens à Deo. Sed quia Capitis est, singularis, plena, illimitata, & reliquæ humanæ potestati omni præstans: ideo à Theologis dicitur *Potestas excellentiæ.* quam sæpè Christus ipse, vel instituturus Sacramenta, vel mandans Apostolis circa vsum eorum, solebat cômemorare. Ita sub nomine *missionis*, instituturus Sacramentum Pœnitentiæ, hanc potestatem suam declarauit Ioan. 20. *Sicut misit me viuens Pater, &c.* Io. 20. Ita eandem potestaté suam circa Sacramentû Baptismi expressit Matth. vltimo, dicens: *Data est mihi omnis* Mat. 28.

potestas

Apoc.3. *potestas in cælo & in terra, &c.* Quam potestatem aliàs nomine *clauium*, aliàs aliter Scriptura exprimit.

Excellentiæ quatuor. Hæc autem *Potestas excellentiæ* quatuor rebus continetur maximè, quas soli Christo tribuit Ecclesia. Prima est, vt Sacramenta secundùm naturam humanam instituerit. Secunda, vt suis meritis vim illis omnem comparauerit. Tertia, vt illius nomine conficiantur & dispensentur, quorumcunque id vicario ministerio fiat. Quarta, vt sine Sacramentis, cùm voluerit, possit eandem gratiam dare, quam nunc per illa confert. 1. Quoad primum: patet, institutionem Sacramētorum ad illum pertinuisse, quia est minister noui Testamenti, Legis nouæ, atque Gratiæ; sicut Moyses fuit institutor veteris: vt per quem Deus Reipub. nouum statum condidit, per eundē Sacramenta institueret. 2. Deinde, quòd ipse meruerit, vt sua Sacramenta vim haberent & gratiam producerent: id ex eo ostenditur, quòd Deus nihil concessit homini vnquam, quod ad salutem pertineat, nisi respectu mortis & meritorum Filij sui. *De cuius gratia* (inquit Ioannes Baptista) *nos omnes accepimus*, Ioan.1. &, *per quem nobis omnia pretiosa donauit promissa*, ait Petr⁹ 2.Epist.cap.1. (Ioan.1. 2.Pet.1.) Ex cuius meritis ea ipsa peccata remittuntur, quæ in Sacramentis condonantur. &, cuius pœnis iure satisfactum est Patri, etiam pro illis pœnis peccatorum, quæ nobis per Sacramēta vel in toto, vel in parte relaxantur. vt cùm gratiæ omnes, tùm maximè Sacramentorum, videantur nobis gratis & sine meritis tribui, tamen id quoad nos tantùm & nostra opera intelligendum sit, quæ effectiuè non producunt neque merentur gratiam Sacramentalem. & proinde quoad nos est illud verè gratuitum donum; sed non ita, si Christum respicias. Is enim iustitiæ Dei plenissimè satisfecit, & vt suis Deus gratiam in Sacramentis conferat, pretiosissimo sanguine suo pretium exactum copiosissimè persoluit. Caue ergo putes, quicquam culparum vel pœnarum remitti in vllo Sacramento, pro quo in corpus Christi non est sumpta vindicta: & per consequens, Sacramenta non habent aliam vim, nisi quam Christus commeruit:

meruit: Quod secundum erat in potestate excellentiæ Et hãc rursus Catholicam confessionem notent omnes: contra Hæreticos, dicentes, nos nihil tribuere Christo. Tertium in potestate excellentiæ fuit, vt illius nomine Sacramenta omnia administrentur. quod non id significat, Sacramenta semper cõsecranda esse per eam verborum formam, quæ Christi nomen expressè contineat; cùm potiùs inuocato nomine Trinitatis omnia ferè conficiantur. Sed hoc innuit, illius mandato, instituto, virtute, concursu, potentia, primario ministerio, fide denique nominis eius, à reliquis inferioribus ministris per sibi communicatam facultatem Sacramenta celebrari. In quo sensu dictum est, *non esse aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat saluos fieri*, Act. 4. Propter quam summam Prærogatiuam Christi, nemo vnquam ausus est, illud ipsum Sacramentum quod ministrauit, suum appellare, aut alterius quàm Dei & Christi. *Nunquid* (inquit Paulus) *in nomine Pauli baptizati estis?* &, *Quid est Paulus? Quid Apollo, nisi ministri eius cui credidistis?* Vnde factum est, vt cùm idem Apostolus Euangelium quod prædicauerat, suum esse diceret; Baptisma tamen quod ministrauerat, suum esse dicere nõ auderet, sed eius tantùm de quo Ioannes Baptista dicit: *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*; etiã tunc, quando non ipse suis manibus, sed Discipuli eius baptizabant, Ioan. 3. & 4. Quoad quartum in quo potestas excellentiæ consistit: patet, Christum sine Sacramentis Sacramentorum effectum, id est, remissionem & gratiam contulisse, ex condonata culpa Magdalenæ, solo verbo; & pœna peccati Adulteræ, atque Paralytico. Quam *potestatem Filium hominis habere in terra*, eodem loco Iudæis commonstrat per miraculum. In his ergo sita est summa Christi potestas circa Sacramenta. Quæ omnia dum catholicè confitemur, contemnenda est Hæreticorum siue vanitas, siue cæcitas, qui id totum quod ministris inferioribus aut Sacramentis attribuimus, Christo derogatum clamitant.

3. | Act. 4. | 1. Cor. 3. | 2. Tim. 2. | Ioan. 1. | 4. | Luc. 7. | Io. 8. | Mat. 9.

An Christus suam potestatem Excellentiæ Ministris vel communicauerit, vel communicare potuerit.

CAP. XLIX.

HIc iam à Theologis duo quæruntur. Primum, An Christus hanc summam potestatem suam vlli communicauerit? Cui breuiter respondemus, quòd nulli, ne in vno quouis quidem eorum quatuor quæ explicuimus. Ipse enim voluit solus esse institutor Sacramentorum, sicut Ambros. habet cap. 4. lib. 4. de Sacramentis, & Cyprianus ser. de Baptismo Christi. Idemque Concil. Trident. decreuit sess. 7. can. 1. contra Hæreticos, & aliquos etiam Catholicos, qui asseruerunt, Confirmationem & extremam Vnctionem vel ab Ecclesia, vel ab Apostolis esse institutas, & non immediatè à Christo. Quoad secundum: manifestum etiam est, nullum merũ hominẽ fuisse eius dignitatis, vt posset mereri alteri eã gratiã quæ per Sacramenta datur. Tum quoad tertium: August. apertè cõfirmat nostram sententiã Tract. 5. in Ioan. optimè docẽs, Sacramẽta nullius hominis potestate aut nomine consecrari, nisi Christi. *Potestatem Baptismi* (inquit) *ipse Dominus habiturus erat, & retẽturus sibi, siue præsens in terra, siue absens in cælo, nec Paulo, nec Petro traditurus, nec in aliquem translaturus, ne seruus in seruis spem poneret, & non in Domino.* Hæc ille. Ex quo patet, Christũ in nullo munere habere aliquem successorem, sed ἀπαράβατον τὴν ἱερωσύνην secundum Apostolũ ad Heb. 7. licet Ministros & Vicarios maximarũ functionũ in terra reliquerit. Quoad quartũ deniq; id quoq; perspicuũ est, nullum vnquã mortalium in Ecclesia Dei post Christũ conatũ fuisse absoluere hominẽ à peccatis mortalibus sine Sacramẽto. Quare qui putãt, Paulũ Corinthiũ incœstu commaculatũ 1. Cor. 5. non solùm à pœna, sed etiã à culpa, 2. Cor. 2. extra Sacramentũ absoluisse, nõ temerè sunt sequendi. multo minùs in eo quod etiã asserunt, Ecclesiæ & ministris datam esse potestatem condonandi culpas & pœnas indifferenter, non solùm in Sacramento, sed etiam alio quocunque modo visum fuerit Prælatis. Quæ facultas & amplior

Margin notes: 1. Amb. Cyp. Trid. Con. — 2. — 3. Aug. — Heb. 7. — 4. — 1. Cor. 5. 2. Cor. 2.

plior est, quàm quæ concedenda Ministro inferiori fuerit, & Sacramētorum vim atque necessitatem plurimùm eneruaret.

Altera quæstio maiore difficultate implicata est: scilicet, An Christus saltem potuerit eam potestatem sibi propriam alijs communicasse? D. Thomas & qui eum sequuntur, aiunt eā potuisse concedi, & communicabilem esse quoad omnes partes. Magister Sententiarū lib 4. Distinc. 5. nō determinat, sed litem alteri committit. D. August. loco iam citato, Tract. 5. in 1. cap. Ioan. videtur de duabus partibus potestatis excellētię cōcedere, quod possint cōmunicari; id est, potuisse Christū dare Petro vel Paulo, vt illorum *nomine*, & *institutione* exerceretur Baptismus, eiusdem virtutis, cuius nunc Christi Sacramentum esse creditur. Sed de alijs duabus, videlicet vt ipsi cùm voluissent, *sine Sacramento* & sine sufficienti dispositione, atq; vt *merito suo* gratiā & vim Sacramentalem operarentur, sicut Saluator noster fecit, etiam secundùm quòd homo: Augustinus nunquam dixit. imò planè insinuat, Baptisma, si in nomen & potestatem serui translatum esset, vim tamen omnem consequi debere ex Christo ita transferēte vel cōmunicante suū Sacramentum; & nō ex meritis serui, in cuius nomen & potestatē quoad institutionē fuisset translatū. Et vt intelligas, posse institutionē alicuius Sacramenti concedi alicui, cui tamen nō cōceditur vis meritoria vnde eadem ceremonia operetur effectum, vides apertè in *aqua benedicta*, & alijs ceremonijs remittentibus veniale peccatum, illarum institutionem tribui Prælatis Ecclesiæ; cùm tamen vis satisfactionis vel remissionis pendeat in eadem ceremonia ex meritis Christi, & non hominū instituentium. Quapropter rectè cōcedi posse putamus, tam Sacramentorū institutionē, quā institutorū nomina per Christū in Apostolos aut quosuis alios ministros trāsferri potuisse. Augustinū verò assero nō dixisse (vtcūq; sustineri res ipsa posset) quòd tribui queat ministris, vt remittāt peccata & gratiā conferant solo imperio aut volūtate sine Sacramētis, etiāsi personę non sint indispositę: quod Christi tamē potestati singulari cōueniebat. Sed quod

Thom. Mag. Sent. Aug. 1. 2. 3.

præcipuum est, & in secundo membro potestatis excellentiæ à nobis collocatum, nempe vt exactè & ex cōdigno quis commereatur omnem gratiam, & omnes gradus gloriæ, & condonationem omnis pœnæ atque culpæ, non solùm sibi, sed etiam alteri (quæ ex Sacramentis habentur omnia) puto, vt cū bona venia S. Thomæ dicam, non esse communicabile vlli creaturę, quæ non sit coniuncta tanquam organum Diuinitati; quę non sit caput supremum, quod solum potest pro membris reliquis mereri primam gratiam, ipso Thoma approbante 1.2. Quæst. 114. Artic. 4. Neque enim ea res in caput secundarium vel vicarium magis potest competere, quàm in membrum inferius (cùm reuera caput secundarium, caput nō sit) licet id summus idem Doctor in resp. ad 3^m. Artic. 4. Quæst. 64. parte 3^a. vi cōtrarij argumenti adductus concesserit. In summa ergo, quod Christo conuenit propriè, ratione vnionis, ratione supremi Capitis, ratione vnigenituræ, ratione infiniti suppositi, ratione Redemptionis & satisfactionis generalis atque exactissimæ, ratione denique instrumenti coniuncti; id probabilius defenditur non esse communicabile puro homini: non propter insufficientiam Christi, sed propter ineptitudinem hominis. Sicut creatio non potest communicari creaturæ, non propter impotentiam Dei, sed creaturæ incapacitatem, & rerum repugnantiam.

Quòd ad Sacramenta Minister requiratur, qui & homo sit, & alter ferè à suscipiente, & non quilibet, sed vocatus ac consecratus, saltem si officium ministrandi vendicare voluerit.

CAP. L.

Reliquum iam est, vt breuiter de potestate inferioris Ministri, eiusque in Sacramentorum cōfectione officio, natura, necessitate, dispositione legitima differamus. Et primùm (vt ordine rem prosequamur) pręter causas principaliores de quibus diximus, Ministrum etiàm aliquem requiri,

sinę

fine quo Sacramentum non esset; Imprimis Concil. Florent. per Decretum Eugenij quarti declarauit. Et ratione probatur: quia Sacramenta sunt res inanimatæ, varijs partibus constantes, quæ non possunt inter se applicari, nec nostris vsibus coaptari, nisi per externos & visibiles ministros.

Secundo loco: ita præclarè prouisum est hîc nobis à Deo, vt nec De^9 ipse per semetipsum, nec Angeli, nec inferiores creaturæ; sed homines soli in hoc officio & cōsimilibus, hominum rationibus inseruirent, & Christi hominis vicarij essent. Quod eisdem modis probatur de Ministris Sacramentorum, quibus Paulus Hebr. 5. adductus est, vt diceret, *omnem sacerdotem seu Pontificem ex hominibus assumi, & pro hominibus cōstitui in his quæ sunt ad Deum.* Et D. August. in Præfatione libri de doctrina Christ. summam in eo humanæ naturæ prærogatiuam ac dignitatem annotauit, quòd homo homini in omni officio Religionis & Sacramentorum sub Christo subseruit.

2. Heb. 5. Aug.

Deinde, illud in tam sacris rebus, ad animæ medicinam atq; Dei cultum paratis, committendum non erat, vt quisque sibiipsi indifferenter quælibet Sacramenta ministret; sed ab alijs magis accipiat; & in peccatorum suorum iudicio, atque remediorum vsu, & applicatione, alieno potius quàm suo arbitrio nitatur. Excepto tamen Matrimonio, quod cùm contractum duorum contineat, naturę rei repugnabat, vt alia ratione quàm per verba, voluntatem, & consensum contrahentium fieret; licet alia ad testificandū consensum requiri necessariò possint. Excepto etiam Sacramento Eucharistiæ, cuius tamen dispensatio est separata à consecratione, & quæ Sacramentum est antequam sumitur: cuius propterea ministerij potestas magis est in consecratione, quàm distributione; cùm confecti Sacramenti dispensatio ab alijs fieri possit, & fiat, quàm ab ipsius Sacramenti ministris.

3.

Proximo loco intelligendum est, non tantùm non esse consentaneum, vt sibi quisque Sacramenta hęc applicet; sed etiam à Deo cōstitutum esse, propter decorē domus suæ, & exactum

4.

ordinem in rebus maximè Diuinis seruandū,ne vel promiscuè alter alteri,pro cuiusque voluntate,Sacramenta distribuat,aut conficiat;&,ne id quisquam faciat sine vocatione,ac etiam cōsecratione externa atque visibili. sine qua nulla eruditio,nulla in talibus rebus tractandis prudētia aut dexteritas, nulla etiam sanctitas quicquam valere debeat. Etenim Christus, cùm esset ipsa Dei sapientia, tamen (vt inquit Paulus Hebr.5.) *non clarificauit semetipsum, vt fieret Sacerdos.* quantò minùs miseri homunciones hæc tractare diuina non debemus, *nisi vocati tanquam Aaron?* Sed in hoc articulo aduersarios habemus Hæreticos, qui tantùm opus esse vocatione & electione contendunt, & ex ea ad executionem potestatis (quam dicunt, omnes Christianos habere circa ministerium verbi & Sacramentorum) legitimum ius & auctoritatem prouenire. Sed hæc falsa sententia à Luthero lib. de Captiuit. Babylon. defensa, condemnata est à Concil. Trident. sess.7. cap.10. *Si quis dixerit* (inquit) *omnes Christianos in Sacramentis administrandis habere potestatem, ita vt tantùm opus sit vocatione vel electione, anathema sit.* Estque hic error valde perniciosus, qui & in Ecclesiam magnam disciplinæ perturbationem inuexit. Ortus est autem ex hoc falso fundamento, quòd omnis potestas Clauium seu Sacramentorum, sit primariò posita in communitate,& Ecclesiæ vniuersæ immediatè à Christo communicata, & postea per Ecclesiam certis quibusdam personis quoad executionem mandata: Sicut omnis potestas ciuilis primùm tribuitur Reipub. vt deinde ex ea deriuetur in particulares homines. Vnde cùm dictum est Apostolis, *Baptizate, remittite, soluite, facite,* in varijs Sacramentis; non ipsis tantùm, sed toti Ecclesiæ mandatum esse volunt. Sed omnis hîc antiquitas reclamat: & Paulus ipse 4.Ephes. asserit, *Christum posuisse in Ecclesia quosdam quidem Apostolos, alios Pastores & Doctores,&c.* non dicit, ipsi Ecclesiæ in communi potestatem tam variarum functionum esse tributam. Ex eoque fit, vt non propriè tales dicantur ministri Reipub. sed *Ministri eius cui credidistis*, &, Mi-

Heb.5.

Luther.

Trid.Con.

Eph.4.

1.Cor.3. & 4.

&, *Ministri Christi*; &, *dispensatores Mysteriorum Dei.* quibus tanquam selectis ex cæteris omnibus, immediatè mandata dedit, antequam assumptus est, inquit Lucas Act. 1. Quorum auctoritas licet ad Reipub. bonum ordinata sit, tamen est ipsa personis certis immediatè tributa: cuius rei totius Ecclesia nõ nisi secundariò particeps esse dicitur. Quomodo etiã August. est intelligendus lib. 1. de doctr. Christ. cap. 18. cùm ait: *Christus dedit claues Ecclesiæ, vt quæ solueret in terra, soluta essent & in cælo.* Vult, in commoditatem quidem totius Ecclesiæ hanc potestatem Sacramentorum comparatam esse; non autem cuilibet indifferenter, vel toti communitati Clauium potestatem aut ministerium esse cõcessum. licet olim nonnunquã ad motum testimoniũ, plebis etiam iudicium accesserit: Sed auctoritatem nõ nisi ab Episcopis per ordinationem & manus impositionem acceperunt. Huius verò vocationis atque consecrationis ad varia Sacramenta administranda exempla in Scripturis ipsis extant. Primùm in Apostolis, non solùm electis, & à reliquo populo segregatis, sed etiam Spiritu sancto & potestate donatis in externa ceremonia, ad Pœnitẽtiam, Baptismum, Eucharistiam, & cætera Sacramenta administranda. Postea idẽ obseruatum in deputatione Titi, Timothei, Barnabę, atq; aliorum, 1. Timoth. 5. 2. Timoth. 1. Tit. 1. Act. 14. & 20. & totius deinceps Ecclesiæ vsu in hunc vsque diem confirmatum est.

Act. 1. Aug. 1. Tim. 5. 2. Tim. 1. Tit. 1. Act. 14. 20.

Porrò hæc quæ de potestate & vocatione diximus, in legitimo Ministro ita sunt, cui ex officio incumbit Sacramenta ministrare. De quibus solis ministris Scripturæ loquuntur, vt 2. Cor. 3. *Qui nos idoneos ministros noui Testamenti fecit.* & 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt Ministros Dei, &c.* Nã si quis non ex officio sit minister, sed aut necessitatis, aut voluntarius, carere vocatione & consecratione potest. Contingit autẽ vtrũq; illud extraordinarij ministri gen⁹ solũ in administratione Baptismi. qui cũ à quouis mortaliũ, vel ꝓpter extremã necessitatẽ piè, vel citra necessitatẽ volũtariè, licet illicitè ministratur; tũ vtrobiq; integrũ Sacramẽtũ, nec vllo modo in substãtialib⁹ corrigendũ

2. Cor. 3. 1. Cor. 4.

dispen-

dispensatur. Igitur Sacramenta respectu ministrorum tripliciter se habent. Est vnum, id est, Matrimonium, quod non potest admittere commodè ad substantiam & rationem sui vllum vocatione & officio Ministrum. Est alterum, id est, Baptisma, quod requirit Ministrum ex officio, sed admittit etiam quemcunque hominem. Tertij generis sunt reliqua omnia quinque. quorum nullum omnino Sacramentum est, si nō habeat Ministrum consecratum & deputatum. Vtrumque ergo genus ministrorum est in genere suo legitimum, & nomine *legitimi Ministri* Theologorum vsu & Conciliorum Decretis appellatur. estque iusta in vtroque potestas, licet ex diuersis causis orta. Nam ordinaria potestas oritur ex consecratione & Charactere: Altera verò, vel ex necessitate, vel ex rei subiectæ natura. Nam & summa necessitas Baptismi effecit, vt cuilibet mortalium illius administrandi facultas inesset: Et ratio coniugij requirebat, vt in personis contrahentium Ministerium totum constitueretur. Loquendo ergo propriè ad nostrum institutum de Ministris, eos hîc deinceps Ministros intelligem°, qui legitimam potestatem vndecunque habeant ad materiam & formam tùm personæ, tùm inter se applicandam, siue à consecratione, vt in quinque; siue à necessitate, vt in Baptismo; siue à natura rei, vt in Matrimonio.

Ministrum fungi officio suo interdum cum peccato: Actum autem eius naturaliter quidem tantùm ad externas operationes, instrumentaliter tamen etiam ad internos effectus pertinere, non minùs quàm Sacramenta ipsa.

CAP. LI.

ATQVE hæc de potestate & persona Ministri. Nunc verò quoad ipsum actum ministerij, & exercitium potestatis huius, sciendum est: Primùm, non semper à legitimo ministro legitimè, id est, sine peccato exerceri potestatem suam acceptam in consecratione: vt, si Missam nō ieiunus celebret: licet semper verum Sacramentum cōficiat, si cum intentione faciat,

faciat: excepto Sacramento Pœnitentiæ, quod ab homine habente potestatem neque semper sine peccato, neque semper verè Sacramentum fit: quia præter potestatem quam habet in ordinatione, desideratur ad substantiam Sacramēti huius conficiendam etiam Iurisdictio, quæ non est semper cum potestate coniuncta. Et hoc proprium est huius vnius: cùm reliqua omnia si fiant cum intentione & alijs quibusdam necessarijs, Sacramenta verè semper existant.

Officium autem huius inferioris Ministerij, vel (si mauis) exercitium officij, situm est maximè in rerum externarum ad Sacramenta assumptarum applicatione, & non in aliquo dominio aut proprio iure in Sacramenta vel eorũ effectus. Agit enim Minister actione naturali, non in id quod est spirituale, sed in id quod est corporale. Ita Ambros. distinguens causas ministeriales à principalioribus lib. 3. de Spiritu sancto cap. 19. *Homines* (inquit) *in remissione peccatorum ministerium suum exhibent, non ius potestatis exercent*. Et Chrysost. Hom. 75. in Ioan. eleganter hoc expressit, ita dicens: *In his quæ à Deo donata sunt nobis, neque Angelus, neque Archangelus efficere quicquam potest, sed Sacerdos linguam & manum præbet*. Et sæpè August. Tract. 5. in Ioan. *Potestas est in Christo, ministerium transit in multos*. Hinc illud ad Cor. 1. cap. 3. *Ego plantaui, Apollo rigauit: Sed neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*. Hoc certè innuens, spirituale atque supernaturale Sacramentorum pertinere ad Deum tantum, tanquam ad superiorem causam, cuius solius propria actio naturaliter gratiam producit & remissionem donat. Hoc cùm ita sit, cauendum tamen est diligenter, ne putemus cum Hæreticis, aut cum aliquot etiam Catholicis, propterea Sacerdotes non concurrere cum Deo ad internos Sacramentorum effectus; aut minùs propriè & verè dici, Ministros iustificare, gratiam conferre, & peccata remittere. Cùm dubium esse non queat, quin sit multò illustrius apud omnes Doctores, & clariùs probetur ex ipsis Scripturis, Ministros gratiam & remissionem tribuere, quàm ipsa

Amb. | Chrysost. | Aug. | 1. Cor. 3. | Ministrum etiam conferre gratiã.

Sacramenta; quibus tamen id, solidis argumentis & testimonijs Patrum, priùs à nobis vindicatum & assertum est. Apertè enim Ioan. 20. habetur, quòd ministri remittant peccata, quib' nempe dixit Christus: *Quorum remiseritis peccata, &c.* cùm tamen id de Sacramento Pœnitentiæ non dicatur expressè, sed iusta tantùm ratione colligatur. Cùm constet nimirū hinc, remittere peccata Sacerdotes; ne nimiū illis tribuatur, colligitur quòd tantū in Sacramento remittant. Itē scelus esset dubitare, vtrū sacerdos producat vel faciat Christi corporalē præsentiā in Eucharistia, cùm Christ' id eū facere iubeat; vel, an orādo & inungēdo saluet infirmū; vel, an baptizādo regeneret hominē: cū hęc in Scriptura & Patrib' magis clarè de Ministris, quā de ipsis Sacramētis dicātur. Atq; hinc factū est, vt in Concil. Constātiensi cōtra Vvycleffum, in Florēt. ꝓpter institutionē Græcorū, & in Tridēt. propter Hęreticos huius tēporis, definiatur, Sacramēta omnia perfici & operari suos effect' per Ministros. vnde & meritò deseritur Magister Sentēt. à scholis Catholicis in hoc quòd putauit, Sacerdotē absoluentē nō remittere peccata, sed remissa declarare. vide Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio.

Io. 20.

Concilia.

Chrysost.

Quòd ergo paulò antè diximus, Ministrum habere munus suū in externo opere, aut applicatione partiū Sacramētalium inter se & ad personas, nil aliud voluim', quā illū necesse habere in exercitio sui naturalis operis, loquelę, lotiōis, aut vnctionis, ita à Deo moueri, dirigi, & eleuari supra naturā & modū actionis suę, vt quę operatio eius in seipsa est tantùm externa & corporalis, ea producat per modū instrumēti Dei, nō per sufficientiā actionis suę, gratiā, iustificationē, atq; remissionē. Quod igitur suprà de Sacramētis ōstēdimus, id nunc multò magis de Ministris certa fide credendū est, quòd dū actiones suas externas & naturę suę accōmodatas exercent, internos simul Sacramentorū effect' cōferant. Et hęc doctrina vera atq; Catholica est: eadēq; intelligēda etiā in ministris nō cōsecratis, vt in mulierib' & laicis, dum cōtrahunt Matrimoniū, aut baptizāt. Licet enim illæ personæ virtutē productiuā gratiæ in animis suis perma-

permanentē nō habeāt, sicut Ministri cōsecrati ex Charactere, habēt tamē ad motū & vsum Sacramēti vim trāseuntē ad eundem effectū producendū. Sicut igitur rectè dicim⁹, aquā regenerare & sanctificare hominē, sic etiā Sacerdotē, seu Ministrū aliàs legitimū, & regenerare & sanctificare dicemus. Ita enim Chrysostom⁹ de Sacerdotio lib.3. *Nō solùm*(inquit)*cum nos regenerāt sacerdotes, sed postea etiā condonandorū nobis peccatorū potestatem obtinent.* Et quandocunq; illud negari in Scripturis vel Theologis videtur, id tantū dici cōstat, homines ꝓpria virtute & naturali causalitate nō posse iustitiā gratiamq; cōferre. vt cū dicitur ad Rom.8. *Deus est qui iustificat.* & Mar.2. à Scribis: *nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus.* Et ab August. lib.3. cōtra Cresconiū ca.11. *Si minister*(inquit)*iustificat impiū, consequēs est, vt credamus in eū.* & paulò pòst: *Si minister nō audet dicere, Crede in me, neq; audeat dicere, iustificaris à me.* Hæc(inquā) omnia, & similia ita intelliguntur, Ministros nō esse naturales & principales causas gratiæ aut sanctificationis; neq; posse sibi quicquā arrogare, quasi illa actio Sacerdotis humana, naturalis, externa posset natiua virtute attingere & ꝓducere talē effectū. Idemq; admonuissent Theologi etiā de ipsa aqua, & alijs Sacramētorū elemētis, si in illis quoq; fuisset simile periculum nimię elationis. Quę cū nō minùs concurrāt ad gratiā & sanctificationem, quàm Ministri; tamē id planū est, nihil eis tribui tale posse, vnde de naturali sua actione sublimiùs efferantur. Quapropter in vtroq; genere si addatur, vel etiā intelligatur *ministerialiter, instrumentaliter*, nō erit periculū falsæ sentētię, siue dicas hominē iustificare, siue Sacramentum. Ita enim ex arte loquēs D. Tho. Quęst.6. Art.1. tertię Partis(sicut ex Corpore articuli in cōclusione colligitur) dicit: *Quāquā De⁹ solus ad interiorē effectū Sacramenti operetur, ministerialiter tamen homo ad idē operari potest.* Vbi hic Doctor illud ꝙ est Dei, appellat *interiùs operari*, & distinguit ab eo quod est Ministri, qui ad eundē effectū cōcurrit omnino, sed nō operādo interiùs naturaliter, sed per modū instrumēti. Quā tamē conclusionē ita ex D. Thoma conceptam nō planè

Chrysost. Rom.8. Mar.2. Aug. Thom.

approbo, licet de eius sano sensu nō dubito: cùm illud Catholicè dici queat, Ministrum etiam interiùs operari gratiam, cùm ad totam operationem & productionem gratiæ Minister indubiè concurrat. Neque enim pars iustificationis Deo, pars homini est attribuenda; sed totum opus Ministro, & totum principali causæ, licet naturali actione homo tantùm agat externè, Deus verò internè. Et hoc voluit Thomas: licet vt hîc, sic postea in Responsione ad Primum subueritus sit dicere, *Diaconos purgare, & Sacerdotes illuminare*; & propterea parauerit aliud non necessarium responsum ad locum D. Dionysij ibi in obiectione citatum. Sed optimè August. tractans illud Leuitic. 20. & 25. *Ego sanctifico eum*, in lib. Quæst. super Leuitic. Quæst. 84. *Aduertendum est* (inquit) *quoties dicit, Ego Dominus qui sanctifico eum, loqui de Sacerdote. cùm hoc etiam Moysi dixerit, Et sanctificabis eum. Quomodo ergo & Moyses sanctificat, & Dominus? Non enim Moyses pro Domino; sed Moyses visibilibus Sacramentis per ministerium suum, Dominus autem inuisibili gratia per Spiritum suum.* Hæc ille.

Aug.

Et ad plerasque diluendas quæ cōtra hanc veritatem fiunt, obiectiones valet, quod in Scriptura & Patribus obseruauimus, effectum aliquem attribui solere principalibus causis, cum termino exclusiuo *tantùm vel solùm*, aut etiā cum expressa negatione Ministri, instrumenti, vel secundariæ causæ cuiuscunque. Vt cùm dicitur Rom. 9. *Non est volentis neque currētis, sed miserentis Dei.* & 1. Cor. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum.* & Marci. 13. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Sanctus qui loquitur in vobis.* atque huius generis infinita alia. In quibus propter excellentiam causæ principalis in operatione, & quia secundariæ non habent vim nisi ex ipsis principalibus, totus effectus cum quadam imminutione vel exclusione secundariæ causæ, principali assignatur. Quo modo verè dicere possit & Catholicè sacerdos quispiam absoluens hominē in Sacramento, *Ego non remisi huic peccata sua, sed Deus.* Quibus verbis non excluditur tamē ministerialis operatio Sacerdotis, sed insinuatur,

Rom. 9
1. Cor. 15.
Mar. 13.

tur, eam virtutem non haberi nisi ex principali agente. vnde Petrus cùm sanasset ipse claudum Act. 3. dixit tamen populo: *Nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare? Deus Filium suum Iesum suscitauit à mortuis. & in fide nominis eius, confirmauit hunc nomen eius, &c.* Contrà verò nunquam potes attribuere aliquem effectum causæ secundariæ aut instrumentali, cum termino exclusiuo principalis causæ. quod August. in Enchirid. cap. 32. annotauit, vbi dici piè non posse asserit, *Non est miserentis Dei, sed volentis hominis.* Sicut & illa vox cōtineret apertam blasphemiam, *non est Christus, sed Sacerdos, qui conficit aut consecrat Sacramēta; Non est Deus, sed Confessarius, qui remittit peccata: Non est Spiritus, sed aqua quæ regenerat, &c.* Ergo si causam causæ comparemus, instrumentalis nihil est. Ita enim Apostolus 1. Cor. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Sed si effectum consideremus, is quidem totus tribuitur & principali, & instrumentali ac ministeriali causę. Ita Deus, Moyses, oleū simul sanctificabāt Aaronem: Aqua, Verbum, Spiritus, Sacerdos simul regenerant hominem.

Act. 3.

Aug.

1. Cor. 3.

Hoc tamen postremo loco notandum est, Ministros Sacramentorum non tam propriè & aptè dici, instrumenta gratiæ producendæ, quàm instrumenta Sacramenti cōsecrandi; esseq; *ordine naturæ* propiùs & immediatiùs producens gratiam Sacramentum, quàm Ministrum, licet eodem momento temporis effectus ab vtroque producatur. Minister enim est instrumentum Dei, quoad consecrationem Sacramenti; & ex consequenti tantùm, ad productionem gratiæ. Quod videre licet maximè in illo Sacramento vnico Eucharistiæ, cuius cùm existentia differat ab vsu, alium sæpè habet dispensationis, quàm consecrationis, Ministrum. De quo dispēsationis Ministro certum est quòd non omnino concurrat ad effectum Sacramēti; licet alter, in eo quòd confecit Sacramentum continēs ipsam gratiam, mediatè concurrere videatur ad omnem futurum effectum Sacramenti, quādocunq; veniet in vsum. Et propterea

effectus Sacramentorum aliorum,quorum cõsectio & vsus nõ separantur,immediatè videtur tribui ipsis Ministris, cùm tamẽ ministris & ipsi nisi in Sacramentis & per Sacramẽta nõ competant. Ideoque sic exponi debẽt & solent propositiones hæ: *Ego te absolue*, hoc est, Ego tibi Sacramentum absolutionis vel remissionis impendo. *Ego te baptizo*, id est, Sacramentum ablutionis talem habens ex sua natura effectum confero. Quæ intelligentia expeditè tollit illam difficultatem,quę aliàs esset de veritate harum propositionum,& similium,tum cùm vel non est dignus, vel non indiget absolutione is qui Sacramentum recipit,propter remissum antè peccatum. Et hactenus quomodo Ministri concurrant ad effectus Sacramẽtorum,hoc est, ad gratiam producendam,diximus.

De triplici genere qualitatum, quæ circa actum Ministri considerari possunt.

CAP. LII.

IAm verò vt intelligatur,quę in Ministro circa particularem executionem officij sui requirantur, breuiter obseruandum est,tria inueniri genera qualitatum in Ministro, quemadmodum & in omni alio instrumẽto. Quędam sunt omnino necessariæ ad opus,sine quibus instrumẽtum vim exercere aut vsum habere non potest: vt (verbi gratia) quòd serra sit dentata, aut ferrea. Quędam sunt ad vsum alicuius instrumenti planè accidentarię,vt serram esse inauratam,calamum esse pictum vel album. Aliæ autem sunt mediæ qualitates,nõ necessariò requisitę,sed solùm ad commodiùs operãdum: vt quòd serra sit acuta, calamus bene sectus & ex arte cõfectus. Similiter in Ministro, dum exequitur officiũ suũ,qualitates triplices considerari possunt. Nam quędã sunt adeò necessariæ,vt sine his omnino non cõsecraret aut cõficeret;vt si careat intẽtione. Nõ loquor nũc de defectu materię aut formę: nam illa sunt requisita ex parte Sacramenti. Neque loquor de defectu potestatis: nam illa requiritur,vt constituatur legitimus Minister. Sed de necessaria quali-

qualitate ad ipsũm actũ, quẽ exercet is qui iã habetur pro legitimo Ministro. In hoc genere ergo sola est necessaria intẽtio. Accidẽtariæ autẽ sunt statura, natio, pulchritudo, sanitas, ætas, &c De quibus propterea nihil pręcipiendũ est. Medij generis sunt illę qualitates, quæ requirũtur quidẽ ad exercitiũ officij vt cõmodiùs & digniùs fiat, sine quib⁹ in ministerio sæpè peccatur, & effect⁹ etiã aliquãdo excluditur à recipiẽtibus; sed tamẽ nõ ita sũt necessarię, quin sine ipsis Sacramẽta verè cõficiantur. In hoc ordine sunt sanctitas, fides, Ecclesiastica vnitas, reuerẽtia, deuotio, & hui⁹ generis alia; de quib⁹ posteriùs differemus.

An Intentio necessaria sit ad actum Sacramenti; &, qualis demum intentio.

CAP. LIII.

DE prima ergo & omnino necessaria qualitate siue circũstantia, Eugenius quartus in Concil. Florent. ita statuit: *Persona Ministri cõferentis Sacramentũ cũ intentione si desit, nõ perficitur omnino Sacramentũ.* Et Trident. Concil. sess. 7. ca. 11. *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramẽta cõficiunt & cõferunt, nõ requiri intentionẽ, &c. anathema sit.* Necessitas autẽ huius qualitatis facilè constituitur ex differẽtia inter merũ instrumentum inanime, & ministrũ. Minister enim, licet in hoc ꝙ depẽdet ex imperio & directiõe superioris, habeat rationẽ instrumẽti, tamẽ quia adhibet etiã suũ propositũ & cõsensũm, cũ sit viuẽs & intelligẽs, habere debet aliqd singulare in actionib⁹ suis pręter ea quę in instrumentis inanimatis reperiuntur. Pręterea voluit Christ⁹ actionẽ Sacramentalẽ esse humanã, id est, iudicio susceptã ac deliberatã, & nõ temerariam, fortuitam, aut coactam. Ergo debebat esse secũdum propositum & intentionẽ. Quod passim ex verbis Saluatoris perspicitur, quòd præcipiat Ministris circa actiones Sacramentorum, cùm ait: *Ite, baptizate facite in mei memoriam, &c.* Pręcepta enim nõ dãtur, nisi his qui ex intẽtione aut proposito agũt. Neq; enim mãdata dedit Sacramẽtis, aut aquę, aut pani, sed Ministris qui sũt capaces pręcepti, possunt

Eugen. Pp.

Trid. Con.

possuntque agere ex vi, intentione, ac directione talis mandati. Quæ intentio nihil aliud est, quàm actus voluntatis mouentis se in aliquem finem. Ratio autem cur Christus huiusmodi operationem ex proposito & intentione requirat, est vel reuerentia tantarum actionum, quę decenter fieri non poterant, si solis inanimatis instrumentis perficerentur; vel etiam (quod solidius existimatur) vt illud Sacramenti opus externum, quod per se indifferens est ad plures vsus & effectus, determinetur per intentionem agentis ad vnum illum spiritualem effectum ad quem Deus instituit. Quemadmodum lotio quæ in Baptismo fit, indifferens est ex se ad mundiciem corporis, ad refrigerationem, ad sanitatem, aut aliquid aliud simile procurandum. Sed per intentionem Ministri ab illa communitate contrahitur & determinatur ad Sacramentum constituendum. Nam licet ipsa verba magis determinent, quàm materia aut externus actus Sacramenti; tamen nec ea quidem ex vi significationis suæ omnimodam continent certitudinem, nisi ad illum peculiarem Religionis actum intentione Ministri specialiùs referantur. Est ergo intentio Ministri (vt planè dicamus) illud medium, per quod Minister mouetur à Christo ad opus Sacramentale, & effectum superioris agentis producendũ. Quoties ergo agit Minister ex hac intentione, toties mouetur à Deo, quasi instrumentum ad opus. Qui caret hac intentione, licet actum externum faciat, tamen non est instrumentũ Dei, quia caret medio quo applicetur virtus Dei ad actionẽ secundariæ causæ. Quæstio autem fuit nulla in primitiua Ecclesia de hac intentione Ministri; vel si fuit, erat coniuncta quæstioni de fide circa ministerium Sacramentorum. & ideo eius (quod ad hoc institutum attinet) rarior existit mentio. Augustinus tamen Epist. 23. in hac significatione verbo ipso vtitur; quem locum postea commodiùs citabimus. Et Patres nonnunquam (nisi ego multùm fallor) vtuntur verbo *fidei* pro intentione operandi ex institutione & mandato Christi. vt Cyprianus sermone de Cœna Domini: *Ex quo* (inquit) *à Domino dictum est, hæc est*

Aug.

Cyp.

hac est Caro mea, & hic est Sanguis meus, quotiescunque his verbis & hac fide actum est, simul & medicamentum & holocaustum fit. &c. Et August. lib. 7. contra Donatistas cap. 53. eodem modo videtur vti verbo *fidei.* cuius contrarium appellat ibi *fallacem & simulatam operationem in Sacramentis.*

Aug.

Est autem Intentio triplex: habitualis, virtualis, & actualis. Habitualis nihil aliud est, quàm voluntas perpetuò existens in homine, per quam disponitur ad ministrandum aliquod Sacramentum cùm datur occasio. Et hæc est etiam in dormiente; & vna atque indifferens ad omnia Sacramēta; neque est aliquod medium actu mouēs hominem ad opus peculiare alicuius Sacramenti. Virtualem autem appellamus eam, quæ est in Ministro, dum mens eius vagatur eo tempore quo exercet Sacramentalem operationem. Et dicitur virtualis, quia oritur & valet ex vi ac virtute præcedentis intentionis circa actum particularem, qui erat antè intentus, licet in ipso momento executionis Minister animū non applicet. Actualis est præsens mentis applicatio, & animi attentio ad propositum opus. Habitualis ergo non est sufficiens, quia est nimis generalis. Actualis nō est necessaria, quia vix est in hominis potestate, habere animum semper attentum. Itaque virtualis sufficit, & ea saltem semper est necessaria, tamen melior esset attentio actualis. Sed cur, & quæ intentio requiratur, hactenus.

Intentio triplex.

Quid sit, quod intendere debeat Minister.
CAP. LIIII.

NVNC videndum est, circa quam rem hæc intentio versetur, & quid intendere debeat Minister, quodúe sit obiectum intentionis. Id exprimunt omnes penè Scholastici, & duo sacra Concilia, Florentinum & Tridentinum, his verbis: quòd *debeat intendere seu velle id facere, quod intendit Ecclesia facere.* Sed quia ista sententia, licet intentionem valdè implicitam & confusam tantùm requirat, non est omnibus satis facilis; Et quia multi nō intelligunt; & errant perniciosè multi

Flor. & Trid.

in re omnium grauiſſima; cùm ego ipſe nouerim qui propter hanc ſententiam rebaptizarent poſt Caluiniſtam, quia illis nõ videbatur habuiſſe intentionem Eccleſiæ, quam ita interpretantur imperiti, ac ſi requiratur ſana fides, ſaltem circa propoſitam rem, vel circa Sacramentum quod miniſtratur: propter has, inquam, cauſas ſententia Conciliorũ eſt diligentiùs explicanda. Quod vt accuratiùs & clariùs faciamus, ſtatuim⁹ aliquot Concluſiones. Quarum prima eſt, quòd intentio legitima debeat neceſſariò eſſe circa ipſum externũ actum Sacramẽti. quẽ qui nõ vellet ex propoſito, nihil faceret, quia nõ eſſet act⁹ humanus. Ac per hoc excludũtur omnes actiones circa Sacramẽta prorſus nõ intentæ, ſeu nõ volitæ. cuiuſmodi ſunt hominum dormientiũ, ebriorũ, phreneticorũ, & eorũ qui coactione & vi externa, vel vſu, vel caſu aliquo inopinato proferrẽt Sacramentorũ verba ſuper legitimã materiã, aliter quã vellent & intenderent ipſi. Secunda Concluſio eſt, quòd hæc intentio debet vlteriùs ferri, quã ad ipſum externũ actũ. Nam alioquin eſſet ſatis, ſi intẽderetur humana & naturalis lotio, vel ad munditiem, vel ad ſanitatẽ corporis, in Baptiſmo. Imò verò cũ irriſoriè, mimicè, & iaculariter actio tota fit, tamẽ op⁹ externũ eſt intentũ, cùm tamẽ ibi nihil Sacramẽtale cõficiatur, licet olim Auguſtinus lib. 7. de Baptiſmo cap. 53. dubitaret, an in actione ludicra verũ fiat Sacramẽtum. Igitur aliud eſſe debet in intentione, quã ipſe actus externus; vel aliquis effectus naturalis aut moralis, procedens ex tali actione. Tertia Concluſio: Actus ipſe Sacramẽti præcipuè & primariò intẽditur, & non finis ſeu effect⁹ cõſequens talẽ actũ. Ratio eſt, quia Miniſter immediatè agit ad conficiendũ Sacramentũ, & ſecũdariò ad producẽdum effectũ Sacramẽti. Verũtamen dum ipſe actus fit, nõ ſolũ ſubſtantia actus, ſed modus, qualitas, & reſpectus cõſiderari debẽt. Vt nimirũ op⁹ fiat, vel quia Chriſt⁹ inſtituit tale, vel quia Apoſtoli vſi ſunt tali, vel quia Eccleſia exercet tale, vel quia Epiſcopi aut ſacerdotes paſſim vſurpant tale, vel quia eſt Ceremonia Chriſtianorũ & ritus à multis frequẽtatus. In quibus omnibus modus

modus tantùm determinans actum ostenditur. Non enim aliquid commemoratur de virtute, fine, aut effectu eiusdẽ Ceremonię. Imò nec requiritur, vt aliquid veri credatur, vel etiã cõcipiatur, qui vir aut Deus sit Christus, aut qui sint legitimi Ministri, aut qui veri Episcopi, aut quę vera Ecclesia, aut aliquid simile. Sed satis est, si actus per intentionẽ Ministri separetur à naturali vsu vel morali, & determinetur ad ceremoniale vel spirituale, vel ad signũ in populo Dei. Et talis intentio dicitur à multis generalis, indeterminata, atque confusa. De qua re lege (si placet) sententiam Alexandri Halensis Parte 4. quæst. 13.

Quòd generalis intẽtio sufficiat.

Athan. puer.

Et quòd ista generalis intẽtio sufficiat, illud est illustre testimoniũ quod scribitur à Nicephoro lib. 3. cap. vltimo, & lib. 8. cap. 44. de Athanasio puero baptizante aliquot æquales suos, ad imitationem Episcopi Alexandrini; qui tamen aliã per ætatem habere non potuit sententiã de tam diuina re, quàm quod interrogatus, quo animo & cur fecerit, respõdit, se ad imitationem Episcopi id fecisse. cũ tamẽ nec de Ecclesiæ, nec de Christi, nec Episcopi in hac re potestate vllum sensum habuerit.

Quid si intentio particularis contrarietur generali.

Sed hîc dixerit quispiã, ꝙ in eiusmodi exẽplis non difficulter nobis cõsenserit, licet intẽtio circa actionẽ Sacramẽtalẽ sit ibi valde cõfusa & indistincta, vtpote quę terminetur ad Ecclesiã, Christũ, vel Episcopũ quicũq; sit: Sed illic esse multò graui' dubiũ, vbi cũ hac generali intẽtione reperitur planè cõtraria intẽtio particularis. Nã in baptista Caluiniano duę existũt intẽtiones, sibi inuicẽ planè repugnãtes: Altera generalis, vera; altera specialis, falsa. Nã generalẽ verã habet in hoc ꝙ intẽdit facere, quòd facit Ecclesia Catholica. sed specialis falsa est, ꝙ velit facere nõ id quod Romana, sed quod facit Ecclesia Geneuẽsis, q̃ secundũ errorẽ suũ Catholicã esse putat. Quare si intẽtio facit aliqd ad Baptismi rectitudinẽ, cur non ista determinata falsa, ad q̃ potiùs actiões istius exigũtur q̃ ad generalẽ verã, faceret Baptismũ Caluini nullũ? Respõdeo, ꝙ intẽtio intẽtioni repugnat, vel formaliter, vel materialiter. Formaliter contrariantur istę, *Ego intẽdo quod intẽdit Ecclesia, ego nõ intẽdo quod intẽdit Ecclesia.*

 Et si ta-

Et si talis esset repugnantia, tunc impediretur Baptismus. Materialiter autem repugnant istæ, *Intendo facere quod facit Ecclesia, & non intendo facere quod facit Ecclesia Romana, sed quod Geneuensis.* Et hæc intentio non est alteri generali planè per se & formaliter contraria, sed tantùm ex accidente, quia contingit vt Minister putet illam esse veram Ecclesiam quæ nō est. Qui error est propriè in re subiecta particulari, & nō circa modum actionis seu institutionis, ex qua generalis intentio procedit: ideoque veritatem Sacramentorum non destruit. Semper enim in syllogismis practicis & moralibus, cùm prima propositio comprehendat generalem intentionem veram, & assumptum particularem falsam; tamen conclusio actionem continens sequitur ex vi generalis. Sit exemplum: Volo, inquit Caiphas, vt seductor omnis damnetur ad mortem: sed Christus est seductor: ergo condemnetur ad mortem. Vbi clarè videmus, quòd instituatur ista actio occisionis ex generali regula, seu intentione recta de occidendo seductore; Quæ ipsa ex se, licet assumptum sit falsum & materialiter contrarium priori, rem tamen illam, hoc est, Christi mortem adducit: non vt opus sit bonum vel malum, sed vt in genere suo existat. Ita cùm Caluinista dicit: Faciendum est hoc quod intendit Ecclesia: Sed Geneuensis est Ecclesia, & non Romana, ergo faciam quod facit Geneuensis Ecclesia: Hîc indubiè Conclusio seu res facta surgit ex virtute maioris veræ, & non minoris falsæ. Vnde sequitur, generalem intētionem esse illam quæ requiritur ad actum Sacramenti, & particularem materialiter contrariam non posse impedire effectum. Idque magis est perspicuum ex eo, quòd particularis intentio in natura sua non sit omnino absoluta, sed conditionalis, & ex hypothesi rem concludens seu actionem instituens; Et quòd defectum patiatur: ita vt absolutus actus (cuiusmodi debet esse Sacramentalis) ex ea sequi non possit: sed tantùm ex stata & generaliter concepta intentione, quæ nunquam deficit, nec impedire actum potest. exemplum est in iuramento & voto; quæ semper secundùm communē conceptio-

ceptionem obligant, licet iurans aut vouens (ſicut de Arrio ſcriptum eſt) aliud ſingulariter in ſua mente concipiat. Soc. lib. 1. cap. 25.

Et quòd hæc intentio particularis falſa, ſeu de fructu & fine, ſeu de natura & veritate Sacramenti, non poſſit impedire integritatem actionis Sacramentalis, ſolet etiam adferri teſtimonium Auguſtini ex 23 Epiſt. ad Bonifac. quem ita alloquitur: Aug. *Nec illud te moueat, quòd quidam non ea fide ad Baptiſmum ſuſcipiendum paruulos ferant, vt gratia ſpiritali ad vitam regenerentur æternam; ſed quòd eos putent, hoc remedio temporalem vel recipere, vel retinere ſanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos neceſſaria nihilominus miniſteria.* Hæc ille. Qui tamen locus nō eſt multùm vrgēdus, cùm reuera non agat de Miniſtris Baptiſmi, aut illorum intentione, ſed de ſuſceptoribus ſeu offerentibus ad Sacramentum, & eorum propoſito atque intentione ſeu vera, ſeu falſa. Sed hæc concluſio noſtra multò confirmatur certiùs ex his Auguſt. locis, vbi docet Concilium plenarium, id eſt, Nicenum (aliud enim plenarium ante Auguſt. tempora non extitit) definiuiſſe, Baptiſmum Hæreticorum eſſe verum & legitimum, ſolis Cataphrygis & Paulianiſtis exceptis, qui formam Baptiſmi *non ſeruarunt.* Vbi non excipiuntur illi *qui errabant* circa ipſum Sacramentum, eiuſque formam, aut effectum: cuiuſmodi erant Arriani, Sabelliani, & conſimiles; qui de Trinitate, in cuius nomine perficiebatur Baptiſmus, perniciosè ſentiebant. Quòd ſi enim error circa Sacramentum non obeſt, nec obeſt particularis intentio falſa, quia ſemper venit de tali errore. Vide D. Auguſt. lib. de Hæreſibus, hæreſ. 44. & contra Epiſt. Parmen. lib. 2. cap. 13. & lib. 1. contra Donatiſt. cap. 17. & lib. 2. eiuſdem operis cap. 3. & aliàs ſæpiſſimè.

Ad obiectiones, quæ contra supradictæ intentionis vel sufficientiam, vel necessitatem fiunt.

CAP. LV.

Athan.

SED obijcitur ediuersò ex D. Athanasio, quòd falsa fides circa ipsum Sacramentũ, quę (vt iam dixi) generat falsam intentionẽ particularẽ, reddat Sacramentũ illegitimũ. Ita videtur dicere serm.3. cõtra Arrianos, in hęc verba: *Nõ enim qui simpliciter ait, Domine, is donat legitimũ Baptismũ; sed qui nomẽ exprimit, & fidẽ rectã habet. Et propterea Saluator iussit docere baptizandos, vt ex doctrina vera fides oriretur; & cũ fide, Baptismatis integra initiatio perficeretur, &c.* Respondetur, fuisse quosdam Arrianos eò impietatis prolapsos, vt secundùm falsam fidẽ vel immutarẽt, vel perniciosè corrumperẽt ipsam formã Sacramẽti, sicut idẽ eodẽ loco insinuat, dicẽs, *eos in Factore & in factura, in Creatore & in creatura, & nõ in Patre & Filio baptizasse.* quemadmodũ si Caluinistæ aliquid nunc adiungerent ipsi formę cõsecrationis, vt explicarẽt suã hæresim: Ex quo dubiũ esse nõ posset, quin nullũ esset Sacramentũ. vt si dicerẽt: *hoc est enim τροπικῶς corpus meum.* Vel si isti, quos sanctissimus vir reprehẽdit, nõ corruperũt formã verborũ; dicendũ est, negari ab eo illud Sacramentũ integrũ, legitimũ, & verũ fuisse, nõ quia deesset vera ratio aut substantia Sacramẽti, sed quia impurè & peruersa fide ministrantibus vel suscipientibus, Sacramentũ salutare esse nõ posset, sed perniciosum potius. In quo sensu statim subiungit, *Arrianos possidere inutilem aquam, numine & religione destitutam: adeo vt qui ea aspergerentur, sordescere praua religione potiùs quàm redimi videantur.* Vbi sermo est indubiè de virtute & effectu Sacramenti, & non de substantia Baptismi. Quo modo etiã exponendus est Ambrosius cap.4. lib. de his qui Mysterijs initiãtur (& allegatur à Gratiano 2. parte Decret. causa 1. quęst. 1. cap. *Non sanat*) Et D. Leo primus Epist. 77. ad Nicetã. Ex quibus locis grauiter lapsi sunt nõnulli, dum discrimen nõ ponũt inter effectũ Sacramẽti & substantiã, existimantes tum Sacramentum nõ esse, quando vtile & salutare suscipientibus nõ est.

Amb.

Leo.

Iam

Iam quòd intentio non videatur necessaria ad Sacramenti integritatem, hoc argumento moueri quispiam possit: quia intentio est qualitas menti hominis inclusa, atque omnibus alijs occulta; & proinde cùm nunquã certum esse queat, quòd ea sit adhibita, semper ingeneraretur dubitatio suscipientiũ animis, An essent verè baptizati, verè confirmati, verè absoluti, &c. & est argumentũ secundũ Artic. 8. Quęst. 64. tertiæ Partis, apud D. Thomam. Responsio autem sanctissimi viri est multiplex, & nõ placet. Partim enim dicit, intentionẽ internã requiri in Ministro; sed eius defectũ (si quando accidat) in pueris quidẽ suppleri per Christũ, in adultis verò suppleri per fidẽ & deuotionẽ propriam. Sed hoc nec ipse valde probat. Et proinde meliùs ita responderi iudicat: Ministrum nimirũ agere in persona Ecclesiæ, & in verbis quæ profert exprimere intentionem Ecclesię, quæ sufficit ad perfectionẽ Sacramẽti, nisi contrarium exteriùs exprimatur, ex parte vel Ministri, vel recipientis Sacramẽtum. Ita ille. Ex quibus (vt ingenuè fatear) ego non video, D. Thomam aliud dicere, quàm intentionem mentis internam nõ requiri, modò in verbis externis exprimatur intentio Ecclesiæ: licet studiosè versent omnia Caietanus & Dominicus à Soto, vt eũ ab hac sententia liberent: quod & ego quoq; velim. cùm tamen Adrianus Pontifex super 4. Quęst. 3. de Baptismo eam non dubitet illi adscribere. Quicquid sit, verba sunt plena suspicionis; licet planè iudicem ex alijs locis, eum non fuisse in ea sententia, quicquid hîc eius verba sonent. Nobis igitur tantùm cauendum est ab eo sensu communi, quem ipsa verba prima facie præ se ferunt: sicut & ab illo quod dicitur in priori parte responsionis de paruulis, quòd Deus suppleat defectum intentionis, si qui contingat circa illorum Baptismum. hoc enim nullo modo est concedendũ. Nam si id admitterem, tum certè nõ minùs suppleret defectũ ipsius Sacramẽti, quãdo aut materia, aut forma, aut Minister non habetur. quod est necessitati huius Sacramẽti, & sanitati fidei omnino repugnans. Igitur dicendũ est ad argumentũ priùs allatũ, quòd nõ requiratur

certi-

certitudo aliqua fidei in particulari, siue circa Sacramenta administrata, siue circa salutem nostram. Non est enim mihi aut cuiquam alteri articulus fidei, quòd simus baptizati, aut quòd hic panis sit consecratus, aut hic homo ordinatus, aut ille absolutus: sed in his omnibus rebus certitudo humana, probabilis, & moralis (qualis esse solet in actionibus humanis) satis est. Neque requirit spes nostra maiorem certioremúe cognitionem intentionis Ministri, quàm dispositionis nostræ; in qua (vt constat) potest esse defectus & error.

Sed de intentione, quam in Ministris requirit Ecclesia Dei ad integritatem Sacramenti; & quid sit illud, *intendere facere quod facit Ecclesia*, hactenus explicuimus. Vbi futilem calumniam Hæreticorum non moramur, qui traducunt Concil. Trident. quòd anathema dixerit ijs qui non profitentur, in Ministris eam saltem intentionem requiri, vt id proponant facere quod facit Ecclesia. Volunt enim isti, sacrum Concilium illis verbis approbare errorem vulgi de particulari intentione circa fructum & vsum Sacramenti, & de vera fide: quasi *intentio faciendi quod facit Ecclesia* vniuersam de Sacramento administrato fidem complectatur. quod antè satis confutauimus.

Hæretici.

Quòd fides Ministri non requiratur ad Sacramenta.

CAP. LVI.

Nvnc igitur *de fide, & sanctitate* videamus, sintne in Ministro affectiones necessariæ ad actionem Sacramentalem integrè producendam. Et de vtraque virtute Ecclesia Dei negat; fidem asserens non esse necessariam, contra Donatistas; nec vitæ probitatem necessariò requiri, contra Pauperes de Lugduno, Hussum, & Vvycleffum. Contra primos, qui fidem iudicarunt esse necessariam, nec posse Hæreticos quicquam facere in administratione Sacramentorum, & maximè Baptismi, D. Augustinus scripsit supra 25. libros. Nam illis temporibus peperit res ista immane schisma; cùm

Aug.

error

error primùm incœptus esset à Catholicis, Agrippino & Cypriano, sanctis Episcopis; suffultusque aliquot Numidiæ & Africæ prouincialibus Concilijs. Quibus Augustinus verbatim pulcherrimè respondet lib.3. de Baptismo, tam modestè satisfaciens rationibus Sancti Cypriani & suorum, vt & illius personam atque mentem non obstinatè errantem mirum in modum colat; & errorem etiã ipsum, ne illi imputetur in peccatum, sæpè eleuet. Quod idem facit Diuus quoque Basilius in Epistola 1. ad Amphil. vbi vidit, Cyprianum & Firmilianum, quos honoris causa suos appellat, non negasse potestatem Hæreticorum omnium circa Sacramenta, sed eorum tantùm qui non essent ordinati, cùm in schismate inueterato sacerdotes ferè non fiant. Qui tamen & ipse error in Baptismo foret (sed leuior) nisi fortè ex officio baptizare non posse tales intelligas.

Basil.

Sed vt in re longissima breuiter multa dicamus, capita tantùm aliquot argumẽtorum D. Augustini indicabimus. Et primùm probat suam sententiam de agnoscendis Sacramentis in Hæresi administratis, antiquitate consuetudinis Ecclesiasticæ atque Apostolicæ traditionis, lib.2. de Baptismo cap.7. *Quam* (inquit) *consuetudinem tota Ecclesia obseruatam, ex Apostolica traditione venientem, credimus per Agrippinum primùm corrumpi cœpisse.*

Argumẽta pro Sacramentis Hæreticorum.

1. Traditio.

Secundus argumentorum ordo est ab auctoritate Conciliorum, & præsertim vnius illius plenarij, quod sæpè *Catholicum totius orbis Cõcilium* appellat, celebrati post passionẽ Cypriani, paulò antequam ipse Augustinus esset natus, vt scribit lib. 2. contra Donatistas, cap.3.4.& 9. Cui cedere oportere conuincit omnia priora prouincialia, nedũ homines singulares quoscunque vel sanctissimos. Cui etiam Concilio lib.6. de Baptismo cap.39. non dubitat asserere, Deum reuelasse hanc veritatem de integritate Sacramentorum apud Hæreticos. Et hoc Concilium passim vrget, lib.2. contra Parmen. cap.13. & lib.1. contra Donatistas cap.17. & lib.6. cap.1.7.& 13. tanquam cer-

2. Concilia.

tissimum ad omnes cõtrouersias iudicium. Quod autem fuerit illud plenariũ Conciliũ, nunquã exprimit: sed quum aliud non fuerit pręter Nicenũ, quod hãc causam tractauerit ante Augustini tempora, nõ dubitamus Canonẽ olim in Niceno Concilio super ea re extitisse, qui nũc tamẽ nõ habetur. Allegat etiã August. cont. Parmen. Concilium prouinciale Carthaginẽse, post obitũ etiã Cypriani collectũ, præsidẽte Grato Episcopo. cui dicit Cyprianũ pro sua humilitate, si interfuisset, fuisse cõsensurũ. De qua re vide Canonẽ primũ eiusdẽ Cõcilij. Ex quo postea, sicut & ex disputationibus Augustini, Optati, Isidori, multorũq; sanctissimorũ Pontificũ, multa sunt relata in distinctionẽ 4. de Consecrat. Adeo vt tandẽ nõ solùm de Hæreticorum Baptismo, quin integer esset, nemo Catholicus dubitaret; sed etiã fidem ministri tam minimè requiri ad necessitatẽ Sacramẽti crederẽt, vt Baptismus à Iudęo quoq; ministratus probaretur eadem distinctione Can. *A quodam.* & à Pagano Can. *Romanus* & à quibuscunque Hæreticis, modò formam Sacramenti seruarent Can. *Si qui.* Licet ipse August. lib. 7. cap. 53. contra Donatistas, An à non baptizato datum Sacramentum valeret, dubitauerit; cùm eo tempore nihil esset definitum in Concilio Plenario, nec quicquam cœptum tractari in Catholico regionali. Adeo omnia doctissimi quique referebant in primitiua Ecclesia ad iudicium Conciliorum.

3. Tertium caput argumentorum est ex ratione & virtute Sacramẽtorum ductum, & ex discrimine inter principalem causam & ministerialem, nimirũ, quòd non dependeat vis aut existentia Sacramenti ab aliqua virtute humana, aut qualitate quę non conuenit homini vt instrumento aut ministro, sed vt bono & Deo grato; Cuiusmodi sunt fides, deuotio, sanctitas: ne ita spes collocetur in homine, & non in Deo; Aut potestas Sacramentorum non tam Christo, quàm Ministris tributa esse videatur; Aut ne pro maiori fide & sanctitate hominis administrantis putetur meliùs & sanctiùs Sacramentum esse collatum. Vnde Corinthiorum schismata orta esse putãda sunt, quę Paulus

Paulus reprehendit Epist.1.cap.1.ad Cor. Hinc illud Augustini Tract.5.in Ioannē celebre dictum: *Frater, quid tibi facit malus Minister, vbi bonus est Dominus?* vide cō.Petil.li.1.ca.3.&c. & li.2.ca.6.Syllogismus ergo huius disputationis contra Donatistas hoc ambitu comprehenditur: Minister seu instrumentum non agit secundùm propriam virtutem, sed vi & efficacia eius à quo mouetur: cùm accidentariū sit instrumēto, qualemcūq; habere formam, prçter eam quæ est propriè instrumētalis, per quā disponitur necessariò ad opus. Sed Minister Sacramentorum est tantùm instrumentū Dei ad eorundē consecrationem seu confectionē. Ergo nō agit per vllam suam virtutem, sed ex permotione primæ causæ quæ est Deus. Ex quo consequitur, quòd cùm Dei vis & potestas nō immutetur, semper idē faciat per quemcunq; Ministrum, modò habeat potestatē, & qualitatem eā quæ cōuenit ministro vt Minister est; Cuiusmodi sola est intentio: vtpote quę propriè respicit ipsam rem faciendam, & consurgit in homine ex respectu illo qui esse debet ad institutionē & executionem operis Sacramentalis. Reliquę autem qualitates, quæ insunt homini, non quatenus Minister, sed quia homo, vel quia bonus homo, vel quia membrum Ecclesiæ est, extra rationem instrumenti sunt, nec medium aliquod necessarium esse possunt, per quod Dei virtus applicetur operi Sacramentali. Exempla Augustini sunt: quemadmodum aqua, qua irrigatur hortus, siue transeat per canales aureos, siue per canales plumbeos vel lapideos, eandem vim humectationis arescēti terræ impertit; Et, quemadmodum arboribus nihil obest eorum improbitas, quorum manibus satæ sunt: Ita nihil vitij aliena culpa illis contrahi posse, qui malorum hominum ministerio Christo insiti sunt, aut in illo sanctificantur. Ex quo illud sæpè inculcat, non minus valuisse Sacramenta Iudæ, quàm Ioannis. cui tamen & fides & sanctitas defuit, & summa adfuit impietas. Vide lib.3. contra Crescon. Grammaticum cap. 7.

Quartum argumentum desumptum est à simili, nimirum 4

ex ministerio prædicationis. Quod munus cùm multò magis videatur requirere virtutes humanas, quàm Sacramentorum administratio; tamen Deus voluntatem suam in conuersione Gentium & voluntatum humanarum operatur per impios, non solùm Prophetas, sed etiam Euangelistas. Prędicare enim Euangelium extrinsecus non solùm possunt homines boni, per veritatem; sed etiam mali, per occasionem: vt illud semper ab Apostolo Paulo verè dicatur, In dispensatione non suorum, sed diuinorum donorum, nihil esse Cepham, nec aliquid esse Apollo, sed qui incrementum dat Deus. Vide August. in Tract. 5. super Ioan. & Venerabilem Bedam super 3. cap. 1. ad Cor.

Phil. 1.
1. Cor. 3.

3. Illud autem quinti loci summum omnium argumentum est, quod scholastici sumpserunt ex D. August. lib. 6. contra Donatistas cap. 25. Vbi docet, formas Sacramentorum, quas illic *verba Euangelica* appellat, habere vim ex ipso opere, vel vi verbi, quomodocunque erret seu affectus sit qui verba profert. Si enim Sacramenta habent ex opere operato vt producāt suos effectus, non possunt dependêre ex vlla virtute Ministri seu operantis circa Sacramenta. Sed fides & sanctitas sunt virtutes hominis ex parte operantis, per quas si Sacramenta conferrēt gratiam, tunc gratia esset ex meritis, & sanctificatio nostra nō esset ex Deo, sed ex hominibus. Et ad huius rationis confirmationem pulchrè disputat lib. 5. contra Donatistas cap. 20. Si virtus Ministri quæcunque constituat Sacramentum, tum maior fides & maior virtus maius & melius Sacramentum, & minor virtus minus aut peius Sacramentum faceret. Quæ res si concederetur, omnis Religionis ratio perturbaretur, & res Christi atque dona Dei non pendêrent ex Christo aut eius institutione, sed ex meritorum humanorum differentia.

Ex eo

Ex eo quòd fides non requiritur, notandi quidam & errores quorundam deducuntur.

CAP. LVII.

1. HAc de Sacramentis Hæreticorum aliorumque malorũ doctrina his tandem & consimilibus rationibus constituta, deductum porrò est, quòd non possit Sacramẽtum aliquod repeti, quod semel tantùm à natura sua esset tribuendum, vt Baptismus, Confirmatio, Ordo. De reliquis Sacramentis, quæ multoties repeti possunt, non tantopere laborabatur. Ex qua deinde controuersia, quæstio de Characteribus trium Sacramentorum facta est celebris. Eosdemque (vt antè docuimus) Augustinus voluit semper tribui per Sacramenta Hæreticorum, etiam tum cùm reliqui gratiæ & remissionis effectus non tribuerentur. In alijs autem Sacramentis, vbi hic Character non datur, licet vera Sacramenta existant, tamen nullus sequitur effectus. Verè enim potest Hæreticus ab Hæretico Sacramentum extremæ Vnctionis, aut simile aliquod sine vlla remissione peccatorum aut gratia accipere. Ex quo perspicuũ est (quod etiam D. August. notauit lib. 6. cap. 1. de Baptismo) omnem errorem istum fuisse ortum ex eo, quòd non distinxerint inter Sacramentum & effectum Sacramẽti; & inter Characterem qui est effectus indifferens, & remissionem peccatorum quæ semper est per se bona.

2. 3. 4. 5.

Errores Recentiorũ circa Sacramẽta Hæreticorum.

Ex his nunc videmus, Ecclesiam nihil definiuisse in hac parte, quod summa ratione & Scripturarum auctoritate non nitatur; eosque perniciosè errare, qui putant, nihil aliud in hac cõtrouersia, quàm studium pacis & odium schismatis, prævaluisse. quasi argumentorum momenta in Aduersariorum causa maiora extitisse videantur. Falluntur quoque hi, qui existimant, hæc quæ ab Augustino & alijs Patribus dicuntur de integro Baptismo Hæreticorum, non posse itidem dici de reliquis Sacramentis omnibus. Siue enim Eucharistiam conficiant, siue ordinent, siue se coniungant in Matrimonio, siue vngant, siue absoluãt, siue quid aliud faciãt huiusmodi, vera sunt Sacramẽta.

1. 2.

3. Quare nullo modo consentiendum est his, qui putant Sacramentū Confirmationis ab Hæreticis datum, olim fuisse iteratum in Ecclesia, factumq; esse his tantùm posterioribus annis, ne possit repeti. Nam etiā in antiquissimo Cōcilio Tarraconēsi ca.6. de hoc Sacramēto nō repetēdo statutum est. Huius autē erroris occasio sumpta est ex eo Ecclesiæ primitiuę vsu & pręcepto, vt qui essent ab Hęreticis baptizati, cùm ad Ecclesiā redirēt, nō reciperētur nisi per man⁹ impositionē. Quę ceremonia sępè habebat adiunctā etiā sacrā Inunctionē, sicut apparet ex sanctissimo Iustino Martyre in resp. ad 14. quęst. Gentilium. Hanc ergo ceremoniā recōciliationis cùm intelligerēt isti de Confirmatione, putarūt, semper redeuntibus ab Hęresi Sacramentū Cōfirmationis collatum fuisse, licet antea ab Hęreticis idē Sacramentū vnà cū Baptismo (quod sępè fiebat) accepissēt. Est autē hui⁹ rei cognitio valdè vtilis, & petēda ex historia antiquitatis. Vnde facilè videbim⁹, nō fuisse illā ceremoniā recōciliationis (quā Augustin⁹ etiā appellat *impositionē manuū*, præsertim lib. de Ecclesiast. Dogmatib⁹ cap. 52. quā vult vnà cum chrismate adhiberi quoq; paruulis ab Hęreticis baptizatis) nō fuisse, inquā, illā ceremoniā, Sacramentū Cōfirmationis. Quod nūc ex antiquitate latiùs probaremus, pręsertim ex D. Leone, & Gregorio, Pōtificibus maximis, si de hoc Sacramēto in particulari tractarem⁹. Cauēdus hic quoq; error eorū est, qui pu-

4. tant Sacramēta apud Hęreticos ita quidē secundùm substantiā integra esse, vt nunquā tamē habeāt in recipiētibus effectū aliquē salutarem. Vnde nō dubitāt asserere, infantes ab Hęreticis baptizatos, si vitā finiāt antequā sint per Confirmationē recepti in Catholicā societatem, in æternum perire: cùm tamē cōtraria sententia sit vera, & his Augustini disputationibus contra Donatistas sæpè comprobata. vt cùm docet lib. 7. cap. 52. hominem in necessitate accipientem Baptismum ab Hæreticis, rectè facere, & remissionem atque salutem ex eo assequi. Quod etiam intelligendum est de Sacramento Pœnitentiæ. Sed vide totam Epistolam 23. D. August. ad Bonifacium. Et ad hanc

hanc veritatem stabiliendam argumentum inexpugnabile est, quòd Sacramenta vbicunque sunt, quia ex opere operato vim habent, nunquã possint esse sine fructu suo, nisi sit obstaculum vel obex in suscipiente. Sed infantes sunt personæ omni modo capaces, & nullo modo ponentes obicem gratiæ & virtuti Sacramentali. Ergo vnà cum Sacramẽto necessariò assequuntur effectum Sacramenti. Quęcunque igitur D. Augustinus aut alij dicunt de Hæreticorum Baptismate, quòd sit quidẽ verum Sacramẽtum extra Ecclesiã, sed quòd vtile nõ sit extra Ecclesiam; intelligenda sunt in his qui voluntariè accipiunt in schismate vel Hęresi. qui proinde eo peccato suo ponunt obicẽ Sacramento, quod alioquin valuisset etiam extra Ecclesiam.

Hîc ergo addimus illi priori cõclusioni Augustinianę, quòd Hęretici nõ solùm tribuant vera Sacramẽta quæcunq;, sed etiã quòd & ipsi & cęteri Ministri non possint ex se quacunq; qualitate mala vllo modo impedire integrum effectum cuiuscunque Sacramenti, nisi peccatum sit in suscipiente. Quæ doctrina est plena consolationis, cùm videamus, nihil posse impedire Sacramenta, si nosipsi nobis non desimus.

Quòd sanctitas Ministri non requiratur ad Sacramenta.

CAP. LVIII.

NVNC verò de altera parte huius cõtrouersiæ, quę est cũ Husso & Vvycleffo, de vita & moribus Ministrorum, eo pauciora sufficient, quod multa eorum quæ iam de fide diximus, fuerint vtriq; parti communia. Isti autẽ volunt, quodlibet peccatum mortale auferre diuinam concurrentiam cum sacerdote ad actionem Sacramentalem; omnemque auctoritatem Sacerdotis circa administranda Sacramenta ad quoduis peccatum mortale auferri vel suspendi: paulo peiores Donatistis, qui (sicut videre licet lib. 2. contra Cresconium cap. 16.) concedebãt peccatorib⁹ fidelibus, modò nõ essent publicè sed occultè mali, potestatẽ in Sacramẽta. Vbi August. docet, Deũ

non

non minùs operari per Miniſtrum publicè impium, quàm per hominem occultè malum. Sed in hoc articulo Vuycleffus adhuc & ſeipſum & alios omnes Hæreticos ſuperauit: dum porrò contendit, nec præſcitos ſeu reprobos, quacunque polleant præſente ſanctitate & iuſtitia, poſſe quoduis Sacramentũ conficere. quos etiam poteſtate & iuriſdictiõe omni, ſeu ciuili ſeu Eccleſiaſtica, priuatos aſſerit. His ergo gradibus ventum eſt ad ſummam inſaniam. Primùm Agrippinus & ſui nolebant, infideles ſeu Hæreticos conficere. Donatiſtæ vlteriùs, apertos peccatores arcebant. Huſſitæ occultos etiam reijciebant. Tandem Vuycleffus etiam præſcitos.

Quòd Sacramẽta non pendeant ex bonitate Miniſtri. *Argumẽta Auguſtini.* Fuit autem percommodum Auguſtino in omni illa diſputatione quam habuit cum Catholicis Epiſcopis, quòd illi ſemper dabant & vltrò, quoſcunque peccatores, modò fideles eſſent, poſſe conficere & baptizare. Et omnia penè illorum argumenta ex eo ſoluit, quòd non magis valerent contra Hæreticorum Sacramenta, quàm contra auarorum, libidinoſorum, ſacrilegorum, aut quorumcunque impiorum Baptiſmata. vide *Sup. cap. 56.* lib. 3. de Baptiſmo cap. 18. Ac omnia quidem priora argumenta quæ adduximus, vtrumque indifferenter conuincunt, cùm nullam virtutem Miniſtri neceſſariã eſſe doceant. Sed *Argumenta Thomæ.* præterea addi poſſunt hæc ex D. Thoma, lib. 4. cõtra Gent. cap. 77. vbi commemorat, hunc quoque errorem viguiſſe ſuis temporibus, quòd omnes boni poſſint miniſtrare Sacramenta, & nulli mali. Vtitur autem ille quinque argumentis. Primum eſt ex 1. poteſtate & conſecratione Miniſtrorum, quæ æterna in illis eſſe debet, vtpote data ſimpliciter, & communicata ſine exceptione cuiuſcũque peccati. Non poteſt igitur ſuſpendi aut deleri per quamcunque hominis maliciam. Secundum eſt: Ea 2. quæ in adminiſtratione Sacramentorum fiunt, excedunt virtutem humanam, & vi diuina ac ſupernaturali conficiuntur. Cùm ergo nulla virtute humana fiant, neque malicia humana poſſunt impediri. Tertium argumentum eſt: per habitus 3. omnes virtutis aut vitij fit, vt bene vel malè operemur, non autem vt

tem vt simpliciter operari valeamus aut non operari. Id enim pertinet ad potentiam, qua reddimur habiles seu potentes ad aliquid sine boni aut mali circumstantijs faciendum. Igitur licet virtus faciat vt bene administremus Sacramenta, tamen ex ea non fit, vt planè faciamus vel non faciamus. Quartum argumentum est ex ratione instrumenti; quod non agit propria virtute, sed virtute causæ principalis, cui semper & res & effectus eius assimilari debent, & non instrumento. Vltimo loco ratiocinatur D.Thomas, nullam posse nos habere salutis nostræ spem aut moralem certitudinem de effectu vel integritate cuiuscunque Sacramenti, si omnia pendêrent ex bonitate vel malitia ministrorum. Pręter hæc Thomas Vvaldensis nobilissimus scriptor addit alia Tomo.2. de Sacramentis, pulcherrimè probans, quòd dona omnia quæ hominibus donantur, non suâ, sed aliorum & Ecclesiæ causâ: non possint vnquam pendêre ex meritis humanis, sicut patet in dono Miraculorum, Sanationum, Prophetiarum, Exorcismorum, & similium. Cuius quoque illud est elegans dictum: *Minister Sacramenta dispensans non pascit plebem moribus, sed ritibus.* Et in cap.2. amplissimè prosequitur illud, Quomodo Deus sicut post primam creationem atque vim multiplicationis ab initio datam cunctis creaturis, cum eisdem concurrit ad naturales effectus, quibuscunque hominum sceleribus non obstantibus: Ita enim eundem omnipotentem & optimum Deum non minùs indeficiẽter prosequi voluntatem & institutionem suam ad Sacramentorum effectus producendos; quorum administrationem absoluto præcepto mandauit. Ad quam rem allegat D.Basilium in opere sextæ diei, & Chrysostomum in sermone de proditione Iudæ, & D.Damascenum lib. 4. de orthod. fide, cap.14.

4

5.

Argumẽta Thomæ Vvaldensis.

Soluuntur argumenta eorum, qui Sacramenta vel fide vel bonitate Ministri definierunt: cum clausula de Suscipientibus.

CAP. LIX.

1. Sed Aduersarij omnium ordinum nitebantur in contrarium, his ferè principijs suis communibus. Primum erat: Sacramentum nō potest esse, nisi remissionem & gratiam conferat. Sed Sacramenta Hæreticorum non dant gratiam: ergo non sunt Sacramenta. Ad maiorem dicimus, gratiam esse effectum, & distinctum quid à substantia Sacramenti. Et licet ex naturâ suâ causa producat semper effectum, tamen propter indispositionem & ineptitudinem rei subiectæ existere potest sine suo effectu. Deinde minor est falsa, quia Hæreticorum Sacramenta sæpè gratiam & reliquos effectus attingunt, vbi non est obex in suscipientibus; quomodo accidit infantibus, & alijs in necessitate aut baptizatis aut absolutis ab Hæreticis.

2. Secundum principium: Qui ipse non habet gratiam & Spiritum sanctum, non potest alteri dare. Christus etiam in Euangelio daturus Apostolis potestatem remittendi peccata, vnà Spiritum Sanctum dedit. (Ioh. 20.) Respondetur, quòd ij qui gratiam non habent, non possunt esse auctores aut datores principales eius, sed possunt esse instrumenta & ministri ad producendum effectum correspondentem primariæ causæ. Locus autem ille de Spiritu dato Apostolis probat, assistentiam Spiritus in administratione Sacramentorum requiri; & quòd illa sit opus Dei, cuiuscunque hominis ministerio fiat. Quanquam & ille Spiritus rectè intelligi possit gratia data Ministris in sacris Ordinibus (sicut & in cæteris Sacramentis fit) per quam possint commodiùs officia sacra exercere. Quam etiam licet Ministri sua indignitate repellant, Deus tamen non dependens à Ministris, prosequitur institutionem suam, vtens illis vt instrumentis gratiæ, non autem vt auctoribus. Quare & illud Ecclesiastici 34. *Ab immundo quis emundabitur?* (Eccles. 34.) Intelligendum est, quòd operibus suis ab illa immundicie proficiscentibus nemo mundatur, sed magis contaminatur. Tamen immundus non exercens opus suum, sed Dei, per illud opus Dei (quale est Sacramentum) mundare potest.

Quan-

Quanquam administratores Sacramentorum, cùm improbi sunt, faciant, quantum in se est, ne ipsa etiam Sacramenta vel sacrificia ab illis celebrata, peccata hominum relaxent, aut gratiam conferant. Hinc Esaiæ vltimo cap. sceleratorum sacrificia improbantur à Domino, non quòd nõ sint, sed quòd eo modo Deo non placeant, adeoque sæpè etiam ad iram prouocent. Vltimum fundamentum Donatistarum: Extra Ecclesiam nihil est Christianum, nullum sacrificium, Sacramentum nullum: Ergo Hæretici non baptizant. Respondetur, quòd multa extra Ecclesiam sint quidem, vt ieiunium, oratio, symbolum fidei, Scriptura sacra, etiam Martyrium pro Christo: licet extra Ecclesiam existentibus nihil prosint ad salutem.

Is. 66.

8.

Neq; verò quisquam debet his nostris disputationibus duci in eam cogitationem, vt nihil sua interesse putet, seu bene, seu malè ad ministrandum accedat. Quin illud potius D. Dionysij cap. 1. Ecclesiast. Hierarch. in memoria semper habeat: *Malis non esse fas, nec tangere symbola sacra.* & illud D. August. Tract. 5. in Ioan. *Et ego* (inquit) *dico, & omnes dicimus, quòd iustos oportet esse tanti Iudicis Ministros. Sint ministri iusti, si volunt. Si autem noluerint esse iusti, &c. securum tamen me fecit Magister meus, de quo Spiritus eius dixit, Hic est qui baptizat.* Atq; hæc hactenus de Ministris, & de tota ratione Sacramentorum in communi dicta sufficiant.

Dion. Areo.

Aug.

Ioan. 1.

De suscipientibus autem nihil in genere & in vniuersum tradi potest, præter illud, quòd intentio in adultis tantum momenti habeat, vt sine ipsa propter defectum materiæ subiectæ nullum possit esse Sacramentum, excepta Eucharistia quę perficitur extra vsum & antequam recipiatur. Reliquę autem qualitates efficiunt, vt quisq; magis vel minùs vtiliter suscipiat. Affectus verò & voluntas peccati mortalis efficit planè, ne vllum Sacramentum vim suam habeat. Deniq; cùm ad singula Sacramenta penè alia atq; alia præparatio requiratur, generalia præcepta ad eam rem commodiùs tradi non possunt.

De suscipientibus.

FINIS.

Liber iste de Sacramentis in genere, quia singulari eruditione & accuratè conscriptus est, nihilq́ continet orthodoxæ & Catholicæ doctrinæ aduersum, tutò & vtilissimè imprimi posse iudico.

Ego Thomas Stapletonius S. Theologiæ Doctor & Professor Regius Duaci 27. Iulij. 1574.

❧ EIVSDEM DE EVCHARISTIA LIBRI DVO: ALTER DE SACRAMENTO, DE SACRIFICIO ALTER.

ſorum beneficiorum & donorum Dei ſummum compẽdium; in quo vtilitas omnis, quæ mortalibus ex gratia Incarnationis obuenire debuit, luculentiſſimè continetur, & ſuauiſſimè tribuitur. Nam ſi cuiquam profuit cõceptus & natus Deus, Crucifixus ac ſacrificatus Deus, reſuſcitatus & corpore glorificatus Deus: certè ſic in vtero Virginis, in Cruce, in ſepulchro, in cœlo, hominum vſibus mira dignatione per carnem aptus & vtilis factus, nunc vnica ſingularis Sacramenti actione reipſa donatur nobis: & qui in omnibus alijs Myſterijs veluti parabatur, nunc hic verè & actu exhibetur & propriè à nobis accipitur. Et rurſum, quia non habemus aliud quod retribuamus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis, Panem hunc & Calicem Salutaris accipimus, & in eo nomen Domini vnico & incomparabili modo inuocamus. Summum ergo hominis bonum, datum in Sacramento, oblatum in Sacrificio, coniunctum in vna & eadem ceremonia, appellatur à nobis Euchariſtia. quam Maiores noſtri poſt Gregorium primum (vt videmus in 2.p.Decret. c.1.q.1.can. *Multi.*) non tam vim verbi Græci intelligentes, licet ad id etiam alluſum fuerit, quàm rem intuentes, appellarũt ἀγ Ϳονομαστικῶς *Bonam gratiam*: quia (vt idem Gregorius ibidem interpretatur) Chriſtum ipſum auctorem gratiæ continet: &, vt D.Thomas exponit (quem ſequitur in eo Catechiſmus Tridentinus) quòd ex hoc Sacramento inprimis venit vita æterna, quæ à D.Paulo dicitur *gratia*.

Pſ.115.

Rom.6.

De Sacramenti nominibus.

CAP. I.

Sed cùm omnis diſputatio futura ſit de hoc Sacramento ſub nomine Euchariſtiæ, placet paulò altiùs originem huius vocabuli repetere. Quin autem Euchariſtia ſit gratiarum actio aut grata alicuius beneficij recordatio, à verbo εὐχαριςέω, quod eſt, gratias ago, nemo eſt ferè hodie qui non intelligat. Sed cur hoc Sacramẽtum ſeu Græcè, ſeu Latinè à gratiarum actione nomen habeat, dicendum eſt. Sunt autem tres

maximè

maximè illustres causæ: quæ, vt institutio fiat clarior, possunt distingui, vt prima sit ex parte Sacramenti, altera ex parte Sacrificij, tertia ex vtroque. Prima ergo causa est cur εὐχαριστία appelletur, quod in ea impertiatur nobis omnium gratiarum ac benedictionum spiritualium, omniumque donorum ac beneficiorum optimum & maximum. atq; id quidem in his rebus, eoque modo & ordine, vt omnem erga nos amorem ac fauorem diuinum planè exprimat. Primi ergo illi sancti homines qui hoc donum summa animorum gratitudine (vt oportuit) acceperunt, appellarunt actionem illam & cæremoniam, in qua hæc singularis gratia facta est, Eucharistiam. Secunda causa est ex parte Sacrificij, eaque illustrior & verior: quia Deus voluit hanc escam carnis suæ non solùm esse in pastum populi, sed etiam vt in ea cõstituatur memoria omnium mirabilium suorum, & cultus Christianæ Religionis, atque Sacrificium laudis, quo solo, sublatis omnibus alijs, per Prophetam se honoratum iri prædixit. Vt hîc iam non tam pro ipso dono, quàm in ipso & per ipsum quod peragitur Sacrificium, summa laus & continua gratiarum actio pro gratia noui Testamenti peragatur. Ipsum enim opus, quod hîc sanctissimè perficitur, est Sacrificium pacificum, & genus gratiarum actionis atque laudis incomparabile, non verbis constans aut interno solo gratitudinis affectu, sed in oblationis officio, quo summum illud, quod Deus donauit in Sacramento, nos eodem actionis momento reddimus in sacrificio. Et hanc diuinorum beneficiorum recordationem per hoc Sacrificium fieri debere admonuit Seruator noster cùm ait, *Hoc facite in meam commemorationem.* Et D. Augustinus frequentissimè explicat, vt lib. 1. contra Aduers. Leg. & Prophet. c. 8. *Quod est* (inquit) *sacratius laudis sacrificium quo Dominus honorificabitur, quàm quod est in gratiarum actione? & vnde maiores gratiæ agendæ sunt, quàm pro ipsius gratia per Iesum Christum Dominum nostrum? quod totum Fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt.* Et eleganter in lib. de sp. & lit. ca. 11. dicens: *Cultus Dei in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata.*

Psal. 110.
Psal. 49.
Luc. 22.
Aug.

Vnde

Vnde in verißimo & singulari Sacrificio Domino Deo nostro agere gratias iubemur. Et in Epist. ad Honoratum: *Hinc* (inquit) *gratias agimus Domino Deo nostro: quod est magnum Sacramentum in Sacrificio noui Testamenti.* Tertia causa est, quòd Christus dum orditur hanc stupendam actionem, studiosè notatur ab Euangelistis tribus, & Paulo, gratias egisse Deo Patri, & agendo gratias seu benedicendo etiam cōsecrasse panem & vinum. Nam quod Matthæus habet, εὐχαριστήσας: Marcus, εὐλογήσας: quod indifferenter vetus interpres Matthæi vertit, nunc *benedixit*, nūc *gratias egit*. Et D. Iustinus hanc causam allegat cur εὐχαριστία dicatur: quia nimirum *fit benedictus* Panis & Calix, hoc est (vt ita dicam) *Eucharistizatus*. nam ille vtitur verbo hoc passiuè & transitiuè, appellans hostiam sacram, τὸν ἄρτον εὐχαριστηθέντα, id est, *Panem super quo gratiæ actæ sunt.* Et Irenæus lib. 4. ca. 34. appellat itidem *Panem, in quo gratiæ actæ sunt*, hoc est, *Eucharistisatum*, propter eandem causam.

Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. In fine. 2. apolog. pro Christianis. Iren.

Propter has ergo præcipuè causas Eucharistiæ appellatio facta est vulgaris, & huic summæ ceremoniæ veluti peculiaris. Quanquam alia quoque nomina sortita sit, vel ex materia ex qua fit, vt cùm dicitur *Sacramentum Panis vel Calicis*: aut ex re contenta, vt cùm *Sacramentum Corporis ac Sanguinis* vocitatur: vel ex loco peculiari in quo celebratur, vt cùm *Sacramentum Altaris* dicimus: vel ex tempore institutionis, vt cùm *Cœna Dominicæ* nomen habet: vel ab vsu, vt cùm *Viaticum* vocatur, quia solet tribui his ad subsidium, qui aut in seculo versantur, aut in aliam vitam transeunt. sicut ab alio eius vsu *Synaxis* etiam dicitur: quia ad hoc solum Sacramētum & ad aliud nullum populus fidelis ad cultum congregatur: Vel ab aliquo externo ritu in eius ministerio, vt cùm dicitur *fractio Panis* in Actis Apostolicis: vel ab effectu, quo modo à Punicis Christianis appellabatur olim *vita*, teste Augustino lib. 1. ca. 24. de peccat. mer. & remiß: & à S. Paulo *Communio* seu *communicatio* Corporis & Sanguinis Domini: non quòd plures debeant vnà necessariò ex hoc Sacramento participare (quod insulsè fingūt Hæretici)

Eucharistiæ alia nomina. Act. 2. & 20. Aug. 1. Cor. 10.

Damaſ. Dion. Are. ſed quia hoc Sacramentum (vt docent Damaſc. li.4. ca. 14. & Dionyſ. ca. 3. de eccl. Hierar.) nos mirificè & carni,& Deitati Chriſti coniungit,& nos inter nos in eodem Chriſto copulat. Inf. li. 2. ca. 14. Reliqua nomina magna ex parte competunt Euchariſtiæ vt eſt Sacrificium; proinde de illis aliàs. Nunc enim rationem ſacramentalem primo loco perſequemur. Vbi ordo poſtulat, vt primùm doceamus eſſe Sacramentū propriè dictum, è ſeptem vnum; tum ſecundò, ratione, fine, effectu,& vſu à cæteris ſex diſtinctum; tertiò, quòd ſit vnum & non plura.

Euchariſtiam eſſe Sacramentum, diſtinctum, vnum.
CAP. II.

1. ESSE autem Sacramentum probare potes ex definition Sacramenti. Euchariſtia enim eſt ſignum ſenſibile, externè repræſentans & efficiens gratiam in recipiente: ergo eſt Sacramentum. Et de ſigno quidem externo ſeu elemento viſibili in cæremonia adhibito, omnes concedunt: quòd autem ex eius ſuſceptione detur gratia ſanctificans, id ex 6. Ioannis elucet, cum Seruator ait: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* &, *Qui manducat me, ipſe viuet propter me.* Probatur etiam auctoritate Conciliorum, Florentini & Tridentini. Nam in Seſſ. 7. huius, & in illius Epiſtola ad Armenos, in reliquis ſeptem numeratur imprimis Euchariſtia. Deinde auctoritate Patrum, vt D. Dionyſij in loco iam allegato; & D. Auguſtini in Epiſt. 23. & 118. & lib. 3. de Doct. Chriſtiana ca. 19. itemque Gregorij, vt citatur c. 1. q. 1. can. *Multi.* Omniumque Theologorum atque Chriſtianorum iudicio confirmatur.

Ioan. 6. Con. Flor. & Trid. Dion. Aug. Greg. P.

2. Quòd autem ſit ſpeciale & diſtinctum à reliquis, commodiſſimè intelliges ex gratia data ad peculiarem ſpiritualis vitæ vſum: nimirum ad ſuſtentandam, nutriendam, & conſeruādam eam vitam diuinam quam ex baptiſmo accepimus. Hic enim eſt huius ſacramenti peculiaris effectus. Proinde cùm hoc fine & effectu à reliquis ſex diſtinguatur, planū eſt, aliud & diſtinctum eſſe Sacramētum. Quin & alius iſq; primarius huius Sacramentū

cramenti effectus,& principalis gratia materiã & formam ritè applicatas immediatè & semper sequens, est ipsum Corpus & Sãguis Seruatoris. Ex quo effectu prouenit illa gratia alia,qua spiritualis vita fouetur & alitur. Ex quo duplici effectu huius Sacramẽti,& prius explicato genere, cõstituitur à Theologis hæc Eucharistię definitio:Eucharistia est Sacramentũ Corporis & Sanguinis Christi, quo vita spiritualis nutritur. Neq; est opus plures particulas huic descriptioni apponere. Nam licet aliæ sint causę cur Christ^us instituerit hoc Sacramentũ,multaq; sint illi cõiuncta; tamẽ nõ omnia ea sunt in illo de necessitate Sacramẽti. vt,quòd sit pign^us & argumentũ summi amoris diuini,vt,quòd sit mortis Dominicæ memoriale,quod pertinet ad memoriam rei præteritæ: aut quòd sit significatio futuræ vitæ æternę:aut,quòd sit sacrificium. Hæc(inquã)& his similia licet peculiariùs & sanctiùs Eucharistiæ quàm cæteris Sacramentis insint,tamẽ ad propriã rationẽ Sacramẽti nõ pertinẽt.Cùm ergo tria sint quæ hoc Sacramẽto indicãtur:vnũ,quod prærerijt, Christi nimirũ mors(ita enim Paulus. 1.Cor.11. *Quotiescunque m.iducabitis &c.mortẽ Domini annũciabitis:*)alterũ quod est præsens,id est,cælestis gratia,qua animus sumẽtis pascitur,& totus homo capiti Christo & fidelibus commembris in vnũ corpus coagmẽtatur: tertiũ futurũ,dũ hęc mẽsa sancta pręnunciat cænã illã æternã cũ apertè fruemur Deo, cui nuuc in Sacramẽto occultè cõiungimur: tamẽ in hac varietate significationis, pręteriti,futuri,& instãtis,dicitur Sacramentũ propter pręsentem gratiã sòlùm,cùm illã solã & efficiat,& significet:reliqua significet,sed nõ semper efficiat. Sit ergo illa,quã dixim^us,descriptio Eucharistię,sacramẽto tanquã genere cõstans, & suo peculiari effectu atque fine tanquã differẽtia qua à cęteris sex separetur.

Eucharistiæ definitio.

1.Cor.11.

Vide lib. de Sac. in gen. ca. 7. & 8.

Videamus ergo nũc,an vnũ sit hoc totũ,quod duabus speciebus cõtinetur, duplicĩq; ac diuersa benedictione cõsecratur. Et certè vnũ esse,auctoritate Ecclesię edocti cõfitemur. Aliter enim septenarius Sacramentorũ numerus auctoritate multorũ Cõciliorũ approbat^us cõstare nõ posset.Et ratio apertè suadet,

3.

cùm hæ diuersæ Sacramenti partes contineant vnam tantùm perfectam significationem completæ refectionis; vnamque & eandem gratiam salutarem efficiant. Sicut enim in ratione cõuiuij corporalis, varia ciborum genera, potusque alius atque alius vnum epulum faciunt: ita hæc refectio spiritualis non minùs vna videri debet, quamuis duabus partibus, cibo videlicet & potione constet. Proinde hæc duo Seruator noster tãquam ad vnum epulum cœleste commendauit, dicens: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Et D. Paul⁹ ad vnam rem completè significandam vtranque speciem veluti vnum Sacramentum 1. Cor. 10. proponit, dicens: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno Calice participamus.* Rursum cap. 11. eiusdem Epist. mutuam relationem & consequentiam vnius speciei ad alteram, & actionis cohærentiam in institutione insinuat per illud: *Similiter & Calicem.* deinde vsum vnum, hoc est, commemorationem mortis Dominicæ vtrique parti indifferenter adiunctam ostendit: *Quotiescunque* (inquit) *mãducabitis panẽ hunc, & Calicẽ bibetis, mortẽ Domini annunciabitis donec veniat.* Licet ergo quodammodo hoc Sacramentum dici possit plura (vt in Ecclesiastica oratione, *Sacramenta quæ sumpsimus*; & in ipsa Tremenda Actione, *hæc sancta sacrificia*, & à Cypriano ser. de Cœna Domini, *Dominica Sacramenta*; & ab Ambrosio lib. 5. de Sacramentis ca. 1. *Altaris sancta Sacramẽta*) quia ex varijs partibus seorsim consecratis & materia non indiuidua conflatur: tamen quia in huiusmodi rebus vnitas sumitur à forma, effectu, & fine; illa multa concurrentia ad vnam rem constituendam, non impediunt, quò minùs propriè vnum sit Sacramentum. sicut vnitas domus non sumitur ex materia, quæ multiplex est & diuersi generis: sed ex forma per artem inducta ad Habitationem. Forma igitur & ratio cuiusque Sacramenti cùm sita sit in significatione propria, si vtraque species concurrat ad vnam rem significandam (vt certè facit) &, si vtraque species habeat vnum effectum eiusdemque rationis, nimirum spiritualem refectionem, vt vnum ex vtraque sit Sacramen-

Ioan. 6.

1. Cor. 10.

1. Cor. 11.

cramẽtum, eſt neceſſe. Si exempla petas à Scripturis quo modo duæ res poſſint conſtituere vnum ſignum vel Sacramentũ, vide Adamum apud Paulum eſſe ſignum Chriſti, & Euam, Eccleſiæ. quæ tamen ab Apoſtolo dicuntur *Sacramentum magnum in Chriſto & Eccleſia*, Epheſ. 5. In ſumma ergo vnitas Sacramenti non eſt vnitas indiuiſibilitatis, vt puncti: nec continuationis, vt lineæ: nec eſſentiæ, vt in ſimplicibus ſubſtantijs, vel etiam compoſitis ex materia & forma ſubſtantialibus: nec ſuppoſiti, vt ſubiecti & accidentis: ſed eſt Vnitas perfectionis, quæ conſiſtit in concurſu omnium eorum, quæ requiruntur ad cõſequendum finem ad quem res ordinatur. Et cùm hoc Sacramentum ſit inſtitutum ad refectionem ſpiritualem, quæ per corporalem repræſentatur, cuius perfectio eſt in cibo & potione: vt in ipſo vna integra ſignificatio fiat, multiplex materia atque diuerſa forma conſecrationis eiuſdem materię requirebatur.

Vnum aliquid quinque modis.

At hîc mox de communione Laicorum dubitabis, an integrum ſit Sacramentum: aut, an perfectam animæ refectionem contineat, cùm ex vna tantùm ſpecie conſiſtat. Quod ad præſens negocium attinet (nam aliàs fuſiùs) ita paucis reſpondemus, vnam tantùm ſpeciem habere integram refectionem, ac alios effectus omnes non minùs ſalutares, quàm ſi vtraque ſumeretur: ſed de perfectione ſignificationis externæ, quæ complete reperitur tantùm in vtraque forma, aliquid Laicæ communioni deeſſe fatemur. Perfectio autem & vnitas Sacramenti ſumitur propriè ex ſignificatione. Ita Laicus totũ Chriſtum & omnem ſanctificantem gratiam recipit in vna ſpecie, ſed integrum tamen Sacramentũ non recipit. Hæretici autem, quia gratiam ex Sacramentis non agnoſcunt, omnem turbam hanc de ſignificatione faciunt.

In vna ſpecie totus Chriſtus, non integrũ Sacramentum.

Infrà, cap. 42. & 43.

Sed hîc deinde quæris, cur Chriſtus voluerit hoc Sacramẽtum vnicum duplici conſtare & confici forma, præſertim cùm vna ſpecies integram habeat vim & effectum eundem. Reſpõdetur, eſſe multas cauſas: quarũ prima & pręcipua fuit ex parte

Duarũ ſpecierum multæ cauſæ.

Sacrificij, in quo oportuit mortẽ Christi, Sanguinisq́; effusionem viuidè repræsentari: vt seorsim Sanguis, seorsim Corpus ex vi consecrationis existeret; vt in tali admirabili actione Christus in mysterio veluti moreretur. Aliæ omnes causæ, quæ ex parte Sacramenti pro duplici specie redduntur, in hoc principio fundantur, quòd in Sacramentis habẽda sit ratio nõ solùm effectus, id est, gratiæ, sed etiam instructionis, quia sunt in rebus sensibilibus posita; vt discamus ex corporalium rerum ad spirituales analogia, quo modo Deus salutem nostram operetur. Secunda ergo causa est, vt repræsentetur integra refectio hominis spiritualis, proueniens non solùm ex Corpore per Incarnationem, sed ex Sanguinis effusione per mortem. de qua re sensus non instruitur nisi per vtranque speciem. Tertia causa est, vt instituamur de totius hominis, hoc est, vtriusque partis cibatione, quæ eleganter exprimitur in distinctis elementis: cùm panis corpus, vinum animam indicet. Sicut enim totus homo Carne & Sanguine Christi erat redemptus; ita & totus homo ad vitam æternam eisdem pascitur. Quam causam in officio Ecclesiastico ita expressit D. Thomas, inquiens: *Quibus sub bina specie carnem dedit & sanguinem, vt duplicis substantiæ totum cibaret hominem.* Quarta causa est, vt seorsim per diuersas species instruamur, quo modo per hoc Sacramentum nos Christo vnimur & manemus in eo; atque vicissim, qua ratione ille nobis se vnit ac nobiscum manet. De vtroque modo Christus ita dixit, Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in illo.* Volunt ergo Theologi, illam vnionem qua caput Christus se coniungit membris, secundum quam nobis communicat sua dona, esse similem vino, quod per expressionem habet vt sit nobis salutiferum. Christus enim veluti botrus, Passionis torculari pressus, nostris rationibus se communicat: cùm nos contrà illi, vt multa grana ad vnum panem, quasi cocti charitatis igne, colligati videamur. Denique quinto loco, hoc duplici elemento vnionem Fidelium inter se expressam esse

Ioan. 6.

vult

vult Paulus cap. 10. Epist. 1. Cor. dicens: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno Pane & de vno Calice participamus.* Quomodo ergo & quare vnum dicatur & sit Sacramentum, ex varijs formis & materijs constans, diximus.

1. Cor. 10.

Ad inueniendum quid in Eucharistia sit Sacramentum, differentiæ eius & reliquorum Sacramentorum explicantur.

CAP. III.

NVNC grauior exurgit difficultas, pro quo supponat hoc nomen Eucharistiæ cùm dicitur esse Sacramentum. hoc est, secundum quam partem suî, ratio & nomen Sacramenti illi competat. Multa enim sunt & præcipuè quatuor in hoc Mysterio, quibus aliquando vel simul, vel seorsum acceptis, à Veteribus nomen Sacramenti tribuitur. Interdum enim ipsa consecratio panis & vini, quæ est prima actio circa Sacramentum: nonnunquam perceptio seu communio, quæ est vltima huius Mysterij actio: frequenter ipsum Domini Corpus aut Sanguis, vel per se sola, vel potiùs vt coniuncta priorum elementorum accidentibus, hoc est, contentę res vnà cum speciebus: sæpissimè autem ipsæ tantùm panis & vini species: denique ab Hæreticis etiam ipsæ substantiæ panis & vini, quatenus & quomodo percipiuntur, Sacramentum vocari solent. Et hæc sola vltima sententia est per se falsa, & contraria fidei atque Religioni, docenti, substantias panis & vini nullo modo manere vsque ad perceptionem, cùm per consecrationem esse desierint. Sed reliqua omnia, quibus nomen Sacramenti attributum esse diximus, aliquo sensu Catholico id certè habent vt ita dici possint: cùm tamen ex his quatuor vnum sit, cui vera Sacramenti ratio competat. quod nunc in summa sententiarum varietate peruestigandum est. Atq; hæc omnis difficultas orta est ex multiplici differentia quæ est inter hoc sanctum Sacramentum, & cætera sex. quæ primo loco est expli-

explicanda, vt reliqua disputatio fiat expeditior. & ita est explicanda, vt probemus, nullam talem esse huius ab alijs diuersitatem, quæ ipsum eximat à numero & natura Sacramentorum.

Differentia huius Sacramenti & cæterorum.

1. Prima differentia est, quòd forma huius Sacramenti applicatur ad materiam seu elementum, & non dicitur super personam recipientem Sacramentum: vt in cæteris, vbi dicitur applicando materiam ad personam, *Ego te abluo, Te vngo, Te signo, Te absoluo, Te accipio.* In quibus omnibus forma non consecrat materiam, sed simul cum materia sanctificat accipientem. Secunda differentia: tam forma, quàm materia huius Sacramenti sunt res transeuntes: cùm aliorum Sacramentorum formæ solùm verborum prolatione transeant, materiæ autem sine vlla suî mutatione vt priùs existant. De ijs maximè Sacramẽtis loquor, quorum materiæ sunt substantiæ corporales, vt aqua, oleum, chrisma, &c. In quæ quia non agit forma seu benedictio Sacramentalis, sed tantùm in suscipientem, illa immota manent: Cùm in Eucharistia vis verborum agens primò in panis & vini elementa & non in suscipientem, priùs faciat mutationem in materia, quàm in recipiente. Ex his sequitur tertia differentia: quòd neque materia, neque forma sunt partes huius Sacramenti, sed tantùm causæ vel principia consecrationis seu confectionis, hoc est, sunt causæ vt fiat Sacramentum: cùm in cæteris Sacramentis materia & forma sint partes vnde non solùm fiant, sed etiam existant. Nam in rebus fluentibus, quę non habent aliam existentiam quàm in motu, eædem sunt causæ vt fiant, & ex quibus constent: cùm in illis fieri & existere nõ differant. Sed in rebus permanentibus, alia sunt generationis seu productionis, alia constitutionis principia. Hinc quartum est discrimen: hoc Sacramentum esse effectum formæ & consecrationis suæ, & tamen existere atque manere, cùm principia confectionis suæ esse desierint. & propterea non in motu, actione, applicatione, aut vsu materiæ (quomodo cætera) consistere, quæ cessante motu, cessant esse Sacramenta: sed ex duabus alijs partibus permanentibus, principijs transmutatis correspon-

respondentibus, verè constare: hinc panis & vini speciebus ex prioribus elementis relictis, illinc Corpore & Sanguine Domini ex verborum vi mirabiliter substitutis: Vt ita principia constitutionis adamussim quadrent principijs productionis. Est enim pars illa quæ formæ correspondet, actiua, Corpus nimirum & Sanguis: pars autem materialis, species panis & vini, minùs illa quidem actiua, valde tamen significatiua. Atque Eucharistiam quidem esse rem constantem ex partibus permanentibus, docent omnes veteres Theologi, vt Augustinus in lib. sent. Prosperi, allegatus de consecratione, dist. 2. in hæc verba: *Sacrificium seu Sacramentum Ecclesiæ duobus constare dicitur, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi Carne & Sanguine, &c.* Vide etiam cap. 26. de Catech. rud. Hancque mysticam constitutionem Sacramēti esse effectam per consecrationem, idem Aug. docet his verbis. lib. 20. ca. 13. cont. Faust. *Noster panis & Calix* (inquit) *certa consecratione fit nobis mysticus: & quod ita non fit, non est Sacramentum Religionis nostræ.* Sic etiam Ambros. lib. 4. ca. 4. de Sacramentis, planè ostendit, hoc Sacramentum esse effectum formæ & consecrationis suæ: *Sermo Christi* (inquit) *hoc conficit Sacramentum.* Sed omnium pulcherrimè Irenęus, & quibus principijs factum sit, & ex quibus postea constitutum declarat, dicens lib 4. cap. 34. *Qui est* (inquit) *à terra panis, percipiens vocationem Dei, non iam est communis panis, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena scilicet & cælesti.*

Eucharistia constat ex partibus permanentibus.

Idem Lanfran. con. Bereng.

Aug.

Amb.

Irenæ.

Quinta deinde discrepantia est in illa virtute quam Patres tribuunt omnibus Sacramentis nouæ Legis ad producendam gratiam iustificantem in animis recipiētium. Quæ virtus cùm in omnibus alijs Sacramentis sit tantùm applicatio & vsus externorum elementorum à Deo institutorum & motorum ad producendam gratiam: in hoc nostro est qualitas inhærens in ipso subiecto seu substantia Sacramentali, vt ita sit res permanenter inexistens ipsi Sacramēto. Hinc D. Cypr. ser. de Cœn. Dom. *Hic cibus* (inquit) *verus & sincerus per speciem & Sacramentum*

5.

Cyp.

mentum nos tactu sanctificat. Hæc ille. Instrumentum ergo quo Deus vtitur ad sanctificandas animas in hoc mysterio, est Corpus Domini, in quo virtus viuificatiua inhæret per immanentem spiritum; de qua virtute dicitur, *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam.* Ex hoc sequitur sexta differentia: nostrum Sacramentum, quia habet naturam & virtutem permanentem, tum habere vim operandi & sanctificandi, quando tamen actu non sanctificat: cùm cetera omnia non habeant significationem aut actionem nisi pro tempore applicationis; sicut Æneus serpens, etiam cum nõ aspiceretur, habebat vim medendi, licet actu non sanaret nisi tum cùm aspiceretur. Et sicut panis est alimentum etiam tum cùm non alit, propter naturales congruentias quas habet cum re alenda, & quia potest alere si susciperetur: sic in mysterio est vera refectio spiritualis etiam tum cùm actu non alit, quia actu non recipitur. Ergo non solùm dicitur aliquid esse Sacramentum propterea quod actu impertit sanctificationem suscipienti, sed quia habet vim verè in se existẽtem, & in eum finem ordinatam, vt possit personæ idoneæ gratiam conferre. Neq; enim cætera semper actu gratiam tribuunt, ne tum quidem cùm vera Sacramenta sunt: sed semper habent in se actu vt possint cõferre gratiam. Quare hîc mihi errare videntur nõ solùm Hæretici, qui prorsus negãt esse Sacramentũ ante sumptionem: sed etiam magni aliqui viri & valde docti Catholici, qui Sacramentum quidem esse volunt ante vsum, sed tamen in alia significatione & acceptione, quàm vt nunc nomen Sacramenti vsurpatur, & secundùm quã reliqua sex Sacramenta esse dicuntur. Hoc enim si daremus, tunc Eucharistia esset vnum ex septem Sacramentis propriè dictum, tantum quando sumitur: & aliàs dum reseruatur, nomen Sacramenti impropriè haberet; eatenus nimirum, quatenus significat rem sacram latentem sub externis symbolis. Sed ex hoc subrepsit hic error (si tamen error est, & si ego non fallor) quòd non animaduerterent, species panis & vini Sacramenta dici non solùm quia continent res sacratissimas, sed pro-

Ioan. 6. 6.

Num. 21.

Sacramentũ dicitur à potentia sanctificandi.

propriè & præcipuè quia sunt signa earum quatenus paratæ sunt ad escam & alimentum. Neq; enim hæc symbola sunt Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi simpliciter vt est in cœlo, vel vt fuit in terra: sed vt hæ sacratissimæ res supponuntur speciebus comestibilibus: & propterea ea ratione, qua Caro & Sanguis Domini ad manducationem ordinãtur. quod passim Christi voces & pollicentis, & instituentis, declarant. *Caro mea verè est cibus, sanguis potus: Comedite & bibite, &c.* Neque enim vlla potest esse illustrior analogia inter visibilem formam, & inuisibilem gratiam (in qua ratio Sacramenti consistit) quàm quæ est inter species istas, & Carnem Christi comestibilem. Concludamus ergo, alia sex tum dici Sacramenta, cùm sunt in actu producendi gratiam: quia illorum esse est in actu significandi & sanctificandi. nostrum autem hoc, esse Sacramentum, quia significat & actu repræsentat atque continet diuinissimam substantiam, non solùm habentem virtutem vt possit dare gratiam, sed hac maximè de causa præsentem & præparatam vt det gratiam. neq; hoc tantum discrimen esse, vt faciat varias acceptiones nominis Sacramenti; non magis quàm panis æquiuocè dicitur alimentum ante vsum, & in vsu. Ponamus tandem pro septima differentia & vltima, ipsam perceptionem cæterorum esse Sacramẽtum, cùm vnica actione consummentur: hîc autem, perceptionem esse vsum & finem, perfectionemq; Sacramenti, rei substantiam consequentem. sicut procreatio liberorum sequitur ad Sacramentum Matrimonij, cùm tamen de eius substantia non sit.

Ioan. 6. Mat. 26.

Cætera sunt Sacramenta in vsu: Eucharistia ante vsum, vnivoce tamen.

7.

Si autem hoc loco quæras, quo diuino consilio id factum fuerit, vt hoc solum Sacramẽtum haberet permanentem existentiam, cùm cætera omnia motu & actione peragantur: Respondetur, id ita factũ esse propter hostiã quæ est ad Sacrificium necessaria, aut ex sacrificio relicta, vsui & oblationi sacræ destinata. Sacrificiũ enim & hostia nõ possunt esse nisi in rebus mutatis, sanctificatis, oblatis. Igitur cùm Deus voluerit hoc Sacramentũ esse etiam sacrificium, nõ potuit cõsistere tantùm in

Causa differentiæ Eucharistiæ & cæterorum.

actibus aut motibus ad significationem propositis, sed debebat habere rem sensibilem & constantem, in victimam & Sacrificium sanctum. Ex quo factum est, vt ad hoc singulare Sacramentum, tanquam ad pignus amoris diuini propter charissimam Christi præsentiam, populus Religionis ergô deberet concurrere, & ibi cultum & venerationem exhibere. Quod ad alia Sacramenta (quæ nullo Religionis officio coli possunt, nisi tantùm vt signa diuinæ operationis vna actione transeuntia) fieri non potuit: ad hoc autem non solùm actum sacrũ sed sanctissimam substantiam continens, talis cultus & obseruantia exerceri potuit & debuit. Vnde cùm videamus, Eucharistiam non solùm ad vsum Sacramentalem, sed ad alios varios fines esse institutam, hoc est, vt sit sacrificium, vt sit pign' summi amoris (sicut sess.13. cap.2. Conc. Trid. habetur) à cæteris plurimùm differre, & omnibus longè præstare debuisse concludimus.

Neque consecrationem, neque sumptionem esse Sacramentum.

CAP. IIII.

Mvltiplici ergo discrimine inter hoc & reliqua Sacramenta constituto, facilè cernimus, Eucharistiam habere productionem distinctam ab existentia sua, & diuersum esse à receptione sua, aliamque rationem habere externas species elementorum, & contentas res Sacramentorũ. vt proinde huius ab alijs magna sit diuersitas, quia mira in tanta excellẽtia debuit esse singularitas. Itaque quod ad rationem Sacramenti attinet quam nunc inquirimus, facilè ex prædictis differentijs rem expediemus. Et primum quidem nec *consecrationem* Corporis Christi, nec *sumptionem* esse Sacramentum, hoc communi argumento probamus: Nulla actio producens rem permanentem, habet rationem rei producendæ: quia tum esset antequàm produceretur. Sed omnium consensu consecratio vel confectio est tantùm via seu motus, quo producitur Sacra-

Sacramentum. Ergo non est ipsum Sacramentum. Similiterq; de receptione: Nulla actio planè consequēs rem in sua existentia perfectam & completam, pertinet ad eius essentiam: sed receptio sequitur completum esse Sacramenti; Igitur ratio Sacramenti in ea non consistit. Rursus, in illo propriè sita est ratio Sacramenti, in quod nomen Eucharistiæ magis quadrat. Sed Eucharistiæ appellatio non tam propriè actionibus istis, quàm ipsi rei confectæ & constitutæ conuenit. quod ex vsu loquendi antiquo patet. Nam Iustinus Martyr in fin. 2. Apolog. pro Christianis: cùm descripsisset morem sacræ actionis, tandem dicit: *Hic cibus à nobis Eucharistia appellatur.* Nemo autem vocat actionem quamcunque, cibum. Nam actione vel conficitur cibus, vel consumitur. hinc illæ loquendi formulæ vsitatæ à D. Hieronymo in com. 3. cap. Sophoniæ, & Ambrosio in vita Satyri: *facere Eucharistiam, portare Eucharistiam, offerre Eucharistiam, manducare Eucharistiam.* Vbi apertè distinguitur vsus & actio à re facta vel recepta. Non tamen negamus, εὐχαριστίαν, si vim verbi spectes, etiam actionem circa Sacramentum, vel quicquid ad Sacramentum vllo modo pertinet, posse nuncupari. Nam ita quoque impropriè, quicquid ordinatur ad Sacramentum, vel dependet à Sacramento, potest Sacramētum dici. Sed magis propriè Sacramentale diceretur. Iam peculiare argumentum, ne consecratio videatur esse propriè Sacramentum: Non est signum gratiæ Sacramentalis, quia verba nihil prorsus significant aliud, quàm Corpus Christi succedens pani. quod non est satis, nisi id repræsentet vt paratum & ordinatum ad producendam gratiam Sacramentalem in anima. Deinde si consecratio esset Sacramentum, sola forma verborum sine materia constitueret integrum Sacramentum. Panis enim non potest dici materia, quia tunc adhiberetur vnà cum forma ad producendam gratiam: quod nullo modo fit, quia per illam actionem panis esse desinit, & proinde ad nullum effectum Sacramentalem concurrit, neque ad productionem Corporis Christi, neque gratiæ in animis hominum, nisi per

Iustin.

Hier. Amb.

accidens. quatenus nimirum panis discedit in ordine ad tales effectus: cùm quælibet pars Sacramenti concurrat vt instrumentū per se, ad effectū Sacramenti producendum. Porrò, panis nullo modo potest esse materia Sacramēti, respectu formæ cōsecrationis: quia est subiectū actionis, sicut infans est subiectum verborū Baptismi. subiectum (inquam) in quod vim suam exerit forma. Sed in Sacramētis semper aliud est quod suscipit vim, & aliud quod est in eo materiale, quod vnà cum forma, & maximè per formā, operatur in subiectū. Hîc autē (quod Heretici lubenter nō cōcedunt) operatio directè tēdit in panē tanquā in subiectū. Sed dices, aut cōsecrationis actio habet materiā & formā, aut nihil in his quatuor, quæ diximus esse in hoc Sacramēto, habebit. Neq; enim species, neq; Corpus, neq; sumptio habet materiā & formā. cùm tamē Concilia Flor. & Trid. omne Sacramentū habere materiā, formam, atq; ministrū, doceāt. Respōd. satis esse ad Sacramenti rationē, si habeat materiā & formā in productione sui, licet in cōstitutione sui propriè nō habeat. Consurgunt tamē in ipsa rei existētia quædā quodammodo alia principia, virtutē & naturā priorū causarum exprimentia. In quo sensu formā huius Sacramēti potes Corpus & Sanguinem appellare: materiam, species. quorum istæ, panem & vinum: illa, formam verborum quibus fiebant exprimunt. Idem respondendum est de Ministro, qui videtur etiam requiri ad omne Sacramentum. Sed id satis est, quòd ad huius Sacramenti confectionem concurrit. neq; enim potuit ministri actio immediatè pertinere ad rei permanētis constitutionē, nisi producendo ipsam: qua producta, cessat actio Ministri. Nunc autē si peculiariter de sumptiōe quęras, ea multò minùs est Sacramentū, quàm Cōsecratio. Cùm hæc sit necessaria ad Sacramēti rationē constituendā (sine cōfectione enim Sacramentū produci nō potuit:) ante sumptionē verò, quæ rei substantiā sequitur, existat semper. Hæretici tamē volunt, perceptionē aut Sacramentū esse, aut tam necessariā esse, vt sine ea Sacramentū dici nō queat. idq; probāt, quia Christus instituit ad sumptionē: & tanto-

Materia & forma Sacramenti, quid secundum Concilia.

& tantopere coniunxit id quod dabat Discipulis, comestioni, vt diceret; *Accipite & comedite*, etiam priusquam consecraret aut pferret verba hæc, *Hoc est Corpus meum*. Respondetur: Christum nõ minùs arctè cõiunxisse illud, *Crescite & multiplicamini*, Matrimonio: & tamen Sacramentũ Matrimonij seu substantia coniugij nõ dependet ab illo. & finis rei vsusq; nunquam penè idem esse dicuntur cũ reipsa. Præterea, licet Euangelista eo ordine narret actionem Christi, vt videatur prius locutus de comestione, quàm de re comedenda, id est, de Corpore: tamen id non efficiet, ipsam actionẽ suscipientis præcedere consecrationem. quæ indubiè fiebat, vt res comedenda præstantior esset. Quis enim ita delirat, vt putet Apostolos comedisse primùm, & postea Christũ dixisse de pane iam mãducato, *Hoc est Corpus meum*: aut de Calice exhausto, *hic est Calix Sanguinis, &c*? Cùm sit apertissimum, vinum consecratum fuisse cùm adhuc esset in Calice. Neq; enim Sanguis in ore, aut in stomacho, diceretur *Calix Sanguinis*. Sed peculiaribus rationibus probatur. Sumptio non significat Corpus Christi, quod est primus effectus & signatum vel repræsentatum primum in hoc Sacramẽto, nõ modò Catholicorũ, sed etiã Hæreticorũ iudicio si sibi cõsentire velint. Nam siue sit absens, siue presens, id est quod verba pprie designãt, ipsis Caluinistis concedẽtibus. Debent enim necessariò fateri, significari & exprimi vi verborũ Christi rem cõstantem & existẽtem, siue sit corpus præsens, siue absens. Nam alioqui hæc consecratio seu forma nõ esset magis competens huic Sacramento, quàm reliquis. Nam si *Hoc est Corpus meum* denotaret aliquã actionẽ vel vim operatiuam Corporis Christi quatenus erat in Cruce, vel vt nũc est in cœlo: nõ magis applicaretur hic sermo Christi ad panẽ & Calicẽ, quàm ad fontẽ Baptismi, vel ad materiã cuiuscunq; Sacramenti. Cùm tamen ineptũ esset, dicere de aqua Baptismi, ꝙ esset Sanguis vel Corpus Christi Sed hoc argumentũ cõmodiùs tractabim⁹ tum, cũ disputandũ erit cõtra Lutheranos, Corpus Christi existere in Eucharistia nõ per manducationẽ (quod illi impudẽter asserũt) sed per

Math. 26.

Gen. 1.

Infrà, cap. 14. 35.

sed per benedictionem & verba consecrationis. Quandocunque enim existit Corpus Christi, tunc erit necessariò Sacramentum, siue existat spiritualiter, siue realiter: quia tunc erit signum & signatum, visibilis forma & inuisibilis gratia; licet Catholici Scholastici nonnulli (quibus placet, receptionem esse Sacramentum) concedant Corpus esse priùs, sed non habere rationem Sacramenti, antequam sumatur. Qui error vnà cum hæresi priori explosus est sess. 3. Conc. Trid. cap. 4. & ratione facilè refellitur. Sacramentum enim debet esse id quod existit statim ex principijs Sacramenti, hoc est, ex materia & forma adhibitis & applicatis: sed ante sumptionem adhibetur materia & forma: igitur ante sumptionem est Sacramentum.

Sacramentum esse aliquid permanens, siue species siue corpus.

CAP. V.

HIs igitur ita constitutis, & probato quòd propria ratio Sacramenti non consistat in actione antecedéte vel cõsequente: id nunc sequetur necessariò (nam id solum reliquum est) hoc Sacramentum propriè situm esse in rebus permanentibus post consecrationem. & propterea in Scripturis rei permanentis nomine sæpe vocari, panem, cibum, Carnem, Calicem, mensam, Corpus, & similia. quæ omnia denotant Sacramentale existens alimentũ, in cuius digna vel indigna manducatione salus vel interitus pẽdeat. Sed in hoc capite triplex est sententia Theologorum, à vero tamen planè abhorrens nulla. Alij volunt, Corpus & Sanguinem dici Sacramentum: alij, species panis & vini: alij, vtrunque coniunctim. Nos certè omnibus his tribus alio atque alio quidem modo, sed tamen verè nomen Sacramenti attribui posse putamus. Qui Corpus & Sanguinem Domini volunt esse Eucharistiam seu Sacramentum, habent Ignatium auctorem, citatum à Theodoreto Dialog. 3. ita scribentem: *Eucharistias & oblationes non admittunt, quòd nõ confiteantur Eucharistiam esse Carnem Saluatoris.* Habent

Ioan. 6. 1. Cor. 10. & 11.

Ignat. Theodoret.

Habent Augustinum, qui in lib.annot. super Iob dicit, *Sacramentum hoc esse panem qui de cælo descendit, hoc est, Carnem Domini.* itemque lib.1. de pec.merit.& remiss.cap.24. *Hoc Sacramentum rectè à Punicis vocari vitam, quia* (inquit) *est panis viuus qui de cælo descendit & dat vitam mundo.* Et apertissimè habẽt D.Gregorium Can. *Multi secularium.* 1.q.1. vbi apertè vocat nostrum Sacramentum Corpus & Sanguinem Domini. Habent vsum Scripturarum & Patrum penè omnium, appellãtium hoc Mysterium, *Carnem, Corpus, Sanguinem,* & communiter *Sacramentum Corporis & Sanguinis.* id est, Corpus & Sanguinẽ quæ sunt Sacramenta: sicut Sacramentum Baptismi cùm dicis, Baptismum Sacramentum appellas. Hinc *Corpus existere Sacramentaliter,* vel *sumi Sacramentaliter,* sæpè apud Augustinum. Qui etiã in Epist.23.ad Bonifacium dicit, *Sacramentum Corporis Christi secundùm quendam modum Corpus Christi esse.* Habent pro hac quoque sententia genus loquendi vsitatum, non modò nuper in Conc.Trid.sed antiquitus, *symbola,* hoc est, Sacramenta (in.1. Dialog.Theodoreti) *esse adoranda.* Et in Officio Ecclesiastico, *venerandum atque adorandum esse Sacramentum.* Vbi nihil aliud intelligi potest propriè nomine Sacramẽti, quàm ipsum Corpus & Sanguis Christi. Habent pro sententia hac etiam rationes. Vna est: illud est Sacramentum quod fit per consecrationem: sed per cõsecrationem nihil fit præter Corpus & sanguinem Domini: ergo illa videntur habere propriã rationẽ Sacramenti. Altera ratio est: illud hîc propriè Sacramentũ est, quod habet in se vim sanctificandi & quod gratiam tribuit: sed hoc est proprium Corporis Christi: Ergo Corpus Christi est Sacramentum. Iam verò qui volunt species panis & vini esse Sacramentum, eiusque propriam rationem habere, habent illi rationem & auctoritatem Cypriani de Cœn.Dom. qui docet, *illud visibile, quod est in Eucharistia, esse Sacramentum latentis substantiæ Diuinæ.* Habent item Augustinum de Catech.rud. cap. 26. vbi videtur distinguere inter Sacramentum (quod ille appellat *signaculum visibile*) atque latentem diuinam substantiam

Aug.

Greg. P.

Cyp.

Aug.

 in My-

in Mysterijs contentam. Hinc illud, *Corpus Christi esse in Sacramento*, vel, *contineri sub sacramento.* Cùm tamen sacramentum propriè non contineatur in semetipso. Ad hoc facit etiam argumentum non leue: nihil esse hîc sensibile præter externas species, nec quicquam esse Sacramentum quod non sit sensibile. Cuius ea est propria ratio, vt per res externas internam atque latentem gratiam repræsentet. Et hæc est sententia ferè omnium Scholarũ, & iam diu fuit, sicut patet ex Hugone Victorino lib. 2. de sacr. p. 8. ca. 7. Ex Magistro Dist. 9. li. 4. Ex D. Thoma p. 3. q. 73. art. 1. & ex scommate falso Ioannis VVielephi, quod eum sæpe in Christianas scholas iecisse commemorat Tho. VValdensis Tom. 2. de sacr. cap. 21. videlicet, quòd *Catholici haberent pro sacramento Eucharistiæ merum accidens, signum, & non rem, hoc album, illud nihil, fasciculum accidentium, quibus nulla esset subiecta substantia.* Ita Hæreticus. Sed & Ecclesia, nunc videtur ex Catechismo Tridentino inclinare magis in eam sententiam, vt propria ratio Sacramenti sit in his speciebus. Quod ipsum etiam Concilium sess. 13. ca. 3. subobscuriùs innuisse videtur, docens, *Hoc esse commune Eucharistiæ cum cæteris sacramentis, vt sit visibilis forma inuisibilis gratiæ:* & non inuisibilis gratia sub visibili forma. Quomodo autem possit esse visibilis forma nisi in his accidentibus, vix intelligi potest. Restat tertia sententia, quæ vult nec solas species, nec per se Corpus aut Sanguinem, esse Sacramentum: sed id totum Eucharisticum, ad cibum Sacramentalem per consecrationem paratum, constans veluti vnicum quiddam ex symbolis continentibus, & Corpore atque Sanguine Domini contentis. Et hæc sententia non habet priores aduersas sibi, sed eisdẽ potius nititur. Nam si corpus est Sacramentum, & si species Sacramentum: cùm hæc duo simul concurrunt ad effectum sacramentalem, & cùm in vnũ coniungũtur, erunt verè Sacramentum. Hoc enim manifestissimum est, externas species tam mirabili vnitatis vinculo esse copulatas rebus sacris contentis, vt vnam vtraq; habeãt existentiã quæ dicitur sacramẽtalis: dũ nimirum

Schola. *Tridentinum.* *Quid totũ constãs speciebus & Corpore, sit Sacramentum.*

concur-

concurrunt ad faciendũ vnum Sacramẽtum.qualis vnitas non reperitur aliâs in omni rerũ exiſtẽtia vel naturali, vel(vt ita dicam)miraculoſa.Hoc ergo totũ ita exiſtens eſt indubiè Menſa Domini, & Panis quẽ ille dedit nobis ad manducãdum: faciẽs vnicum ſignũ reſpectu gratię ſanctificãtis.ſicut etiã vtraq; pars ſimul cõcurrit efficaciter ad producendã gratiam: vt nõ liceat dubitare hîc, nihil minùs valere ad ſanctificationẽ ſpecies panis,quàm elemenrũ aquę in baptiſmo ad regenerationẽ.Et iſta ſentẽtia habet pro ſe illos omnes Patres,qui expreſſè aſſerunt, Euchariſtiã cõſtare ex duab⁹ partib⁹.vt Irenęus li.4.ca.4. *Noſtra* (inquit)*Euchariſtia eſt ex duabus rebus conſtans,terrena & cœleſti.* & Auguſtinus citatus à Lanfranco contra Berengarium(nam in operibus Auguſtini ſententia non extat) *Conſtat*(inquit)*ex viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili carne et ſanguine*. &c. & Damaſ. li. 4. ca. 14. *Panis Communionis non eſt panis ſimpliciter, ſed vnitus Diuinitati.* vbi etiam eleganter vocat Euchariſtiam, *Cibum compoſitum.* Eandem ſentẽtiam luculenter & validè probat illud, quòd Patres volunt,huius Sacramenti in duabus veluti naturis exiſtentiam, exemplũ eſſe perſonæ Seruatoris noſtri ſubſiſtentis in duabus naturis,diuina & humana.quod non eſſet veritati cõſentaneum, niſi totum illud,quod duabus partibus conſtat,faceret vnum Sacramentum, vnoq; Euchariſtiæ nomine appellaretur. Et,vt ratione certa omnia cõcludamus, hoc totũ quod ſpecies & res contentas cõplectitur(ſecundum hanc exiſtẽtiæ rationẽ quam habet) oritur & fit ex Conſecratione & panis tranſmutatione, quæ ſunt propriæ cauſæ conficiendi Sacramenti.Ergo totũ illud complexũ eſt ſacramentũ.

Iren. *Aug.* *Damaſc.* *Theodoret. in Dial.*

Dices igitur,quid eſt in hac cõtrouerſia ſequendũ?Aut poti⁹, vbi eſt cõtrouerſia,ſi nulla iſtarũ ſentẽtiarũ falſa eſſe probetur? dicã Quæſtio nõ eſt,an ſolę ſpecies ſeorſum cõſideratæ: vel,an Corp⁹& ſanguis ſine reſpectu aut ordine ad ſpecies,ſint Sacramẽtũ. neq; à quoquã dubitari debet, an ſimul iũcta faciãt vnũ ſalutare ſignũ ſeu Sacramẽtũ.Sed ſtat⁹ quæſtionis eſt,vtrũ hoc totũ habeat id magis ex Corpore & ſanguine, an ex ſpecieb⁹,

Status quæſtionis.

 vt dica-

vt dicatur Sacramentum. id eſt, ſitne propriè Corpus Sacramentum, & per ipſum ſecundariò ſpecies: an contrà, propria ratio ſit in ſpeciebus,& per ipſas ſecundariò in corpore & ſanguine. Nam hoc modo vtræque partes ſimul cum toto erunt Sacramentum, ſed tamen propter vnam illam partem in qua ratio Sacramenti propriè exiſtere probatur: quomodo totus Chriſtus,hoc eſt, ſuppoſitum ſacræ perſonæ, duabus naturis conſtans, Diuina & humana, cùm ſit Redemptor, Rex, Sacerdos, tamen non propterea ſecundùm vtranque naturam hæc illi nomina aut officia æquè competunt, ſed vel ſecundum alteram ſimpliciter, vel ſaltem magis propter alteram. Ita quod tribuitur toti Euchariſtiæ,poteſt tamen illi congruere,vel tantùm propter vnam partem, vel magis propriè propter vnam quàm propter alteram.

Concluſiones.

Vt igitur certi aliquid habeatur,pono aliquot cōcluſiones. 1. Prima ſit: Duo ſunt ex quibus ratio Sacramenti nouæ Legis pendet: ſignificatio,& efficientia. Sed tamē id eſt magis in natura Sacramenti (vt tale) vt ſignificet, quàm vt efficiat: quia illud eſt in definitione Sacramenti, hoc autem eſt tantùm proprium quiddam nouæ Legis Sacramētis veluti ſuperadditum.

2. Secunda Concluſio: Ratio ſignificandi eſt prior, amplior, magiſque primaria in ſpeciebus, quàm in Corpore & ſanguine. Probatur: quia ſpecies priùs ſignificant ipſum Corpus cōtentum,eiuſque deinde virtutem alimentariam, & tandem ipſam gratiam Sacramentalem quæ datur manducantibus. Cùm ex his primum, Corpus non ſignificet: quandoquidem idem ſui ipſius Sacramentum eſſe nō poſſit.Deinde ſit propriè per ſpecies,vt vel Corpus ſit alimentum tale,vel vt poſſit manducari, vel etiam vt ſenſibiliter hæc illi competant. id quod eſt ad Sacramenti rationem neceſſarium. Nam quod non eſt ſenſibile, non eſt Sacramentum. Et propterea ſi cætera Sacramenta in rebus ſtatis exiſterent,id eſt,permanentibus;ſi accuratè & ſubtiliter quis diſcerneret inter ſubſtantiam & accidentia, videret rationem ſignificandi potiùs & priùs reperiri in accidentibus,

quàm

quàm in ſubiectis rebus. Tertia concluſio: Ipſum corpus & ſanguis ſunt verè Sacramenta per ſpecies panis & vini, vereque ſenſibilia ſigna (non minùs fortaſſis quàm ſi accidentia illa propria eſſent & illis inhærerent) licet, vt ita ſint, habeant ab accidentibus. Quarta concluſio: Si efficaciam ſeu efficientiam gratię ſpectes, huius propria ratio eſt magis & priùs in Corpore ac ſanguine, quàm in ſpeciebus; & tamen illius virtutis ſpecies, fiunt planè participes. Nam & ipſæ Sacramentaliter concurrunt, & propterea inſtrumentaliter, vnà cum Corpore & ſanguine Domini, ad producendam gratiam. Atque hoc modo ſicut Corpus habet ex ſpeciebus, vt ſignificet: ita ſpecies habent à Corpore, vt efficiant: habēt (inquam) hoc à corpore tanquam vna parte Sacramenti, & non tanquam à vi Sacramenti. Non enim videtur D. Thomas exactè, nec tutò loqui q. 73. art. 1. 2m. Qui cùm in ea ſententia eſſet, vt defenderet ſpecies propriè eſſe Sacramentum, ſibíque contrà obijceret, quòd nō efficerent id quod ſignificant: reſpondet, *efficere illas quidem gratiam, ſed per Corpus Chriſti: ſicut per virtutem Spiritus ſancti operatur aqua in Baptiſmo, itaq́ ſeſe habere Corpus Chriſti ad ſpecies, ſicut virtus Spiritus ſancti ſe habet in Baptiſmo ad aquam.* Cùm planum ſit, Spiritum ſanctum eiusque vim nō eſſe partem Sacramēti, ſed cauſam principalem, vtentem inſtrumento Sacramētali ad regenerationem. At Corpus eſt pars Sacramenti, gratiam inſtrumentaliter producens. Illa autem virtus quæ ineſt Corpori, & exiſtit cum perſona Chriſti, eſt ex Diuinitate, quæ nō eſt pars Sacramenti. Vnde ſicut inter Spiritum & aquam Chriſtus apertè diſtinguit, Io. 3. ita inter Spiritum & carnem, Ioā. 6. dicens: *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam.* Quæ vis Spiritus & Diuinitatis licet ſit coniuncta Chriſti carni indiuiſibiliter, non tamen operatur Sacramentaliter aut inſtrumentaliter, ſicut caro & ſanguis Chriſti, ſed per modum principalis agentis. Quare meliùs Hugo de S. Victore ante D. Thomam, Lib. 2. de Sacr. p. 8. ca. 7. ponit tria circa hoc Sacramentum: primùm *Species*, ſecundò *Corpus & Sanguinem*, tertiò *Gratiam ſpiritualem*

tualem seu vim Spiritus Estq; hoc Scripturæ & veteri Ecclesiæ magis consentaneum, species operari per Corpus & sanguinẽ, eo modo quo dixit Augustinus, *aquam habere vim per Verbum,* quod est altera pars Sacramenti. & non quo modo dixit, vtrũq; habere vim *ex eo quod creditur, & non ex eo quod dicitur:* hoc est, ex Spiritu sancto, qui latenter, tãquam principalis causa, actionem instrumenti efficacem reddit. Vide 80. Tractatum in Io. Nam perspicuum est, Carnem esse instrumentalem causam in hoc Sacramento, cùm producat gratiam per contactum, superioris naturæ vi, id est, virtute Verbi: sicut docet Cyprianus Ser. de Cœn. Do. & Cyril. li. 4. in Io. ca. 14. Cumque sit ad Corpus pascendum aspectabilis cibus, non minùs quàm corporis in aqua lotio sensibilis esse cernitur. quemadmodum pulcherrimè docuit Tertullianus Lib. de carnis resurrectione. Vbi omnium penè Sacramentorum exactam inter se comparationem faciens, id apertè tribuit Corpori Christi, quod tribuit Aquæ, Oleo, Manus impositioni, & cæteris externis signis Sacramentalibus: hoc est, vt sit externum elementum, per quod Deus efficit vitam animæ & nutritionem. *Caro* (inquit) *aqua abluitur, vt anima emaculetur: Caro vngitur, vt anima consecretur: Caro signatur, vt anima muniatur: Caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, vt & anima Deo saginetur, &c.* D. Cyrillus elegantissimè indicauit hanc externam & Sacramentalem operationem Corporis Christi, cùm ita scribit loco superiùs indicato: *Oportuit terrestre hoc corpus nostrum cognato sibi gustu & tactu & cibo Corporis Christi ad immortalitatem reduci.* Ita ille. Hæc cùm ita sint, nemini id durum videri debet, quòd dicamus Christi Corpus & Sanguinem esse partem Sacramenti, & operari vitam & salutem animæ per actionem & comestionem externam instrumentaliter, sicut aqua in Baptismo; & sicut idem Corpus olim in miraculorum operatione cooperabatur Diuinitati, vt Cyrillus habet Lib. 4. in Iohan. ex Mat. 9. & Luc. 7. Quin illud potius est omni animi gratitudine, summaque admiratione colendum,

Vide lib. de Sacr. in gen. cap. 20.

Cyril.
Cyp.

Tertul.

lendum, quòd ad hoc vnum Sacramentum voluerit ipsum Corpus pro elemento exhibere: cùm ad cætera omnia inferiores creaturas assumpserit, vt aquã, oleum, &c. Vide Chrysostomum 83. Hom. in Mat. Id autem Corpus cùm vnicum sit, quo modo tam frequenti repetitione cedat continuò in materiam Sacramenti: & cùm insensibile sit, sensibiliter tamen inseruiat Sacramentali operi, aliàs planiùs dicemus, cùm de admirabili conuersione panis, & non minùs stupenda existentia Corporis cum accidentibus nobis differendum erit. Nunc verò pergemus, & quintam ac vltimam conclusionem constituemus, quam ita concipimus.

Infrà, cap. 33. 37.

Species Sacramentales, si comparentur ad Corpus & sanguinem sub ipsis verè contenta, ita illæ sunt solæ Sacramentum: quia solæ repræsentant, istas sacras res latentes manducationi destinari & præparari. quarum proinde respectu Corpus & sanguis sunt tantùm res significatæ, & non Sacramenta significantia. At vicissim si species continentes & res contentas inter se mutuò non compares, sed vtrasque simul iunctas ad effectum Sacramentalem conferas: tum vnà constituunt proprium Eucharistiæ Sacramentum, eo sensu quo nunc de Sacramento disseruimus. Huic conclusioni magnam lucem adfert illa celebris Scholarum Distinctiò, vsurpata non solùm à Magistro & Thoma, sed à Victorino, p.8.ca.7.lib.2. de Sacr. atq; ab ipso Innocentio 3.cap.*Cùm Marthæ*, de celebr. Missarũ. In Sacramẽto reperiri tria; Sacramentũ tantũ, rẽ & Sacramentum, atq; rem Sacramẽti tãtùm. Sacramentũ tantùm, vocãt id quod significat, & nõ significatur: rem Sacramẽti tantũ, appellãt id quod solũmodo significatur, & nõ significat. Deniq; mediũ est inter vtrũq;, id quod dicitur tam Sacramẽtum, q̃ res Sacramẽti: cuiusmodi volũt esse characterẽ in tribus Sacramẽtis characteristicis. Est enim in illis character effect⁹ Sacramẽti, & deinde spiritualis potestatis signũ. Itaq; in Eucharistia Sacramentũ tantũ, sũt species significãtes Christi Corp⁹ & sanguinẽ: res Sacramẽti tantũ, est gratia quæ tribuitur ex mãducatione:

res &

res & Sacramentum ſunt Corpus & ſanguis, quia hæc vno reſpectu ſignificant,& altero ſignificantur. Volunt autem, propriè vocari Sacramentum in omnibus iſtis, quod eſt Sacramētùm tantùm,& non illud quod eſt tam res quàm Sacramētum. ex quo ſequetur, ſpecies panis & vini eſſe propriè Sacramentum, vel ſaltem propter eas propriè dici Corpus Sacramētum. Non enim lubet hoc loco aſſerere, ſpecies tantùm eſſe Sacramentum,vt ita excludam Corpus,propter longiſſimum interuallum inter hoc Sacramentum & reliqua: Cùm hìc Corpus Chriſti,quod diximus eſſe rem & Sacramentum, propriè concurrat ad producendam gratiam eam quam ipſæ ſpecies cōferunt: vt ita gratia ſit effectus non tantùm ſpecierum,ſed magis Corporis & ſanguinis. quæ in Charactere, quem diximus eſſe rem & Sacramentum, non ita ſe habent. Neque enim Baptiſmus per characterem,vt partem ſuî,producit gratiā; ſicut nec ad ſignificationem eandem cum Sacramento propriè concurrit. Sed & illud quoque diſcrimen eſt, quòd Corpus pro effectu ſpecierum non habeatur: quo modo character eſt effectus ſui Sacramenti. Licet enim Corpus in eo poſſit dici res Sacramenti,id eſt,ſpecierū,quia per illas ſignificatur & ſub illis continetur:tamen non eſt effectus earum,quippe quæ non cōcurrunt efficaciter ad confectionem Corporis. Proindeque nec propriè res Sacramenti dici poterit, reſpectu ſpecierum. ſicut character & gratia in alijs, ipſaque gratia in hoc Sacramento: quæ reuera eſt res,id eſt,effectus vtriuſque partis.quam proinde eleganter Innocentius Capitulo,*Cùm Martha*,ſuperiùs allegato appellat *rem gemini Sacramenti*,id eſt,ſpecierum & Corporis.

Corpus Sacramentum Corporis.

Poſtremò,id in hoc genere eſt obſeruandum,corpus & ſanguinem Chriſti vt in Euchariſtia, dici Sacramenrum, ſignum, vel figuram eiuſdem Corporis Chriſti vt viſibiliter exiſtentis in cœlo, aut verſantis in terra, & maximè vt patientis in Cruce. & id ita dici propter diuerſos modos exiſtendi, quorum vnus poteſt eſſe repræſentatio alterius: & quia hæc Sacramentalis

talis existentia, & quæ circa eam sunt actiones omnes, vt manducatio, fractio, oblatio, &c. repræsentant eum statum quem habuit Christus in cruce. quemadmodum transfiguratus Dominus in monte sancto, erat signum & figura sui ipsius vt existentis in gloria. quod eleganter deducit Lanfrancus ex August. Epist. ad Bonifacium, & Gregorio lib. 4. Dialog. *Carnem Carnis, & Sanguinem Sanguinis dici Sacramentum*. Ita ille in Berengarium. Mat. 17.

Ad argumenta Hæreticorum, qui in pane constituunt Sacramentum.

CAP. VI.

AT hîc nunc quæ abundè asseruimus de ratione huius Sacramenti, duplici arte & argumento refellere conantur Hæretici. Vno, quo nituntur docere, ex absentia panis tolli omnem vim & rationem Sacramenti: altero, quo idem ostendunt ex præsentia corporis. Ad primum ita argumentantur: Repræsentatio corporis mystici & vnionis omnium membrorum ad idem caput Christum, quam Paulus planè requirit in hoc sacramento, non existit aliter hîc quàm in multorum granorum & vuarum concurrentia & coagmentatione: quæ solùm in vero pane & vino reperiuntur, in speciebus non item. Respondemus, satis esse ad sacramenti rationem, quòd hæc repręsentatio fiat & deducatur à materia vnde sacramentum conficitur, licet in ipso sacramento grana non subsistant, cùm ne in pane quidem inueniantur, sed in ipsis esse dicũtur, quia ex his facta sunt. quo modo multæ circa hominem significandi & loquendi formulæ capiuntur à luto, terra, cinere, semine, & similibus. & in hoc sensu dixit Augustinus Tract. 26. in Ioan. *Dominum commendasse Corpus suum in his rebus quæ in vnum aliquid rediguntur ex multis*. Hoc est, in tali materia instituisse sacramentum corporis sui, vnde hæc repræsentatio constitui possit. Secundò ita ratiocinantur isti: Nisi Sacramentum Eucharistię constituamus in ipso pane, peribit omnis ana- 1. 1. Cor. 10. Aug.

logia quæ deducitur à nutritione corporali ad ſpiritualem paſtum animi. qua ſublata,ne Sacramentũ quidem erit. Nam accidentia nõ nutriunt,ſed ſubſtãtiæ. Reſpondemus primùm,accidentia hæc retinere ſuas & prioris ſubiecti omnes operationes:& propterea verè nutrire,nec quicquã intereſſe,illúdne faciant naturaliter,an ſupra naturã, modò id ſenſibiliter præſtet. Secundò reſpondemus,rectè hîc dici Corpus Chriſti nutrire, ſed per accidẽtia. Et ita ſi cui videbitur durum, ſolis accidentibus id tribuere: poteſt id verè referre ad Corpus, miniſterio quidem accidentium.ſicut humana natura nõ eſt propriè paſſa in Cruce,ſed ipſe Chriſtus ſecũdùm humanam naturã. Tertiò negamus,non poſſe ſignificari nutritionẽ ſpiritualem,niſi præcedat corporalis nutritio. Nam ſatis eſt ad repręſentationẽ Sacramentalẽ,ſi per externã rei ſimilitudinẽ tale aliquid fiat, vnde analogiã mente & cogitatione conſtituere poſſis. Ex minima enim panis particula poteſt fieri & ſalutariter ſumi Euchariſtia,cùm tamẽ per exiguitatẽ ſuſtentare corp⁹ nequeat. Aut ſi integrũ panẽ in Euchariſtiã cõficias & ſumas, ex eóq; omnẽ gratiã accipias; ſæpè tamẽ accidit,vt corp⁹ tuũ nõ alat,propter imbecillitatẽ viriũ tuarũ. quod ſæpè in ægrotãtibus cernimus. Vt ergo intercedat analogia inter rem & Sacramentũ,nõ tam requiritur verus ſubſtantiæ corporalis effectus,quàm rei & naturæ ſimilitudo ex qua reliqua repræſentatio facilè colligitur. Non erat neceſſe vt ſerpẽs Æneus,ignis in rubo ardẽs,linguæ igneæ,columna nubis, & ſimilia Sacramẽta haberẽt in ſe vim naturalẽ, correſpondentẽ illi virtuti quã ſignificarũt rebus illis ineſſe,quarũ gratia ſunt inſtituta. Quare rectiſſimè D.Auguſtinus Epiſt.ad Ianuariũ,aliud nõ requirit quàm *ſimilitudinẽ* in Sacramẽtis.& Epiſt.23.ita inquit: *Si Sacramenta non haberent ſimilitudinẽ earũ rerũ quarũ Sacramẽta ſunt,propriè Sacramẽta nõ eſſent.* Igitur cùm ſimilitudo ac ſignificatio omnis magis cõſiſtat in accidẽtibus,quàm in ſubſtãtijs (illorũ enim propriũ eſt, ſenſibus externis obijci, & res latentes ad ſenſus deducere) & cùm illud ſubſtantijs nõ niſi accidentiũ officio cõpetat: id certè effi-

Num.21. *Exod.3.* *Act.2.* *Exod.13.* *Aug.*

tè efficitur, Sacramentorum propriam analogiam in accidētibus sitam esse. & proinde nihil deperire Eucharistiæ, quòd solas rerum species ad Sacramentalem significationem retineat.

Sed nunc deiecti hîc Hæretici moliuntur in alterā partem, quòd præsentia corporis Christi tollat genuinā rationē Sacramēti, hoc argumēto populari: Esse Sacramentū, est esse signū, cuius vis est in significādo. Significamus autē tantùm rem absentē, prçsentē nunquam. Ergo species nō possunt collocari ad significandum Corpus Christi præsens. Respōdemus, signum esse, vel significare, nil aliud esse, quàm rem latentem indicare per aliquod sensibile: nec quicquam referre, absénsne sit, vel præsens, quod significatur. Nam nec in vllo alio Sacramento cernitur quod requirunt, sed omnino contrarium: quia res Sacramenti, vt Character vel gratia, semper adsunt suo signo, nisi vitium sit in recipiente. Id quidem semper est necessarium vt res sacramenti lateat: vt prorsus absit a signo, non item: cùm magna ex parte res sint suis signis præsentes. Ad rubum ardentem, præsens erat Deus: ad columbam & linguas, Spiritus sanctus: ad arcam, maiestas Domini. Sed addunt leuem obiectionem vltimam: Sacramentum & res sacramenti, res significans & significata sunt opposita, sicut lumen & tenebræ: ergò non sunt simul. Respondemus, esse quidem opposita, sed non priuatiua, sicut lumen & tenebræ: nec contraria, vt virtus & vitium: nec contradictoria, vt homo & non homo: sed relatiua, quorum vnum non requirit necessariò absentiam alterius, nec diuersitatem rerum, sed tantùm diuersitatem respectuum. Idq; obseruatur in hoc Sacramēto, ne Eucharistia, vel eius vlla pars secundùm idem dicatur signum & res significata, sacramētum & res sacramenti. Et hæc hactenus.

De tribus institutionem Eucharistiæ antecedentibus: Prophetijs, figuris, promissionibus.

CAP. VII.

Deinceps quoniam omnia persequi volumus, de Institutione huius Sacramenti dicendum est. Sed ea vt illustrior redderetur, eiusque in mortalibus expectatio, desiderium, fides excitarentur magis: placuit Diuinæ sapientiæ, eam tribus veluti paramentis præuenire. Nimirum Prophetia, figura, promissione. quibus tribus modis res quæque magnæ, & præsertim Christi summæ actiones, prænunciari solent. Quocirca breuissimè hęc tria ex sensu vetustissimorum Theologorum (nam in fingendis vel accommodandis figuris ad res diuinas, ingenio non est nimis indulgendum) attingam.

1. Prophetiæ. Cyp. Gen. 49. Tertul. Iere. 11. Prou. 9. Aug. Ps. 21. Ps. 98. Amb. Aug. Psal. 33. Inf. à cap. 24. Rabbini. Iud. 9.

Imprimis ergo D. Cypria. lib. 2. Epist. 3. non dubitat, illud Genes. 49. *Lauabit in vino stolam suã, & in sanguine vuæ amictum suum*, ad sanguinem Sacramenti referre. *Quid aliud* (inquit) *dicitur sanguis vuæ, quàm vinum Calicis Dominici Sãguinis?* In quem sensum diligẽtissimè eundem locum tractat Tertull. lib. 4. contra Marcionem in fine. vbi & illud Hierem. 11. *Mittamus lignum in panem eius*, in eandem sententiam adducit. Cypr. quoque ibidem vult illud cap. 9. Prouerb. de hoc Sacramento propheticè dici: *Sapientia mactauit hostias suas, miscuit in cratere vinum suum, excelsa voce prædicans, Venite & edite de panibus meis, & bibite vinum quod miscui vobis*. De hoc etiam Sacramento illud prædictum vult Augustinus ex Psal. 21. quod & pulchrè ibidem explicat: *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ. Tunc* (inquit) *manducauerunt & adorauerunt, quando adducti sunt ad Mensam Domini, & ibi accipiunt de Corpore & Sanguine eius.* Deinde quomodo illud Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius*, tam Ambrosio lib. 3. de Sp. sancto cap. 12. quàm Augustino propheticè & secundùm literam de Sacramento intelligendum esse videatur, sicut & aliud ex titulo Psal. 33. aliàs commodius commemorabimus. Hebręorum verò Rabbini, qui longè ante Christum veteres scripturas interpretati sunt, & ex Iudicũ 9. cap. vbi dicitur, *Non possum deserere vinum quod lætificat Deum & homines*, Sacramentum in vino futurum colligebant: & totum deinde

deinde Psalmum 72. ad Messiam ita referebant, vt eam sententiam memorabilem, quam nos ita legimus, *Erit firmamentum in terra in summis montium:* Hieronymus ita vertit, *erit memorabile triticum in terra in capite montium:* neoterici interpretes sic, *placenta frumenti erit in cacumine montium*: Hæreticus Castalio ita vertit, *pugillum farris in montano vertice:* hanc (inquam) sententiam interpretans translatio Chaldaica (teste Paulo Burgensi) habeat pro *capite montium*, ita, *erit placcenta frumenti in capitibus sacerdotum.* eam igitur Hebręorum magistri apertè referunt in prædictionem venerabilis Sacramenti. Pulcherrimeque hæc interpretatio consentit adiunctæ sententiæ in qua dicitur, quòd ita *Gentes semper adorabunt Dominum, & tota die benedicent ei.* Ex his ergo intelligis, verum esse quod dixit D. Ambrosius in Psal. 38. *eorum nimirum quæ celebrantur in hoc Sacramento vetustissimam prædictionem fuisse in sermonibus Prophetarum.* De Prophetia ergo quæ in verbis sita est, satis.

Ps. 72.

Amb.

2. Figuræ.

Nunc de figuris, quæ eandem rem statis cæremonijs, solennibus rebus atque actionibus, multò clariùs præmonstrabant, dicendum est. Et certè illud est valdè memorabile, quòd nullum fuerit ab orbe condito sacrificium vel sacramentum placens Deo, quod hoc nostrum non præfigurarit tanquam summam veritatem: vel quod illi vt complemento figurarum omnium non cesserit. Hoc asserit D. Aug. lib. 1. cont. Aduers. Leg. & Proph. cap. 18. idem summus Pontifex Leo ser. de Pass. Domini. quod etiam diuinitus exprimitur in tremenda Secreta Dominicæ septimæ post Pentecosten, ita: *Deus qui legalium omnium hostiarum differentias vnius Sacrificij perfectione sanxisti &c.* Atque hanc sacram pręfigurationem in Protomartyris Abelis sanguine ac sacrificio claruisse (quo nihil potest esse in orbe antiquius) & eadem Collecta insinuat, & D. Aug. lib. 12. cont. Faust. cap. 10. elegantissimis verbis docet. *Sicut (*inquit*) vox sanguinis olim clamauit de terra, sic nūc habet magnam vocem Christi Sanguis, cùm eo accepto ab omnibus Gentibus respondetur, Amen.* Similiter Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ sacramento,

Aug.

Leo P.

Gen. 4.

Aug.

Amb.

mento,cap.1.docet,*illud sacrificium, quod Abel in primitiuis ouium obtulit, nunc maximè refulgere in Mysterijs nostris, postquam terræ munera Deo ampliùs non placeant.* & illud in vniuersum de omnibus sacrificijs alijs sentiendum est. Quæ cum in aliud non tenderent, nec in alio implerentur, quam in ipsa persona Christi; ad hoc quoque sacramentum eandem personam continens referri debent. Licet enim multa sacrificia & ceremoniç antiquę primò & per se fuerint figuræ Passionis Christi, vel Christi vt patientis: tamen secundariò semper præfigurabant eundem Christum vt in sacramento morientem, hoc est, per modum morientis offerentem semetipsum sacramentaliter. Cùm nonnulla tamen contrà præfigurarent personam Christi primò & per se vt in actione sacramentali, & secundariò vt in cruce. In quo genere fuit oblatio Melchisedec, & fortassis reliqua omnia quæ in pane & farre fiebant vt hinc tibi facilè constet, non à Theologis propterea tantùm dici, omnia vetera sacra referenda ad Eucharistiam, quia continet corpus & veritatem, cuius illa fuerunt vmbræ: sed etiam quia actiones ipsæ Sacramenti & Crucis in eodem genere officij ac Religionis erga Deum versantur. Nam in vtroque est vera ratio holocausti, victimæ, & hostiæ pacificæ: in quæ tria omnis olim sacrificiorum religio diuisa est. & hæc quidem in Eucharistia cernuntur maximè quatenus habet rationem sacrificij. quæ hoc loco à me commemorantur, cùm de sacramento agitur, quia eæ res, quæ natura & subiecto coniunguntur (quæ enim olim sacrificia erant, ea quoque plærunque sacramenta fuerunt) tractatione difficulter distinguuntur. & nostra Eucharistia, quia tum sacrificij, tum sacramenti rationem absolutissimam habet, his figuris maximè illustratur, quæ & ipsæ tam sacramenta quàm sacrificia fuisse creduntur. Tamen quia omnes figuræ non æquè pertinent ad varias huius Sacramenti rationes, placet ex vetustioribus Scholasticis Victorino, Alexandro, Alberto, Thoma, & similibus, omnis Methodi in hac disciplina magistris, annotare illud: Veteres figuras

Gen. 14.

Leu. 1. 2.

Figurarum sacramenti Euchar. tres ordines.

figuras omnes vel Sacramenti materiam & species, vel carnem contentam, vel gratiam effectam præsignificasse.

Primùm, quoad species, fuit præfiguratum sex generibus panum, idque variè. si sanctitatem spectes, præmonstrabatur per panes propositionis Exod. 40. nòn solùm propter sacram & perpetuam in Altari custodiam, sed propter singularem sanctitatem quæ non tulit quicquam impuritatis in comedentibus. Ita Damasc. lib. 4. de orthod. fide. cap. 14. Secundò, propter excellentiam horum donorum in Altari, præsignatur per panes primitiarum Leuit. 23. Vnde Irenæus lib. 4. cap. 32. appellat hæc alimenta sancta, *Primitias diuinorum munerum in nouo Testamento*. Tertiò, quantum ad efficaciam sustentationis & vt viaticum est in hac peregrinatione qua in cœlum tendimus, significatur in pane Eliæ. 3. Reg. 19. in cuius *fortitudine ambulabat Propheta 40. dies, in montem Dei Oreb. Quartò*, propter summam potestatem quam habet aduersus hostes spiritus nostri, significatur Iud. 7. in pane quem vidit Gedeon *impetu euertentem castra Madian*. Quintò, idem præsignificatum esse volunt in subcineritijs panibus ex tribus purissimæ similæ satis confectis, & Angelis ab Abrahamo propositis. 18. Gen. Vltimo loco, quia hoc nostrum paratur ad gratiarum actionem, & oblationem, & comestionem, & in omne officium Religionis: exactissimè significatur in pane & vino Melchisedec Gen. 14. Hinc Ambros. lib. 4. de sacr. cap. 3. *Melchisedec* (inquit) *primus auctor horum Sacramentorum*. & Hieron. Epist. ad Euagrium: *Melchisedec in pane & vino Christi dedicauit Sacramentum*. Et Chrys. Hom. 35. in Genes. *Vides* (inquit) *quo modo Sacramentum nostrum insinuatur. Vidisti typum, cogita (oro) veritatem, & admirare veritatem, & quo modo superioribus seculis atque ab initio hac præsignata sunt*. Item Damasc. eodem lib. 4. cap. 14. inquit: *Hanc mensam nostram mysticam priùs præfigurauit mensa.*

Exo. 40. Damasc. Leu. 23. Iren. 3. Reg. 19. Iud. 7. Gen. 18. Gen. 14. Amb. Hier. Chrys. Damasc.

Arnob. Cyp. *mensa Melchisedec.* Sic ille. Et ante hos Arnobius, & Cyprianus. Ille in Psal. 109. hic ad Cæcilium Epist. 3. lib. 2. asserunt: nostri Sacramenti imaginem præcessisse in sacrificio Melchisedec. Nec à quoquam penè Patrum est hic locus prætermissus.

Luther. Hæc ita explicaui propter impudẽtem & impium Lutherum, qui S. Thomam in Officio Corporis Christi aptissimè accommodantem ad Eucharistiam figuras huiusmodi veteris Testamenti, miratur nõ inter cæteras cõmemorasse asinum Balaam.

6. Iam verò præter ea quæ species & materiam præmonstrarunt, alia Christum sub Sacramento latentem, & non magis sacrificatum, quàm ad escam paratum, clarissimè indicabant.

Exod. 12. Sed omnium amplissimè hoc præstitit Agnus ille masculus, anniculus, tenerrimus, immaculatus, è reliquo grege ad Pascha selectus, in vna domo, quarta decima Lunæ, coniunctim, cum pane azymo, sine ossium comminutione, integer comedendus, Exod. 12 Hunc ergo Agnum omnes concedunt fuisse figuram veri Agni qui tollit peccata mundi. At ego porrò aio, eatenus fuisse figuram veri Agni, quatenus in Eucharistia erat immolandus & comedendus. idq; ex eo probatur, quòd præcipua huius agni religio fuit in modo comedendi. quod facilè ostendes & ex loco institutionis, & ipsius Christi atque Apostolorum verbis, vt Marc. 14. *Vbi est refectio mea, vbi Pascha cum Discipulis meis manducem?* & Luc. 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Secundò, quia Christus selegit sibi tempus huic ceremoniæ destinatum, ad institutionem sui Sacramenti. immò apertè & de industria transit ab illa cæna agni, in suam Cænam noui Sacramenti, admonens, se iam postremùm comedere & bibere de illo veteri Paschate & poculo: & de illo implendo, & nouo modo comedendo in regno Dei, iam tũ cogitasse & statuisse. de quo loco aliàs fusiùs. Tertio, quòd D. Paulus 1. Cor. 5. appellat Christum *Pascha nostrum*, non tam ad occisionem alludens, qua significabatur vt in Cruce: quàm ad epulum in azymis veritatis, quo modo significabatur vt in Sacramento. Quarto, quia omnes Patres consen-

Mar. 14. Luc. 22. Lib. 2. De Sacrif. cap. 8. 1. Cor. 5.

consentiunt, typicum Agnum primùm impletum esse in hoc Sacramento. Sic Chrys. in Hom. de prod. Iudę: *Ouis illa* (inquit) *fuit spiritualis ouis exemplar, & in vna & eadem mensa vtrunque Pascha & typi, & veritatis, celebratum est.* Et Tertul. lib. 4. cont. Marcionem, ita ait: *Christus professus se concupiscentia concupisse comedere Pascha suum, acceptum panem Corpus suum fecit.* Et Hychius in 23. Leuit. *Post vesperam & cœnam imaginarij paschatis celebrauit tum proprium Pascha, præueniens Crucem suam, & supersensibile atque verum Pascha Discipulis suis tradidit.* Ita etiam Paschasius lib. de Corp. & sang. asserit, *In eadem Cœna & typicum Pascha in Agno, & nouum in pane & vino cōtinuò fuisse celebratum.* Rursus D. Leo ser. 7. de Pass. *Antiqua* (inquit) *obseruantia nouo tollitur Sacramento, & discumbentibus Discipulis Christus vetus cōsummat, & nouum Pascha condit.* Hæc ille. Item Aug lib 2. cont. Petilianum. ca. 37. *Aliud est* (inquit) *Pascha quod Iudæi de oue celebrant, aliud quod nos in Corpore & sanguine Domini accipimus.* Vide eundem Ep. 86. ad Casulanum. Origenem etiam super illud, *Proximum erat Pascha Iudæorum.* Denique Gregorium in Hom. Paschali, quæ est 22ª. in Euang. vbi ita eleganter dicit: *Quid sit sanguis Agni paschalis, non iam audiendo, sed bibendo didicistis.* Et de ista figura satis.

Chrysost. Tertul. Hysch. Paschas. Leo P. Aug. Orig. Greg. P.

Nunc sunt alia quę huius Sacramēti vel mirabiles effectus, vel singularem existentiæ rationem, vel varia circa ipsum miracula olim etiam præfigurarunt. In his Manna de cœlo, *Panis Angelorum* Psal. 77. dictum, principem locum obtinet. Repræsentabat autem nostrum Sacramentum & in pręparatione seu confectione. Nam de cœlo venit, & verbo Dei formatum est: cùm de eo cibo Deuter. 8. ita scriptum sit, *non solo pane viuit homo, sed de omni verbo quod procedit de ore Dei.* Deinde huic nostro simile erat inter sumendum & colligendum: cùm *neque qui plus collegerat, haberet ampliùs: neque qui minus parauerat, minus reperiret.* Exod. 16. Tertio loco ex effect⁹ similitudine dum comeditur, nostrum inprimis repræsentat. Habebat enim *gustum simila & mellis dulcissimi,* Exod. eod. cap. & tamen ita variū,

3. Manna. Ps. 77. Deut. 8. Exod. 16.

Sap.16. vt cuiusque appetitui & voluntati satisfaceret. sicut ex 16. cap. Sap. Theologi colligunt. Sed quis negauerit, Manna fuisse figuram Christi vt in Sacramento, cùm videat ab ipso Seruatore nostro Ioan. 6. institutam comparationem inter Manna & suæ Carnis comestionem? *Patres vestri* (inquit) *manducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt: at si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et cùm Paulus 1. Cor. 10. apertè doceat, non tantùm Manna patrum, sed & aquam ex petra fluentem Exod. 17. ad Christi manducationem & potationem pertinuisse? *Omnes* enim hanc nostram *spiritualem escam manducauerunt* (licet in figura, nam *in figura omnia contingebant illis*) *& omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Ad hanc rem præclarè dixit Ambrosius in 38. Psal. *Petra quæ aquam fluxit, erat Sacramentum sacrosancti Mysterij nostri. Nam aqua de petra quasi Sanguis de Christo.* Idem lib. 5. de sacr. cap. 1. *Moyses tangit petram, & fluit aqua, atque bibit populus Dei: tangit sacerdos Calicem, & redundat aqua in Calice saliens in vitam æternam.* Sed hæc tibi pulcherrimè prosequitur & in Manna, & in aqua patrum, lib. de ijs qui initiantur Myst. ca. 8. & 9. *Reuera* (inquit) *mirabile est, quòd Manna Deus pluerit patribus, & quòd quotidiano cœli pascerentur alimento. At ista esca, quam tu accipis, est panis viuus qui de cœlo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrans, & Corpus Christi est.* Et statim: *Considera nunc vtrùm præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ vtique est Corpus vitæ. Manna enim illud è cœlo est, hoc supra cœlum: illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illis aqua de petra fluxit: tibi Sanguis è Christo. Illos ad horam satiauit aqua: te sanguis hic diluit in æternum. Illud in vmbra; hoc in veritate. Si miraris vmbram: quantum est istud cuius vmbram miraris?* Hæc Ambros. Sed vide hîc Aug. Tract. 11. in Ioan. diuinitus planè differentem, quid sit Manna Christianorum. *Sicut* (inquit: sensum tantùm refero verborum) *Veteres transierunt mare rubrum ad Manna, ita nunc transeunt à Baptismo ad quoddam aliud Manna quod absconditum est à catechumenis, quia Iesus adhuc*

Ioan. 6.

1. Cor. 10. Aqua de petra.

Amb.

Aug.

adhuc non se credit illis. Vnde facilè intelliges, apud hunc sanctum Patrem Manna nostrum non esse aliud, quàm Iesum manducatum. Sed & id summa Dei prouidentia factum est (vt notauit optimus scriptor Rupertus lib. 9. de gloria & honore filij hominis) quòd in Manna & Aqua ista præterea præfiguraretur, impias murmurationes, dubitationes, irrisiones, abusus, hæreses futuras circa hoc venerabile Sacramentum: vt ita intelligatis, impiam perfidiam horum temporum, ad nostrum singulare bonum, & Hæreticorum æternam calamitatem, præuisam, & in figuris præmonstratam esse. Mirati sunt Iudæi cum quodam fastidio, dicentes: *Quid est hoc?* Alij excitabant sibi nauseam de *cibo leuissimo* (ita enim irrisoriè vocabant Diuinam escam.) Alij apertè tentauerunt Deum in cordibus suis, dicentes: *Nunquid panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Ad illam autem præfiguratiuam aquam tanta erat præuaricatio penè omnium, vt memorabili appellatione vocaretur *Contradictionis aqua.* Quanta deinde ex hac perfidia facta sit hominum strages à Deo in deserto, nolo commemorare: tantum deducite illas figuras ad nostra tempora & Sacramenta, & omnia quadrabunt. Et illustrissimæ quidem figuræ sunt eæ quas diximus. Aliæ tamen sunt à grauissimis Auctoribus huc adductæ, quæ vehementer hanc institutionem adiuuare possunt. Rabanus cap. 16. de Eucharistia, vult, *Vasculum farinæ non deficiens.* 3. Reg. 17. esse figuram inconsumptibilis Sacramenti nostri: quo continuò ita omnes pascuntur, vt tamen nunquam imminuatur, teste Cypr. de Cœna Dominica. Paschasius verò ante 800. annos non dubitauit dicere in lib. de Corp. & Sang. Dom. cap. 7. ipsum lignum vitæ in paradiso constitutum, fuisse propriè Sacramentum & figuram nostræ Eucharistiæ, id est, Christi vt præbentis vim vitalem ex sanctissima carne sua manducata, qua sustententur, & à morte ac tabe peccati tam animæ quàm corpora reuiuiscant. August. quidem dixit esse

Contradictiones Eucharistiæ præfiguratæ in Manna & aqua.

Exod. 16.

Num. 11. 21.

Ps. 77.

Num. 20.

Farina indeficiens 3. Reg. 17. Rauan.

Cyp.

Lignum vitæ.

Paschas.

Sacramentum Christi. lib. 13. Ciuit. cap. 20. & liber Prouerb. ca. 3. id quoque tradit. Sed vt sit Christi figura vt in manducationem destinatur, hoc ipsa analogia vitalis ligni ad Christum, quæ non nisi in manducatione consistit, facilè docebit. Huic addit Rupertus, ipsi comestioni vetiti pomi notatū fuisse iam tum à Deo cōsentaneum remedium in hoc cibo cœlesti. Hæc sunt antiquissima, & sunt summa. Veruntamē illud maius certè est quod nunc vltimo loco dicemus: ipsum nimirum sanguinem fluentem de latere Christi dormientis in Cruce fuisse typum & testimonium sanctissimæ Eucharistiæ. quemadmodum & aqua itidem inde fluens, vel permixtionem calicis nostri, vel certè Baptismū designat. Nam quod D. Aug. Tract. 5. in Ioan. & in comment. Ps. 138. dicit, *Sacramenta fluxisse de latere Christi dormientis in Cruce:* illud inprimis vult, duo illa præcipua Religionis nostræ Mysteria, ad mortem Domini magis pertinentia, indicata esse, tanquam quæ æternam vim habitura essent à Passione Seruatoris, & *vt intelligamus* (inquit S. Cypr. Epist. ad Cæcil.) *nos non bibere Sanguinem nisi calicatum & expressum de latere Christi.* Et de figuris hactenus.

Prou. 3. — Rupert. — *Sanguis & aqua de latere Christi.* — Ioan. 19. — Aug. — Cyp.

3. Promißio.

Tertium quo animi hominum præparantur ad hoc grande Mysterium, est promissio. quæ licet aliquo modo in Prophetis & Figuris antiquioribus cerneretur (nam quæ prænunciabantur de Filio Dei, ea promissa erant omnia) tamē hoc loco promissionem appellamus, sermonem Dei apertum de vicino bono exhibendo, cum hortatione ac præparatione ad illud suscipiendum. Caue enim hîc putes, quicquam à me dici de illa ficta promissione, quam Hæretici volunt in ipsa Sacramēti substantia & institutione contineri, quam appellant *promissionem de remissione peccatorum per fidem.* Sed isto nostro genere promissionum Christus solebat præire rebus quibusque maximis. Ita pollicebatur Claues Matt. 16. ita promittebat Sp. sanctum Luc. vltimo. ita præcipuè nostrum Sacramentum, in quo summam vidit futuram humanæ fidei & cōsensionis difficultatem, sapientissimè Ioan. 6. antè indicauit, & ad futurum Mysterium

Vide lib. de Sac. in gen. ca. 12. 13. 14. — Ioan. 6.

(vt Chrys.

(vt Chryſ. hoc loco ſcribit) animos Diſcipulorum præparauit. Neque verò hoc tempore probabimus, ſextum cap. Ioan. propriè pertinere ad manducationem Sacramentalem (quod Hęretici ferè omnes negant, & Catholici nonnulli) aliàs commodius id facturi. Nunc in breuem iſtius loci & hui⁹ inſtituti noſtri commentarium hęc ſtudioſè notanda ſunt. primùm, pręparaſſe animos auditorum ad ſermonem durum de Euchariſtia, miraculo facto in conſimili materia, id eſt, in panibus: illos eadem penè ſolennitate, in cœlum aſpiciēdo, Patri gratias agendo, benedixiſſe, & vi ſupernaturalis accretionis & ſuſtentationis affeciſſe. Deinde ſecundò, ex ſermone quem plebs ad ventrem attenta habuit de ſigno facto in eiſdem panibus, cùm illa (vt fit) hoc nihil eſſe diceret ad miraculum Moyſis in Manna factum: Chriſtus ex eo (inquam) præclaram inſtituit contētionem non inter panes multiplicatos & Manna, ſed inter Manna & alium panem, quem ipſe daturus eſſet, & quem apertè dicebat eſſe carnem ſuam, quem quoque vt vehementer appetant, propoſito æternitatis præmio, grauiſſimè monet. Vbi ne vllam verbis figuram ſubeſſe putarent (vt notauit in eum locum Theophylactus) ita aſſeuerauit: *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus.* tum comminatur etiam, dicens: *Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* tum ſanctè pollicetur etiam: *Qui manducat me, viuet propter me.* &, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ad hunc ergo ſermonem omnes infirmi & increduli abierunt retrorſum. At Petrus & Collegæ hac diuina diſputatione confirmati, nunc ſincerè confitentur, Chriſtum *habere verba vitæ*, & manent vſque ad inſtitutionem & participationem eiuſdem Sacramenti. de qua nunc locus poſtulat vt diſſeramus.

Infra, ca. 31.

☞ *De cauſis inſtitutionis Euchariſtiæ, & inſtitutore.*

CAP. VIII.

ET de institutione quidē multa pertractāda sunt (sed breuissimè) nam scholæ ferè hanc partem non attigerunt. Licet autem institutionis causæ (de quibus primo loco dicendum est) in summè sapientem Dei voluntatem, qua omnia nostræ saluti conducibilia conuenientissimè procurat, etiam tum cùm rationes rerum maximarum ignoramus, referri debeant: tamen eius rei consentaneas causas Theologi exquirunt. Prima est (quam adfert Innocent. 3. lib.4. de Altaris Mysterio cap.44.) sumpta à primo peccato, cui vt diuina prouidentia remedium congruum conficeret, voluit id quod præuaricante gustu & esu perpetratum est, salutari Corporis Dominici manducatione resarciri: quatenus vnde mors & animę & corpori oriebatur, inde vtriq; vita resurgeret, vt sicut dictum est (inquit) de illo cibo, *Quacunque die comederis, morte morieris:* ita nunc de hoc cibo, *si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Huic coniuncta est secunda causa, petita à summa vnione, quam voluit Deus esse inter Christum & nos, itemq; inter nosipsos. Nam ea commodissima ratione mortuos posse ad vitam redire perspexit, si coagmentarentur illi qui habet vitam in semetipso, & qui gessit Corp⁹ quo solo viuificantur mortales omnes. Voluit ergo vt talis sit coniunctio inter Christū & credentes, qualis cernitur inter maritum & vxorem. quæ non solùm voluntate, amore, ac charitate mutua definitur (nam illa est vulgaris) sed quæ ex ipsorum corporum & naturarum cōmixtione sic efficiatur, vt ex ea vna duorum caro & membra vtrique indifferentia existant. Vide cap. 6. 1. Cor. & ad Ephes. 5. *Membra sumus* (inquit Paulus) *corporis, de carne eius & de ossibus eius.* Ad hanc ergo admirabilem vnitatem, quæ esse debuit inter Christum & fideles non potuit esse alia via nisi per hoc Sacramentum: in quo multò magis permiscentur corpora nostra & naturæ, quàm coniugatorum. Hoc exprimit Cyril. lib.10. in Ioan. per exemplum ceræ liquefactæ, & alteri similiter liquefactæ ceræ immixtæ,

1. Innoc. P.

Gen. 2. lo. 6.

2.

1 Cor. 6. Eph. 5.

Cyril. Alex.

vt ita vnam ceram conficiant. At verò adhuc aliquid excellentius requirit Christus in hac mutua coniunctione, præsertim cùm Ioan. 17. circa ipsum tempus huius institutionis vehementer oret Patrem, vt nos ita faciat vnum sibi atque inter nos, quemadmodum ipse & Pater vnum sunt: indubiè aliquam naturalem substantiarum participationem esse volens. Quæ singularis copulatio non alio modo concipi potest, nec alio diuino consilio congruè fieri potuit, nisi per huius Sacramenti institutionem. *Hac sola via* (inquit Cyril. 11. in Ioan) *modus inuentus est, vt qui manducet eum, viuat propter eum, quo modo ipse Christus viuit propter Patrem*, Io. 6. Vbi & eadem coniunctio insinuatur, cùm inquit: *Qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in eo.* Et certè huius causæ fundamentum sumitur ab illo Seruatoris sermone, *nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Vide Damasc. lib. 4. cap. 14. sed præcipuè Hilarium lib. 8. de Trinit.

Damasc.
Hilar.

Tertia causa est huius similis, à commendatione diuinæ charitatis, quæ dicitur nimia, hoc est, excellens, in Scriptura: qua *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, non solùm in mortem, sed etiam (quod est Chrysostomo mirabilius) in cibum. *Iob* (inquit ille Hom. 24. in 1. Cor.) *vt seruorum in se amorem ostenderet, dicebat, eos nimia in se dilectione dixisse: quis det de carnibus eius vt saturemur? quod Christus fecit, non se tantum videri permittens, sed & tangi, sed & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri.* hæc ille. Ad hunc locum de carnibus Iob, cùm esset positus à S. Thoma in officio Corporis Christi, suauiter risit Lutherus, magis ipsum ridente D. Chrysostomo, & ipso etiam S. Thoma, qui nunc in cœlo fruuntur desideratis carnibus. Sed de hac incomparabili dilectione Dei in pascendo populo suis carnibus & cruore, qua omnibus & pastoribus & parentibus antecellit, passim suauissimè differit Chrysostom., præsertim Hom. 55. & 60. ad pop. Antioch. & Hom. 45. in Ioã.

3.
Eph. 2.
Ioan. 3.
Chrysost.
Iob. 31.

Vide

Aug. Vide Euchariſtiam etiam propter hanc cauſam ab Auguſtino vocari *Sacramentum pacis & charitatis*, Tract. 26. in Ioan. Et nos certè hîc vel ex eo aduertimus intimum aliquid & ſingulare, quòd cùm cętera omnia Sacramēta extrinſecè ad corpora noſtra adhibeantur, hoc vnum cùm diſpenſatur, in ipſa carnis noſtrę viſcera immittatur. 4. Quarta cauſa eſt, vt ſit pignus permanens & memoriale omnium amorum Diuinorum, omnium Myſteriorum in carne peractorum. atque id habet etiam cùm Pſal. 110. nondum comeditur, ſed in pixide exiſtit. *Memoriam enim fecit in hac eſca omnium mirabilium ſuorum.* Suntque hęc Corporis & ſanguinis Sacramēta inſtar reliquiarum Sanctorum omnium, vt eis fruamur dum à nobis ſpecie ꝓpria abeſt Dominus. quod Chry. ſo. 7. 4. Reg. 2. Euſ. Em. D. Chryſoſtomus innuebat, cum comparauit corpus Chriſti pallio Elię, Hom. 2. ad pop. Antioch. & Euſeb. Emiſſenus Hom. 5. in Paſcha: *Quia* (inquit) *aſſumptum Corpus ablaturus erat ab oculis noſtris, neceſſarium erat vt Sacramentum Corporis & ſanguinis ſui conſecraret.* 5. Quinta cauſa eſt, vt habeat Eccleſia Dei permanens aliquod miraculum quotidianum, in quo vno totius Religionis noſtrę ſancta dogmata perſpiciamus, & con- Chryſ. tra Hęreticos defendamus. Vide Chryſoſto. Hom. 83. in Mat. hoc aſſerentem de hęreſi Manichęorum, Valentinianorum, Marcionitarum, qui omnes, ſiue veram mortem, ſiue veram carnem, ſiue reliquam vitę diſpenſationem negent, hoc ſolo Sacramento refutantur. Item contra negantes carnis reſurre- Irenæus. ctionem ex hoc Sacramento diſputat Irenęus lib. 4. c. 35. *Aut ſententiam mutent* (inquit) *aut abſtineant ab Euchariſtia.* Ignat. Theodoret. Cyril. Idem Ignatius Epiſt. ad Smyrnēſes citatus à Theodoreto Dialog. 3. Cyrillus quoque contra Arianos ex veritate Euchariſtię diſſerit 11. in Ioan.

6. Sexta cauſa dari poteſt, vt Eccleſia habeat vnum excellens & imperueſtigabile miraculum apud ſe permanens, non vt ſit 1. Cor. 15. *ſignum infidelibus* (quo modo cætera ferè omnia miracula quibus homines ex potentia & virtute Dei aſpectabili ad rerum inuiſibilium fidem perducuntur) ſed vt ſit miraculum tentationis

tionis probationisque fidei nostrę, vt ex eo constituatur in homine Christiano exercitium continuum meriti & religionis suę, dum habeat obiectum sibi in omnib' Altaribus, & in quotidiano pręcipuoque Religionis officio, in quo sensus & ratio certant contra eam obedientiam quam fidei & verbo Dei debet. Hanc rationem eleganter prosequitur optimus auctor D. Algerus lib. 2. contra Berenga. cap. 3. Nec videbis aliquod miraculum huic simile, nisi in ipsa persona Christi incarnata, cuius & Conceptio, & in duabus naturis subsistentia superabat omnia miracula, & tamen non erat sensibile signũ, ita vt per se externas credendi occasiones tribueret, sed erat occultum miraculum quo exercebatur & tentabatur fides: vt propterea dictum sit à Domino Mat. 11. *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Ita certè de hoc ipso Sacramẽto (quod Deus voluit in omnibus imitari Incarnationem) verè dici potest, in illo posita esse omnia scandala simul. Nam hîc scandalum Incarnationis, scandalum vitę, scandalum Crucis & mortis Christi, hîc omnes offensiones reliquę, pręter eas nouas quas acquirit ex speciebus & singulari existentia Sacramentali. Vltimam causam ponimus Christi mirificam humilitatem, qua sola virtute tanquam fundamento Incarnationis suę, Deus visus est consentaneè mederi nostrę superbię. Hęc humilitas commendatur, quando Deus homo factus est: sed magis, quando Cruci affixus est: at illa profundissima fuit humilitas, quando infimis creaturarum speciebus inseparabiliter se adiunxit, immò nec comedi atque deglutiri dedignatus est. Sed de hac causa lege differentem Augustinum Conc. 1. super Ps. 33. *Vnde* (inquit) *commendauit nobis Corpus & sanguinẽ suum? De humilitate,* inquit. *Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur à nobis. Respice altitudinem ipsius, cùm dicit Euangelista, In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum. & de hoc cibo æterno manducant Angeli Sed quis homo potest ad illum cibum accedere? Oportebat ergo vt mensa ista lactesceret vt ad paruulos perueniret. Cibus autem lac fit, cùm per carnem traijcitur, &c.* Reliqua etiã sunt pulcherrima:

Alger.

7.

Aug.

Ioan. 1.

vos videte locum, & Dei incredibilem exinanitionem intuemini, dum panis angelicus fit cibus hominum: & ex eo discamus nos humilitatem, dum ad has infimas panis & vini species maiestatem latentem adorare tenemur. Qua enim ratione superbia sanari potuit, si hac humilitate filij Dei sanari non potest.

Institutor Eucharistiæ Christus.

Sequitur iam vt de auctore & institutore huius tanti Mysterij disseramus. Certè & Tridentina Synodus sess. 7. can. 1. decernit, omnia Sacramenta esse ab ipso Christo per se instituta, & de hoc inprimis Euangelia apertè testantur. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. & Paulus, 1. Cor. 11. repetit, signanter dicens, se accepisse à Domino. Nec est quisquam omnium qui hîc dissentit. Nam in cæteris Sacramentis potuit vtcunque fortassis dari facultas, vt ab hominibus instituerentur: sed quis potuit hoc instituisse magis quàm ipsam Incarnationem? quis potuit habere eam auctoritatem super ipsum Christũ, vt ad verba institutionis suę esset infallibiliter pręsens Christus? Neq; etiam decuit, vt Ecclesia tota, quę est corpus mysticũ, habeat eã potestatem in caput suum. Aut quis potuit ipsum fundamentum nouę Legis, vt in quo mutatio veteris, & institutio noui cultus erat constituta, instituere, nisi is de quo dicitur: *Lex per Moysen data est: gratia & veritas*, hoc est Lex gratiæ, *per Iesum Christum facta est*? Quis deniq; debuit dedicare nouum Testamentum in sanguine Christi, nisi summus noui Testamẽti Sacerdos? Nam cætera etiam Sacramenta sunt illa quidem fundamenta nouæ Legis, & gratiam Christi coniunctam habent: hoc verò habet ipsam primam noui Testamenti dedicationem, ipsumque auctorem gratiæ continet. Proinde quin huius Sacramenti auctor sit Deus ipse per filium suum, nemo negare potest.

Vide lib. de Sac. in gen. cap. 40.

Ioan. 1.

De varijs circunstantijs institutionis.
CAP. IX.

NVNC verò quibus & personarum, & temporum, & rerum, & locorum, ceremoniarumque circumstantijs ad tanti

ad tanti Mysterij institutionem accesserit Christus, vt rei dignitas ac maiestas appareat magis, declarabimus. Et primùm in hoc genere obseruandum est, quo animo, & quàm intimo affectu parturiret orbi illud quod omnium Prophetarum figurarumque antecedentium oraculis prænunciabatur, & quãtopere gestiret ad Testamenti veteris impletionem, nouique cultus designationem. Hunc ergo in hanc rem affectum voluit exprimere, dicens Luc. 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Neque enim concupiuit tam vehementer Agni carnes, sicut Tertul. 2. aduers. Marcionem declarat: sed suum Pascha, quod post prius consummatum statim erat facturus, summo desiderio expetiuit. Et propterea tam studiosè ab omnibus Euangelistis fit mentio huius Agni paschalis, quem cùm alijs multis annis comedisse credatur, tamen non erat antè commemorandum, quàm ex illius impletione vltima nouum Pascha esset constituendum. Magnum ergo & excellens bonum redemptionis, & singulare officium esse oportuit in hoc Sacramento, quod Christus hic tanto desiderio peragebat. Secundo loco, quem animum gesserit in suos, & expresserit, respiciens ad hoc Mysterium, quod statim confecturus erat, ex eo intelliges quod Ioannes cap. 13. innuit. *Sciens* (inquit) *Iesus quia venit hora eius vt transeat de hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, &c.* Ergo summo amore & (vt ita dicam) finali dilectione complectens eos & omnes fideles, accessit ad hoc diuinum opus. Tertiò quia rem grandem facturus erat, suam auctoritatem demonstrat. *Sciens* (inquit Euangelista Ioannes Cap. 13.) *quòd omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, &c.* Ita cùm volebat instituere vel promulgare Baptismum Mat. vltimo, commemorauit auctoritatem suam his verbis. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Et in institutione Sacramenti Pœnitentiæ, docet se à Patre missum esse, & eius rei facultatem accepisse.

Desiderium Christi.

Lu. 22.

Tertul.

Finalis dilectio.

Io. 13.

Commemoratio datæ potestatis.

Io. 20.

Et certè licet Ioannes ipsam institutionem Cœnę tacuerit, eò (vt opinor) consilio, quo postea plęrosque Veterum rectè & cautè propter scãdalum infirmorum & stultitiam infidelium, illud attigisse constat: tamen omnium Theologorum iudicio, multò plura quæ ad circumstantias Cœnę pertinent, literis mandauit, quàm cęteri Euangelistę. Quartò obseruandum, non solùm quantam ceremoniam adhibuerit in ipso opere, vt cùm suspexit in cœlum, & singulares gratias Patri egit: sed quo modo etiam singulari ceremonia lotionis pedũ, & ad rem futuram valde accommodata, Sacramenti institutionem pręuenerit: per eam docens, quãtam humilitatem, charitatem, munditiem requirat ad futurum Sacramentum quod meditabatur. Vide Bernard. de Cœn. Do. & Ambros. lib. de Mysterijs cap. 6.

Inspectio, gratiæ, lotio pedum.

Oratio.

Quintò, hanc institutionem illustrem reddit ea diuina oratio quam habuit Seruator Io. 13. & subsequentibus Capitibus, aut in ipsa Cœna, aut certè statim ex confectorum Mysteriorum & inchoati noui Testamenti occasione post Cœnam. *Nunc cognouerunt* (inquit) *quia omnia, quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt.* Et rursus: *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Et rursus: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum,* Et rursus: *Ego pro ipsis sanctifico memetipsum.* Ita enim Theophylactus & Euthymius interpretantur hanc sanctificationem, vt ad oblationem Cœnæ pertineat. Sanctificari enim dicuntur ea quæ offeruntur. Ex quibus omnib⁹ quàm sit intimum hoc Christianæ Religionis Mysterium, quis non videt? Nam hoc semel incepto, iam ante mortem mortuus esse videbatur: & priùs esse dedicatum nouum Testamentum in sanguine Christi, quàm sanguis Christi funderetur. Iam ergo commemorat de Regno, iam dicit se non esse de hoc mundo, iam denique omnia consummata esse. Sextò, ipsum tempus huius institutionis non temerè, sed Diuino consilio præscriptum, hoc totum Mysterium illustrius reddidit. Hîc ergo, si spectes tempus vitæ suæ, erat instar Testamenti, vltimum in mortalibus operibus *vt tenacius*

Tempus vitæ.

infigeret

infigeret mentibus fidelium, & vt vehementius commendaret Mysterij altitudinem, inquit Aug. Epist. ad Ianu. Si tempus anni spectes, aut festiuitatis, erat prima dies azymorum, feria quinta, decima quarta Luna: si tempus diei requiras, erat ad vesperam, vt actio sacra & noua, per omnia figuræ positæ in Agno paschali correspondere t. Si tempus & opportunitatem rei gerendæ notes, videbis hoc insigne opus peregisse Dominum post inchoatam Passionem, quasi in tertio ordine eorum quæ facta notantur circa mortem Christi. D. enim Thomas. 3. p. q. 83. art. 5. ad 3m. vult passionem Christi quibusdam quasi gradibus peractam esse. In primo gradu ponit, traditionem: in secũdo, venditionem: in tertio autem, Sacramenti institutionem & dispensationem. Vnde obseruare licet, quàm sit coniunctum hoc quod in Mysterio peragitur, ipsi Passioni Dominicæ. Quã etiam ob rem nec differenda erat eius institutio ad dies illos sequentes Resurrectionem, quando alia quædam Sacramenta tradita esse constat. sed debebat incidere in ipsum tempus & medium opus, in quo salutem propriè operatus est Dominus. Hinc Seruator opportunitatem rei gerẽdæ notans, inquit 26. Matt. *Tempus meum propè est, apud te facio Pascha.*

Tempus anni & diei.

Septimò notandum est, ipsius quoque loci habitam esse rationem. Nolebat enim committere, vt alibi hæc noui Testamenti ordinatio fieret, quàm in ipsa Ciuitate sancta Hierosolymorum, vt ita & figuras imitaretur & impleret, mortisque etiam rationem, quæ alibi quàm in illa principe & ad sacrificia destinatâ vrbe esse non debuit, per omnia sequeretur. Hinc Dominus: *Ite in Ciuitatem.* Pari quoque studio aduertendum est, quem locum in ipsa vrbe, & quem hospitem elegerit. Hæc enim omnia non nisi diuino consilio conquisita esse creduntur. Hospitem ergo eligit fidelem, taciturnum, & (vt apparet) non ignarum diuinorum consiliorũ, quem sciebat statim concessurum secretum cubiculum ad omnia peragenda. Id enim conijcimus ex verbis Seruatoris, quibus vult discipulos cõmonere eum, *Magistrum dicere, tempus suum propè esse.* nisi id potiùs di-

Locus.

Math. 26.

tiùs dicamus, imperio vsum fuisse in hunc hominem, & in eius domum, & ita diuina potentia inclinasse eius animum ad ea facienda quæ vellet, quemadmodum in abducendo asino ad Dominicum vsum, paucis antè diebus factum esse legimus. Hominem tamen non nominauit, nec locum apertè indicauit, ne Iudas cognita domo (vt ait Euthymius) interim ad Iudæos recurreret, & ita hoc grandi Mysterio infecto Dominus raperetur ad necem, aut saltem in media institutione diuina Sacramenta impedirentur. Ad hunc ergo talem hospitem indicijs & miraculo inquirendū mittit Petrum & Ioānem, simulque selectum locum & honorificum in illius viri ædibus tam illustri dedicationi noui Testamenti congruum designat. Ita Dominus apud Luc. 22. *Ipse* (inquit) *ostendet vobis Cœnaculum grande stratum.* De quo magno Cœnaculo vide Orig. Hom. 35. in Matt. Octauo & vltimo loco, Mysterij, quod molitur Dominus magnitudinem demonstrat, quòd ad eius institutionem non alios de sua familia admisit nisi Apostolos, quos & hoc magnum secretum condocefactos sciuit ex sermone habito Ioan. 6. Nolebat enim alios adhibere quàm eos, qui ad hanc rem omnem fidei obedientiam apertè professi fuerant. Cùm nullo modo esset consentaneum, vt, in ipso grandi opere, impiorum contrarijs vocibus impediretur summus Sacerdos. Nec etiam hìc vel sanctissimæ matri erat locus, aut alteri cuiquam fidelium, licet in vrbe etiam tum fuisse putemus, & alioquin ad esum Agni vel iure familiæ admitti potuerint. Sed ijs tantùm hìc locus concessus est, quibus noui cultus Ecclesiastici administratio suprema, & istius imprimis Sacramenti, confectio tribuenda erat. Nam hìc nunc vno & eodem loco, ijsdemque maximè verbis duo Sacramenta instituuntur: & hoc de quo agimus, & Sacramentum Ordinis. Quæ res duæ simul iunctæ, & illustriorem reddiderunt actionem, & effecerunt vt reliquum vulgus Discipulorum vel sanctissimum non adesset. Et Iudas quidem, solus impius & infelix, adfuit etiam. Nam *hic*

Mar. 11.

Præsentes soli Apostoli.

Adfuit Iudas.

quoque

quoque (inquit D Petrus Act.1.)*connumeratus est in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius.* Et Scriptura ipsa Euãgeliorum, sensus Ecclesiæ, & bona pars Theologorum hunc præsentem fuisse vsque ad peracta Mysteria sentiunt, licet alij quidam negent. in qua re vt immoremur, operæpretium non esse existimamus.

De Eucharistiæ institutione, materiaq́; in pane ac vino.

CAP. X.

NVNC verò his ita explicatis, aggrediemur (diuina gratia adiuuante) ipsam institutionem. Est autem institutio Sacramenti nihil aliud, quàm prima designatio materiæ certæ, & præscriptio conceptæ verborum formæ applicandorum ad eandem materiam, & auctoritas data super confectione & continuo vsu earundem. Materia hîc est, panis & vinum: forma verborum est illa, qua Christus in his consecrandis vsus est. auctoritas datur Ecclesiæ in his verbis, *Hoc facite*. Rem gestam accipere est ex tribus Euangelistis prioribus, Matt. 26. Marc.14. Luc. 22. ex Paulo, 1. Cor. 11. & plenissimè ex sacro Canone. Ab his omnibus traditur, Christum Dominum, inter cænandum, ea nocte qua tradebatur, accepisse panem, benedixisse, fregisse, dedisse, & ita assumpsisse & dedicasse hoc alimentum ad perpetuum vsum huius sanctissimi Sacramenti. Similiter & Calicem vini ad alteram Sacramẽti speciem suo facto ac præceptione commendasse.vt grauissimum scelus committeret,qui in alio quouis genere creaturarum, vllo vnquam tempore conficere conaretur. Vide Epist.3.lib.2. D. Cypriani & D.Irenæum lib.4. ca.32. Christus (inquit) *dans consilium Apostolis offerre primitias ex suis creaturis, eum qui ex creatura panis est accepit, & gratias egit. & similiter Calicem, qui est ex ea creatura quæ est secundùm nos.*

Vide de Sac. in gen. cap. 16. ad 27.

Historia institutionis.

Sed ratio huius disciplinæ postulat, vt deinceps de Sacramenti

De materia Eucharistiæ.

menti legitima materia, quæ accepimus, fusiùs tradamus. Rectè enim monet Aug. lib. de Catech. rud. cap. 26. hominem Christianum in eo inprimis esse instituendum, quo modo hæ rerum species in vsum Religionis venerint. Et quanquam non sit opus, perspecta Dei voluntate suo exemplo & mādato proposita, in hac obseruantia Religionis nostræ, facti diuini rationem reddere: tamen si causas quæras, quamobrem Christus ad hoc Sacramentum spiritualis alimoniæ, panem & vinum potiùs, quàm ex cæteris esculentis & poculentis vllum deputauerit, ita res habet: Has inprimis creaturas & rebus nostris, & Sacramenti rationibus maximè conuenire. Nam si significationem Sacramentalem, quę ad animæ robur & recreationem pertinet, spectes, non potest aliud alimentum esse aptius: cùm panis cor hominis confirmet, & vinum spiritum vitæ mirificè recreet. Quæ porrò duo genera in potu & esca integram per se refectionem continent, naturæ humanæ sunt summè cōsentanea, & in omnibus commodis refectionibus, alijs cibis adiungūtur. Quorum proinde vsus sine fastidio est, & in omnem partem vitæ latissimè patet; quibus solis sine cæteris sanè & salubriter viuitur; sine ipsis autem nec reliqua omnia ad pastum data solidam & generosam sustentationem efficiūt. Sunt quoque *primitiæ ex creaturis Dei*, inquit Irenæus lib. 4. ca 32. Sunt ad Religionem res valdè mundæ & tractabiles, commendatæ in ipso Melchisedeci officio ad ritū noui Testamēti, tanquā cōmodiores species rerū, q̄ cadauera, cruor, carnes, & huiusmodi, quę sine summa sorditie tractari nō possunt. Et ad vnitatis Ecclesiasticę significationem, ex granorū & vuarum in vnum in vtroque genere coitione, valde accommodæ. Hinc Aug. 26. Tractat. in Ioā. inquit, *Dominum commendasse Corpus & Sanguinem suum in his rebus quæ ad vnum rediguntur.* Denique tales res sunt, vt his penè solis imago morientis Christi, hinc Corporis, illinc Sanguinis & oblatione, & manducatione, & ipsa existentia specierum, humanis animis & oculis obijci potuerit.

Ps. 103. Iren. Gen. 14. Aug.

Atque

Atque hæ ſpecies rerum ad Religionem ita aſſumptæ, tam illuſtres fuerunt ſtatim in primitiua Eccleſia, vt ſæpè nomen toti Sacramento tribuerint: Vt *Sacramentum Panis aut Calicis*, aut *fractio Panis*, aut *benedictio Calicis* diceretur. Vnde etiā Dæmon veri cultus hoſtis, ſtatim conſectabatur varias vias, vnde hoc ſtudium Religionis circa panem & vinum perturbaret. Hinc excitauit homines externos qui accuſarent Chriſtianos, quòd Cererem & Bacchum colerent. ſicut docet Aug.lib.20. cont.Fauſt. cap.13. Tum deinde vt noſtros deterreret magis, eaſdem materias in ſua profana ſacra ad imitationē Fidelium tranſtulit, affectans eum honorem, quem vero Deo debitum eſſe ſciuit. In *Mythræ myſterijs* (inquit Iuſtinus Apolog.2.pro Chriſtianis) *Dæmones noſtrum Sacramentum imitari conati ſunt, & panem & poculum cum quibuſdam incantationibus, initiandis apponere ſolebant.* Hæc ille. Sed cùm hac ratione illi non ſuccederet, idem malignus hoſtis in varijs Hæreticorum officijs ita curauit has deſtinatas ſpecies aut corrumpi, aut peruerti alijs ſpurciſſimis rebus additis, vt maximam Religioni plagam attulerit. Nam ſicut in cæteris partibus huius ſummi Sacramēti deprauandis aliàs diligenter verſatus eſt; ita in primitiua Eccleſia in conſpurcanda aut immutanda materia præcipuè laborauit. Primùm hoc ſtuduit per Cataphrygas, teſte Aug. hær. 26. ad Quoduult. quos perhibet, panem Sacramentalem confeciſſe ex farina & infantis anniculi ſanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionibus extorquebant. ex quo ſi mortuus fuiſſet, habebatur apud eos pro Martyre: ſi autem vixiſſet, pro ſummo ſacerdote. Secundo loco Pepuziani hæretici, Artotyritæ dicti à pane & caſeo (teſte eodem Aug. Hær. 28. eiuſdem lib.) farinam & caſeum vnà miſcebant, vel certè ſeparatim proponebāt, ad materiam oblationis. quod & Epiphan. dicit, eos proponere ad ſua myſteria panem & caſeum. Manichæi deinde panem horribiliter profanarunt in ſuis nefandis myſterijs, miſcentes ad mundationem farinæ, quam impuram eſſe volebant, ſemen humanum, vt ita execrabilis fieret materia Eu-

Ceratus Dæmonis.

Aug.

Iuſtin.

Hæreſes circa materiā panis.

Hæreſ. 69.

ria Eucharistiæ Hæc Aug.etiam lib.eodem, Hær.46. Ophitæ verò (ita à serpentum cultu dicti) alebant colubrum, eumque emiserunt è spelunca altari propinqua, vt lambendo panem mundaret, & formaret in vsum Sacramenti. ita narrat Aug. Hær. 17. An tamen hi materiam planè corruperint, incertum est: licet cæteris penè sceleratiores esse videantur. at priores, quia apertè corrumpebant materiam à Christo præscriptam, nihil prorsus conficiebant. Condemnantur autem omnes tales, non solùm sententijs Patrum quos nominauimus, sed etiam Decretis Pontificum & Conciliorum, quæ nunc extant de conf. dist. 2. ca. *non oportet.* & ca. *in Sacramento Corporis.*

Hæreses circa materiã vini. De altera verò Sacramenti parte, quæ in vino conficitur, hi errores extiterunt. Primus Manichæorum & Priscillianistarum, qui vinum omne, vt fel principis tenebrarum, abominabantur: & ex hac superstitione dimidiatum Sacramentum & faciebant, & sumebant. Hoc sacrilegium commemorat & refellit D. Aug. sæpè in libris contra Faustum: & Gelasius Pontifex Epist. ad Maioricum & Ioannem. & D. Leo ser. 4. de Quadragesima. Altera fuit hæresis Aquariorum, qui *aquam* (inquit Aug. Hær. 64.) *offerunt in poculo Sacramenti, & non illud quod omnis Ecclesia.* Et D. Chrysostomus Hom. 83. in Matth. ita eos arguit: *Dominus noster vinum post resurrectionem bibens, perniciosam quandam hæresim radicitus euellere voluit, eorum, qui aqua in Mysterijs vtuntur.* Erant deinde sectatores cuiusdam Marci, ab eo appellati Marcosiani, apud Iren. lib. 1. ca. 9. & apud Epiphanium hær. 34. Isti (vt apparet) habebant poculum Eucharisticum aqueum, sed vino albo permixtum, quod murmure magico & incantatione rubicundum faciebant, vt ita proponeretur in sacrificium. Patres verò Concilij Braccarensis. 3. in synodi præfatione, grauiter conqueruntur, quosdam illis temporibus ambitione schismatica, contra diuinam ordinationem & Apostolicas institutiones, lac vini loco sacrificio noui Testamenti dedicasse. Fuerunt

runt quoque alij notati ab eodem Concilio, quòd expressum vel contusum botrum in calicem pro vino in mysterijs apponerent. vt ita ipsa comminuta vuarũ grana sæpè sine succo suo populo tribuerẽt. Nam de musto iam recens in ipsum calicem ex vuis expresso, alia est ibidem & ratio & mentio. Videatur apud Gratianum de cõs. dist. 2. cap. *cum omne*. Tum ibidẽ commemoratur alius error, eorum, qui pannum lineum musto intinctum, & per totum annum reseruatũ, tempore celebrationis aqua lauarẽt, vt ita aqua ex intincto panno saporem & colorem vini contrahens, offerretur in sacrificio Eucharistiæ. Hos omnes execrabiles errores & abusus, quos hostis veræ Religionis Dæmon inuexit in hanc partem Sacramenti, cõdemnat Concilium Carthaginense tertium, cap. 24. his verbis. *In Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nil aliud offeratur, quàm quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum. Primitiæ verò, seu mel, seu lac, seu alia quæ solent offerri, quamuis in Altari, tamen habent propriam benedictionem, & à diuinis Sacramentis distinctam.* Hæc Concilium. Ex quo videor mihi videre, vnde irrepserint hi abusus tam graues, vt vuæ, caseus, lac, & similia, tandem haberentur pro parte eius materiæ ex qua summa Sacramenta fiebant. Nam cùm populus antiquitus in ea parte sacrificij, quam Offertorium appellamus, panem & vinum ad vsum Dominici Sacramẽti, tum cùm magnus esset cõmunicantium numerus, offerre soleret: & prçterea ex peculiari deuotione desideraret alia quædam cibaria dedicare vel ad benedictionem sacerdotalem proponere: tãdem effectum est impietate quorundã aut negligentia, vt in ipsa sacrificia transirent. Quod statim animaduertens Ecclesia Dei, huic superstitioni grauissima cẽsura remedium attulit. Neq; enim hic error progressus est longiùs, nec vnquã valde latè patuit. Concilium quoq; Generale sextũ Can. 32. in Armenis eundẽ errorẽ damnauit, hoc etiã ipsum caput Carthag. Cõcilij, quod nũc recitauimus, cõtra eosdẽ adducẽs. Postea etiã Concilia Florentinũ, & Tridentinum cap. 3. sess. 13. decernunt, vinũ vitis esse veram

materiam huius Sacramenti. Idem definitum reperies, de celeb. Missarum ca. *Cum Martha*, &,de summa Trinitate, cap. *Firmiter*. Neque verò se possunt isti aut tueri, aut commodè excusare, quòd Scriptura nusquam dicat Vinum fuisse in eo Calice quem in Cœna consecrauit Christus: & quòd vbiuis poculi, vini nusquam fiat mentio: quia apud Lucam, *Calicem geniminis vitis* ante institutum Sacramētum in eadem Cœna, & apud Matthæum, etiam post institutum Sacramentum, illius mensæ poculum *Calicem geniminis vitis* appellauit. Et Scriptura alludens ad hanc speciem Sacramenti, Christum *vitem* nonnunquam nominat, eiusque cruorem *Sanguinem vuæ*: non minùs quàm propter alteram Sacramēti speciem, cum *granum frumenti*, & corpus in Cruce *Panem in ligno* vocauit: vt Innocent.3.lib.4.Myst.ca.3. obseruauit.

Ad argumēta eorum qui vino nō vtuntur.

Luc.22.

Mat.26.

Io.15.

Gen.49.

Io. 12.

Iere.11.

Cuiusmodi panis & vinum sint necessaria Sacramento.

CAP. XI.

HIc nunc Theologi nostri, ne quid in re vna omniū grauissima erretur, & vt statam materiam, certumque Sacramenti elementum constituant, subtiliter & copiosè disputant de substantia ipsa panis, & natura, nomine, ac confectione: de quantitate etiam hic requisita, deque varijs panum generibus, differentijs, qualitatibus. Nec minùs distinctè de Vino, eiusque varietate ac multiplici differentia. Nos certissima quæque, huic tempori ac loco magis cōsentanea, persequemur. Omnis igitur de materia quæstio duplex est. Vna, quæ sit materia tam necessaria ex institutione & ratione Sacramenti, vt sine ea Sacramentum nec esse, nec confici possit. Altera, quę sit saltem ex præcepto necessaria, quam nisi adhibeas, grauiter in legem Christi vel Ecclesiæ delinques, sed tamen sine qua Sacramentum non sit irritum. Priorem appellant materiam necessariam necessitate sacramenti: alteram, tantùm necessitate præcepti. Sine priore, nihil planè conficies: sine posteriore, absque peccato non conficies.

Necessitas sacramenti & præcepti.

In pri-

In primo genere erratur, si aliquid assumatur, quod non sit propriè panis. vt si tantùm farinam, aut similam, aut massam incoctam, aquaúe elixam sumas: aut si farina, ex qua panis fit, fuerit aliquo alio humore quàm elementari aqua temperata, vt lacte, vino, aqua rosacea, aliquóue succo herbarum: vel saltem si in panis confectione, maior sit istorum copia, quàm veræ aquæ. Si rursus id adhibeatur, quod mucore ac vetustate planè corruptum esse constet, aut vllo modo perspicuum sit non esse, aut nunquam fuisse panem. Non est enim opus hîc disputare subtiliùs, an massa farinæ sit eiusdem speciei, vel alterius à pane. &, an ab igne concoctio sit tantùm accidens pani, non immutans aut cõficiens naturam rei. Christus panem accepit, humanæ manducationi arte ac igne præparatum quanquam verior philosophia doceat, panem ab incocta massa specie differre, licet subtiliores quidam pernegent. Deinde verò ad quęstionem materiæ pertinet, vt exploratum habeamus, in quo genere panis conficere possimus. Christi certè exemplum non videtur præscribere certam speciem panis, magis quàm certũ genus vini. Ipse indubiè in pane triticeo consecrauit: nec erat (vt conijcimus) alius panis in Cœna illius solennitatis Paschalis. & triticeus est ad significationem Sacramentalem magis, quàm cœteri, accommodus. Tamen cùm in certo etiam genere vini mysteria fecerit, alia non prohibuit: & Ecclesia quocunque vero vino vtitur. Antiquitas quidem nihil hîc nos adiuuat, nec Theologi vetustiores aliud quàm panem & vinũ esse materiam tradunt. Ita Cypr. lib. 2. Epist. 3. & Damasc. lib. 4. cap. 14. & cæteri penè omnes. Solùm Carthag. concilium. 3. cap. 24. panem de frumento innuit esse materiam. Scholastici in varias & dissentientes sententias abierunt. sed omnes primùm in hoc consentiunt, panem ex leguminibus cõfectum (si is sit panis dicendus) non esse materiam huius sacramenti. id est, ex fabis, pisis, cicere, lente, siliquis, & similibus. nedum ex radicibus herbarum, aut fructibus arborum, vt amygdalis, castaneis nucibus, & huiusmodi. Sed difficultas maior est de varijs generibus

Cautiones circa panem.

frumenti, vnde verè panes fiunt. Hic quoque (ne incerta confectemur) est vna omnium conclusio, panem ex tritico confectum esse materiam huius sacramenti, & prorsus excludi hordeum, auenam, milium, ex quibus panem humanum propriè fieri nolunt. De spelta verò, farre, & alijs quibusdam frumenti generibus, ex quibus fit delicatissimus & optimus panis (quorum mentionem facit D. Hieron. in 4. cap. Ezech.) aliqui, vt D. Thomas, negant: sed maior pars consentit, ea esse in speciebus tritici numeranda. De siligine etiam, quam triticum esse volunt, non dubitant; & in vniuersum, de eo omni consentiunt, quod generatim potest nomine tritici comprehendi: vel (nisi fallor) in quod potest triticum in terram iniectum, immediatè conuerti, aut facilè degenerare. Nam hac maximè causa hordeum excludunt, & milium, cæteraq; minus generosa frumenta, quòd ita à tritico differant, vt nullum inter ea symbolum aut transitus reperiatur, adeò vt ne humanum quidem cibum ex his, sed beluinum confici putent. licet fame aut caritate vrgente, sæpè cōgantur homines hæc, quomodo & fabas & legumina, ad panem arripere. At certè Christus Seruator noster hordeaceos panes non recusauit, & in eis miraculum refectionis operatus est. eorumque apud Prophetas & populum Dei, etiam in illa terra lacte & melle fluente, magnus semper fuit vsus. Et Plinius lib. 8. cap. 7. naturalis historiæ dicit, hordeum esse frumenti speciem. Et ex doctissimis viris nonnulli id existimant esse satis, vt sit panis de frumento, multæque sunt gentes quæ aliud frumenti genus non habeant, vt nouus orbis Occidentalis his proximis annis repertus, qui prius non generauit triticum. Vsus quidem Ecclesiæ, & consensus Scholarum, & ipsum Conc. Florentinum in triticum conspirarunt. Quod Catechismus etiam Tridentinus secutus est, (cui multum meritò tribuendum est:) Sed cùm incertum sit, vtrùm de materia necessitatis, an præcepti intelligenda sint, nihil audeo temerè asserere. Cōmunis sententia semper est tutissima. Id certè assevero, grauissimum es-

An hordeũ sit triticum.

Io. 6.

4. Reg. 4.

num esse peccatum, in hoc inprimis Sacramento, vti materia
ubia:& ab eo in æternum esse abstinendum potiùs (cùm non
t Sacramentum necessitatis) quàm committere, vt ad rem di-
nissimam incertam materiam adferas. Postremò notandum,
ermixtionem aliarum rerum non legitimarum, vt aroma-
m, aliorumúe similium, si tanta sit vt superet, aut æquet,
t vllo modo proximè accedat ad quantitatem tritici: ipsam
eciem panis immutare, & ad consecrationem ineptam red-
re. ac proinde nec in amylo (quod apud D. Thomam amy- P.3.q.74. ar.3.ad 4.
m corruptè scribitur) confici posse. in quo (nam ex eo nomē
bet) non mola comminuitur triticum, sed arte & vehemen-
n aqua maceratione soluitur secundùm ipsam substantiam
actcum quendam humorem, vnde delicatissimas placentas
unt. Et de specie panis satis.

Nunc de Calice Sacramenti dicendum est. in qua parte dif- Cautiones circa vinū.
ltas institutionis est minor, sed studium Sacerdotum &
gentiam maiorem hic, quàm in pane, esse oportet. Quia
pter defectum vini, in multis septentrionalibus partibus,
locis incultioribus ferè omnium gentium non raro assu-
ntur impura vina & acetosa, planeque corrupta. eaque
æpè cauponum fraus & auaritia, vt plebi imperitæ vi-
aqua ex dimidio mixtum, sæpè ex succo pomorum con-
m, aliaque id genus similia vendant. tum verò quia tan-
difficultas habendi in plærisque locis, vt frequenter diu-
eruatum in lagenis, vappa vel acetum fiat, aut ita pla-
orruptum, vt an vini natura permaneat, meritò dubi-
queas & debeas. Sæpè etiam in ipsis vrbibus tam ar-
ofè tractantur vina ex rebus varijs iniectis, ex aroma-
admixtis, ex melle apposito, ex alijs liquoribus ad-
is, vt difficilè intelligas quid tibi apponatur. Sæpè e-
uccus delicatus malorum punicorum, aliorumque aci-
n ac baccarum, vini simillimus, pro fructu vini exponi-
lemq; periculū est ab illo agresti vino, quod ex vuis ite-
ut tertiò pressis, magna aquæ copia iniecta, conficitur.

Nam

Nam si aqua vinum superet, licet colorem aut saporem retineat, tamen vinum non est, nec ad consecrationem idoneum. In his ergo omnibus sit illud exploratissimum, solum propriè dictum vinum de vite ab vuis expressum, & omne quod huiusmodi est, incorruptumq; existit, esse legitimam materiam huius partis Sacramenti: nec vlla necessitate vrgente, hominem scientem & volentem posse ex omnibus alijs arborum, fruticum, herbarum, acinorum, aliarumúe rerum liquoribus vllum ad Sacramentum hoc vsurpare. Debet enim esse ex genimine vitis: debet esse in eo in quo humanus potus proprijssimè consistit, & in quo recreatio spiritus propter significationem sacramentalem optimè cernitur. Cui accedunt & Decreta Pontificum, & Conciliorum multorum, & Theologorum iudicia omnium. Neque hîc alia cautio exigitur, quàm vt sit planè certum, vel omnibus modis probabile, esse vinum de vite, non aliarum rerum aut humorum permixtione nimia, aut vetustate, alijsúe accidentibus planè corruptum, aut sic immutatum vt probabiliter suspiceris non esse vinum. In qua re sicut diligentia moderata, & non minus studium quàm in res graues conferri solet, requiritur: ita non expedit cuiquam sibi excitare scrupulos, tum cùm suspicionis aut dubitationis non extent graues causæ. Nam ex ineuitabili ignorantia efficietur, vt ne tum quidem peccemus, cum nihil conficimus. In qua tota re plurimum sensibus tribuimus, & nostris iudico vtēdum magis quàm alienis, & rarò committēdum esse, vt materiam visu aut alio sensu non exploratam consecremus. Opus enim quod in orbe geri potest optimum & sanctissimum, si negligentia nostra non ritè & ex dignitate transigatur, graue iudicium adferet. Ac de rebus quidem externis, quę videntur esse vina & nō sunt, ita vt diximus iudicandum est.

Quanta diligentia adhibenda.

Scrupulositas absit.

Sed de his liquoribus qui ex fructu vitis sunt, & qui à vini natura non longè absunt, ambiguitas maior existit. In hoc genere numerantur quatuor; mustum, acetum, agresta, & vinum conglaciatum. De his omnibus & Ratione & Theologorum iudicio

dicio ita definimus. Mustum ex vuis maturis, vel in dolia, l in ipsum Calicem recentissimè expressum, est verè vinum, consecrabile. Vide Dist. 2. de Cons. cap. *Cùm omnes*, & Can. *dicimus*. Tamen non decet, & rarò sine peccato fit, vt in vi- non defecato conficias. quia feces, quæ in fundo Calicis àm citissimè subsistunt, non sunt consecrationi subiectæ, c Christi sanguinem vnquam continent. Quòd si verò per am vini substantiam diffusæ priùs, cum non essent à vino ersæ, consecrationem subierint, posteaque substiterint: iam corruptionem desinit esse vini species, & ad formam vini ruptam desinit esse Sanguis. quæ omnia non contingunt si- magna irreuerentia sacramenti. Acetum Innocentio 3.° xandro Halēsi, & quibusdam Canonistis videtur esse con- abile, sed non sine peccato tamen: reliqui Theologi omnes ontrariam sententiam abierunt. Et certè si de vino aces- e dicant illi, non malè dicunt. Nam quàm diu verè vinum icet vergat ad corruptionem, acetosumque fiat, est nihilo- us vtcunque materia huius Sacramenti. At si planè & ectè acetum sit, habet aliam speciem à vino distinctā, nec modo poterit adhiberi. Agresta est humor vuarum im- irus & planè indigestus, aceto cōtrarius, quia adhuc nō at- t speciem vini. In hac nullo modo cōsecrari omnes cōce- licet fructus vitis esse videatur. Vltimum est gelu ex vi- quo & sępè erratur, & difficultas nō minima est. Ita ergo, quantum hactenus accepimus. In vino vergente iam ad & concretionem, sed non in solidū congelato, vbi nimi- uc existit solutus humor potabilis, potest esse consecra- præsentia sanguinis Dominici. At si solidū gelu esset, nec ramēti vsum potabile, nullo modo esset materia conse- ni idonea, summūq; esset sacrilegiū pro vino consecrare. inùs temerarium est, vinum ex gelu liquefactū in calice re. quod nescio an sæpè cōtingat. Est enim difficile iudi- ex cōcretione duriore perdat saporē, colorē, & etiā na- ai. Sed grauius est illud, quod & ipsum sæpè accidit, quid

Mustum. Acetum. Agresta. Vinum congelatum.

faciendum sit de materia post consecrationem, iam existente Sanguine, congelata: putandúmne sit ex ea immutatione fieri vt desinat esse Sanguis? ita planè: sicut desinit esse Corpus, quando panis species defecerint. At liquefacto iam ad communionem vino, redítne Sanguis? Minimè verò. Nam si integrè congelatus humor non possit consecrari, certè nec Sanguis priùs consecratus cum eodē consistere potest. idemq; si præsens esse desierit, postea quòd adsit, concedi nequit. Ergo etsi vinum verè sit quod iterum liquefactū repræsentatur, adorari tamē iam, aut pro sacro cruore tractari, tutum esse nō existimo: sed in sacrario condi, aut à sacerdote reuerenter consumi debere. Quæ sit ergo vtriusque partis Sacramenti materia propria & necessaria necessitate Sacramenti, diximus.

Quantitas materiæ.

De quantitate materiæ quæ sit ad cōficiendum Sacramentum adhibenda, nihil esse traditum scias: cùm illorum etiam certus numerus definiri nequeat, qui possint Mysteria sacra percipere. Nulla est tam magna vis vini & panum, in quam verba non operantur, aut in quam sacerdos potestatem non habet. Data est tamen omnis potestas in ædificationem, & non in destructionem. Et quæ res per se est incerta, determinari debet partim intentione consecrantis, partim præsentia apta rerum conficiendarum ad locum & situm sacerdotis, vt in eas verè & propriè demonstratiua Consecrationis verba referri queant. Nam si à tergo, vel vltra parietem, vel in alia domo, loco, aut Altari collocatam materiam benedicere velles: verbis abutereris, grauiterque peccares, & nihil faceres. Neque enim de re non præsente verè dicere possis, *hoc esse Corpus*, aut, *hunc esse sanguinem.*

De Azymo & fermentato: deq́; die immolati Paschatis, tum à Christo, tum à Iudæis.

CAP. XII.

Necessitas præcepti, quantum ad panem.

RELIQVVM est vt de materiæ cōueniente qualitate disseramus. Vbi nō tam quid sit necessarium, quàm quid deceat

eat,in Sacramenti elemento,inquirimus.Et nos quidē ad de-
entiam pertinere putamus,vt in pane azymo cōficiatur:Græ-
i contrà,vt in fermentato cōſecretur.Ex qua vtrinq; cōcepta
ecētia,factum eſt vtriuſq; Eccleſiæ ea de re præceptū varium:
Græca cogēte ſuos celebrare in fermētato, Romana ſuos in a-
ymo. vt quæ res per ſe videatur eſſe indifferēs,ea nunc ſit ma-
eria neceſſaria neceſſitate præceptionis:ſed diuerſa,pro loci &
cclesiæ,in qua verſaris,præcepto & cōſuetudine.Nam pecca-
m eſt homini Græco, cōtra morē & mandatū ſuæ Eccleſiæ,
azymo peragere.& nos,niſi in azymo,dum in Latina Eccle-
ſumus,ſine ſcelere non facimus. Hoc totū conſtat & ex re-
la Auguſtini circa adiaphora in Epiſt.ad Ianu.& ex lib.3.De-
taliū,Tit.*de celebr.Miſſ.*cap.*Literas*,& ex literis vnionis Græ-
& Latinæ Eccleſiæ,quæ extāt in fine conc.Florentini.Latina
em Eccleſia ſemper vera,ſemper pia & amās pacis,permiſit
æcis ſuū morē libenter:itaq; ſuū retinuit, vt cōtrarium non
arit. Contrà Græci cōtentionis & ſeparationis magis cupi-
uàm veritatis,Latinū ritū ꝓrſus damnarunt;adeò vt altaria
ſacrificio Latini ſacerdotis & pane azymo ꝓfanari putent:
e Guidone Carmelita lib.de Hæreſib⁹. Errorē Græcorū ſe-
ſunt Armeni,& Rutheni,& cōplures alij. Errorē autē ap-
o,nō celebrationē in fermētato, ſed opinionē neceſſitatis
ōficiendo in fermētato. quā poſteriores Græci tāta animo-
ōtentione defenderūt,vt auſi ſint(teſte Anſelmo in Tract.
Epiſt.de fermēto & azymo)tres priores Euāgeliſtas erroris
nulare. Nam vetuſtiores Patres Græci, vel Latinorū vſum
ti ſunt, vel ſuæ cuiuſq; Eccleſiæ rationē & morē ita quiſq;
ctatus eſt,vt contrariū nō reprehenderit. Neq; enim quiſ-
orū verbū fecit de hac cōtrouerſia azymi & fermentati,
meminerim.De tēpore autē celebratiōis Cœnæ Domi-
(quod eſt huic quæſtioni coniunctū) cū noſtris planè ſen-
t poſtea docebim⁹.Nec Latini etiā vetuſtiores ante Gre-
m,Bedam, & Anſelmum, quicquam de hac re memoriæ
erunt. Euthymius in Græcis primus, & neſcio an ſolus, *Euthymius.*

Mm 2 auda-

audacter ſcripſit in com.ſuper cap.26.Matth Chriſtum in fermentato pane inſtituiſſe. Sed huius quidem rei indifferētiam, & diſcrepantiæ vtriuſque ritus originem ex Leone. 9. intelliges. Is in Epiſt. ad Imp.Conſtantinop.& Innocentius lib.4.de Offic. Miſſ.cap.4. referunt, in Eccleſia primitiua tam Græcos, quàm Latinos conſecraſſe in azymo. At poſtea propter Ebionitas Iudaizantes, vtranque Eccleſiam in fermentato confeciſſe. Qua ſecta ceſſante, Latinam rediſſe ad azyma: Græcā verò retinuiſſe fermentum, non ſine contumelia Latinorum, quos Azymitas appellabant. Quin & illud quoque indifferentiam rei probat, quòd ipſe Chriſtus frangebat panem in illis diebus Azymorum poſt reſurrectionem ſuam, in Emaus, vbi agnitus eſt *in fractione panis*. Luc. vlt. quod & de Sacramēti diſpenſatione à multis intelligitur, & non niſi in communibus ad cibum tum poſitis panibus intelligi poteſt. Ipſa quoque ratio conuincit indifferētiam, cùm azymus & fermentatus non differant ſpecie, ſed aduentitia qualitate: quæ nunquam immutat ſubſtantiam illius naturæ in qua conſtituitur elementum Sacramenti. Neque certè *panis* apud nos, aut ἄρτος apud Græcos ſignificat panem fermentatum ſolum, cùm Exod. 12. & Numer. 6. pro azymo accipiatur. Eſt ergo hæreſis abſurda negare, poſſe in vtrouis genere confici, & à Conc. Florentino (permittente licèt vtrique ſuum morem) condemnatur.

In azymo vel fermentato conficere, eſt ἀδιάφορον.

Sed conſtituta indifferentia, de vnius præ altero decentia proprium eſt huius loci vt diſputemus. Ergo obſeruādum eſt, vtrinque agi pro decentia ſuæ materiæ, duobus modis; ratione, & exemplo Chriſti. Illi rationem adferunt duplicem, cur conueniat magis in fermentato. Vna eſt, vt vitent Iudaiſmum Ebionitarum & Nazaræorum. Volunt enim Azymorum religionem ad Legis obſeruantiam pertinere. Altera eſt, ad commoditatem ſignificationis, cùm in fermentato Diuinam Chriſti naturam in humana deliteſcentem demonſtrari dicant. At noſtri, ſui moris & præcepti cauſas elegantiores tradunt. Nam ex D. Paulo ſignificationem in azymo pulcherrimam conſtituunt.

Vtrum magis cōgruat.

tuunt cùm 1. Cor. 5. innuat, Azyma ſinceritatem vitæque puritatem repræſentare: quæ nõ ſolùm in percipientibus hoc Sacramẽtum requiritur, ſed etiam in ipſis immaculatiſſimi Agni carnibus, quæ hîc ſunt & ſumuntur, maximè cernitur. adeò vt panis ſine fermento confectus, planè Chriſtum ſine ſemine conceptum, & ſine omni morum macula viuentem ſignificet. Cui & illud accedit, quòd valde conueniat honori tanti Myſterij, vt adhibeatur aliquid puriſſimũ in illo genere, & à communi diſtinctum. quemadmodum Leuit. 24. panes propoſitionis, cùm eſſent figuræ tantùm huius Sacramenti, tamen mandato Domini debebant fieri ex ſimila, quæ eſt farinæ defecatæ generoſiſſima pars. Nam plurimum valet in omnem partem, vt diſtinguatur à communi id quod ad Religionis cultum deſtinatur: Cùm videamus, Hæreticos hoc ſolo dignitatem Sacramenti incredibiliter minuiſſe, quòd in communi pane & poculo ſua proponant. Multum enim facit & locus celebrationis, quod etiam Paulus innuit: & tempus, & qualitas panis, & ipſa forma diſtincta, & cætera huius generis. Igitur non ſunt minùs graues rationes Eccleſiæ Romanæ, cur præcipiat Azyma; quàm Græcę, vt fermentatum ſuis mandet. pręſertim cùm hunc Romanum ritum traditum à Petro & Paulo, Innocẽtius loco paulò antè commemorato conuincat. Et de obſeruantia quidem Iudaica hîc nullus metus, cùm non imitatione veteris ceremoniæ, ſed certa ratione myſterij & ſignificationis, hæc vſurpata docuerimus; quomodo & in cæteris quoque Eccleſiaſticis obſeruantijs nonnulla ſunt veteri ceremoniæ ſine peccato ex parte ſimilia: vt, veſtes ſacerdotales, Decimę, inunctiones regum & ſacerdotum, & huiuſmodi.

An Eccleſiā Dei contempſitis? 1. Cor. 11.

At nunc Chriſti exemplo Vtraque Eccleſia ſua tueri vult. Græci conantur docere, Chriſtum in fermentato inſtituiſſe, ac primùm feciſſe, quia Cœna nouiſſima Agni paſchalis & Sacramenti incidit in illud tempus, cùm adhuc azymis Iudæi nõ vterentur. quia Ioannes cap. 13. narrat, hanc rem geſtam eſſe *ante diem feſtum Paſchæ*. Vnde volunt, Chriſtum anteuertiſſe

An Chriſtus in fermentato celebrauerit.

Io. 13.

diem vulgarem, in quo Iudæi lege & more Maiorum Pascha faciebant: vt quod ab alijs fieri debuit secundùm legem decima quarta Luna primi mensis, à Christo decima tertia Luna, quadam præoccupatione, gestum asseuerent. Idem probant ex 18. Ioan. vbi narrat Euangelista, Iudæos in ipso die mortis Dominicæ non ausos fuisse ingredi prætorium *ne contaminarentur*, *sed vt manducarent Pascha.* Nondum igitur comederant Iudæi suum Pascha. Tertiò, mulieres parauerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum mortuum. Igitur ante diem festum mortuum esse oportuit. alioquin non licuisset illis, in ipso die sacro, parare aromata, & ne sepelire quidem. Addunt alia his minutiora: vt illud Marc. 14. *Erat autem Pascha, & Azyma post biduum.* Quod dictum affirmant pridie Cœnæ Dominicæ. Ideoque Iudæorum Pascha adhuc biduum abfuisse. Item opera & itinera ea fuisse facta in die Passionis Dominicæ, quæ in ipso festo Paschæ licitè peragi potuisse negant: cùm alij flagellarent, alij clauis affigerent, alij alia facerent, & Simon etiam de villa iter ceperit, Dominoque in Cruce portanda etiam cooperatus fuerit. Vltimò, diem Passionis Dominicæ *Parasceuen Pascha* appellari asseuerant, hoc est, profestum futuri Paschatis.

Io.18. Lu.23. Mar.14. Lu.19.

Hic resistunt nostri magna ex parte, totamque causam controuersam in eum statum lubenter deducunt, vt disputent: an Christus celebrauerit Pascha decimaquarta Luna, tum cum cæteri fecerunt: an vno præuenerit die, vt ita ipse solus cum suis extraordinariè fecerit decimatertia Luna. Ego certè primùm id sentio, non esse necesse, vt in eas angustias causam compingamus. Cùm illud non sequatur quod volunt, sed planè contrarium, etiam si anticipasse præstitutum tempus constaret. Nam si Agnum Paschalem ante statum diem fecit, certè quæ Lex præscripsit circa ceremoniam Agni, vnà omnia præparauit. nisi tum cùm Legem implere tam studiosè curauit, vt etiã statum diem præueniret

siret potiùs quàm res infecta foret, in Legem apertè delinquere vellet. Præcepit enim Deus non minùs de panibus azymis, quàm de ipso Agno. Ergo non minùs Legem azymorum cum Agno comedendorum, quàm ipsius Agni ceremoniam seruari oportuit. Et cui videbitur absurdum, præparasse azymos ante diem azymorum: eidem videatur non magis consentaneum, ante diem Paschæ extraordinarium Agnum sacrificasse. Quocunque ergo die Christus hoc gessit, habere potuit & debuit azymos panes in quibus conficeret. Sed vt ad caput quod reliqui tractant veniamus; probabimus, Christum non immutasse diem, sed cum reliquo populo Pascha fecisse, feria quinta ad vesperam; quæ fuit eo anno decimaquarta luna primi mensis.

Diuus igitur Matthæus ita narrat cap. 26. *Prima die Azymorum accesserunt Discipuli ad Iesum, dicentes: vbi vis paremus tibi comedere Pascha*. Hîc Discipuli apertè ex congruitate temporis festi Iudaici, Paschatis Dominici mentionem iniiciunt. Apertiùs Marcus 14. cap. *Primo die Azymorum* (inquit) *quando Pascha immolabant, dicunt Discipuli* &c. Vnde constat, fuisse iam tempus, cùm cæteri etiam immolarent Pascha. Sed omnium manifestissimè Lucas 22. cap. *Venit dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*. Hîc vides, venisse diem Azymorum à Lege præscriptum, non voluntarium, sed in quo necesse erat occidi ex præcepto Legis. de quo legitimo ac stato die paulò antè dixit Discipulis: *Vos scitis quòd post biduum Pascha fiet*. Illi autem nesciebant aliud tempus nisi præscriptum, nec quicquam de aliquo singulari suo & extraordinario Paschate ipse vnquam commemorauerat. Hîc nihil dicimus de impudentia quorundam Græcorum recentiorum, qui Euangelistas hos lapsos esse, & postea à Ioanne castigatos affirmant. Sed audiamus potius Chrysostomum, illius Ecclesiæ sanctissimum Patrem, qui Hom. 82. in Matt. dicit, *Christum ea die quam Lex præscripsit, seruasse ceremoniam, vt vsque ad vltimum diem ostenderet, se non esse Legi contrarium*. Ita etiam Hieronymus super illud Matt. 26.

Christus primum diem azymorum non præuenit. Mat. 26.

Mar. 14.

Luc. 22.

Matt. 26.

Chrysost.

Hier.

Prima-

Prima autem die Azymorum. Hic (inquit) *dies Azymorum, est decimus quartus dies primi mensis quando Agnus immolatur, & Luna plenissima est, & fermentum omne abijcitur.* His consentit Augustinus Epist. 86. ad Casulanum. *Matthæus* (inquit) *Euangelista vocat quintam Sabbati, primum diem Azymorum: quia in eius vespera sequente futura erat Cœna Paschalis, in qua incipiebat Azymum & ouis immolatio.* Idem etiam Beda super 14. Marc. *Primum diem Azymorum, decimum quartum primi mensis appellat, quādo fermento abiecto immolare Agnum solebant ad vesperam.* Et anticipatio ista Paschatis, quam Græci ad tuendum fermentum fingunt, & Christo Domino attribuunt, sic his locis & auctoribus quos commemorauimus explosa.

Aug.

Beda.

Iudæi non transferebāt Pascha in Sabbatum.

Quibus etiam ipsis, & iustissimis præterea rationibus, refutatur translatio eiusdem festi, & aliquot aliorum, à Paulo Burgensi in addit. 26. Matt. ad Lyram primùm (vt putatur) excogitata. Is enim licet non putet, sicut Græci, Christum præuenisse à lege statutum diem: tamen ad commodiùs constituendam harmoniam Euangelicam, duos fingit legitimos dies celebrandi Paschatis eo anno fuisse, in quem Passio Christi incidit: vnum à Deo præscriptum Exod. 12. quem Christus tenuit solus: alterum, nō Lege, sed traditione approbatum, quem Iudæi obseruarunt. Et ab hac sententia non abhorret ipse Rupertus. Recentiores autem, qui concordias scripserunt Euangelicas, eam planè amplexi sunt. Viderūt enim facilem esse reconciliationis viam, si ea, quę Ioannes gesta esse narrat *ante Festum Paschatis*, intelligātur omnia de festo à Iudæis seruato per translationem, postridie eius diei in quo Christus Diuino mādato Pascha suum fecerat: & quæ à cæteris Euangelistis, *in ipso primo die Azymorum* facta fuisse commemorantur, accipiantur de illo die, quem Christus obseruauit & Lex præscripsit; & nō de illo, quem Iudæi per translationem subsequente die obseruabant. Sed hæc commentitia esse & incerta, facilè intelliges, si ex 14. Marci repetas, primum diem Azymorum dici, nō tantùm quia Christus secundùm mandatum eum tenuit, sed quia

totus

totus populus eundem ipſum ſeruauit. *Primo die*(inquit)*Azymorum quando Paſcha immolabant.*& Luc.22.*Primus Azymorum, in quo neceſſe erat occidi Paſcha.* Deinde, illa tota regula & commentatio Burgenſis de translatione feſtorum in ſequens Sabbatum, tum cum incidunt in paraſcéuen Sabbathi, ratione, auctoritate, ac probabilitate caret. Committit etiam in apertum præceptum Dei, cuius (quod ad ceremonialia attinet) religioſi vſque ad ſuperſtitionem obſeruatores erant Iudæi. Lex enim Leu.23. non alium diem quàm decimum quartum Lunæ exactiſſima computatione huic obſeruationi deſignauit. Nec vlla extat in tota Scriptura mentio alterius illius diei ſeu trãſlationis vel leuiſſima. Ioſephus quoq; 2. Antiq.13. non alium quàm decimum quartum Lunæ religioſiſſimè vſque ad ſua tempora ſeruatum eſſe docuit. Denique iſtius Pauli & cæterorum, qui hanc tranſlationem admittunt, rationes omnes & fundamenta perabſurda ſunt. Nam & id inprimis falſum eſt, non potuiſſe duo Feſta, in quibus nihil operis fieri debuit, continuò celebrari. Illud quoque hîc eſt confictum, non licuiſſe parare cibos in ſolennitatibus Azymorum, Expiationis, Tabernaculorum, & ſimilium, magis quàm in ipſo Sabbatho; cùm apertiſſimè Exod.12. ciborum præparationes concedantur in Feſto Paſchatis. Id item hic iſti finxerunt, habuiſſe cætera ſolennia Feſta ſuas Paraſcéuas, quemadmodum Sabbathũ, malè interpretantes *Paraſcéuen Paſcha.* Io.19. pro Paſchatis profeſto & præparatorio die: cùm ibi dicatur *Paraſcéue Paſcha*, quia incidit illud profeſtum Sabbathi in tempus Paſchale, nõ quòd ipſum Feſtum Paſchę haberet ſuam Paraſcéuen. hoc enim fuit peculiare priuilegium Sabbathi duntaxat, propter myſterium ſummæ quietis in eo obſeruatum. Deinde & illud ridiculum eſt, non potuiſſe cibaria ita confici in illis regionibus, vt ad duos dies incorrupta manerẽt. Et reliqua ferè ſimilia ſunt, nec quicquam conuincunt, aut adferunt, cur vel leuiſſimè ſuſpicemur, Chriſtum non eodem die feciſſe Paſcha quo Iudæi. eoque magis eſt cauenda iſta aſſertio, quia non minùs adiuuat ſen-

Ad rationes Burgenſis.

Paraſcéue Paſchæ.

tentiam fermentariorum, quàm ipsa anticipatio quam diximus.

Est alia sententia, quam Thomas p.3.q.46.ar.9. sub nullius nomine citat: in Catena super Lucam, eam tribuit Eusebio, à qua non abhorret Chrysostomus Hom 82.in Ioannem. Ea asserit, Iudęos furore & odio percitos, distulisse contra Legem & traditionē Pascha suū in sequentē diem, vt liberiùs incumberent in necem & condemnationem Christi. Sed hæc coniectura, cuiuscunque sit, sua absurditate iacet, nec quenquam habet hodie defensorem. Denique est alia quoq; sententia, noua, Scriptorum quorundam recentiorum, qui vt vitent apparentem discrepantiam Euangelistarum, non dubitant asserere, Christum nunquam fecisse Pascha Iudaicum: eaque omnia quę de Paschate commemorantur in Euangelio, ad sui ipsius vel in cruce, vel in Cœna immolationem referri debere. Sed hæc apertam vim faciunt Euangelio, & refutatione sunt indigna. His ergo omissis, amplectamur ea in hac controuersia potissimùm, quæ & Theologorum magna pars, & sensus totius penè Ecclesiæ comprobauit: Christum scilicet vno eodemque stato ac præscripto die Pascha cum reliquo fideli populo fecisse. Quod Pascha (vt interpretatur Epiphani[us], lib.1.Tom.2.Hær.30.) *erat Agnus & Azyma, hoc est*, inquit, *panes non fermentati*. Cùm paulò antè in eodem cap. dixisset de Ebionitis, quòd *Mysteria faciant ad imitationem Sanctorum, in Ecclesia, ab anno in annum, per Azymos, hoc est, non fermentatos panes*. Ita ille. Plura qui cupiat, legat Anselmi Epistolam ad Valerammum Episcopum, de Azymo & fermentato.

Epiph.

Fundamentum responsionis ad Græcos.

Interim vt ad ea quæ à Græcis aut cæteris Aduersarijs obijciuntur respondeas, facultatemque reconciliandi Euangelistas tibi pares, hæc accipies partim ab Innocētio.3.Lib.4.cap.4. de Mysterijs, partim à Thoma, loco proximè allegato, partim ab ipsa Scriptura, & antiquissimis Interpretib[us]: vocabulum nimirū Paschæ variè sumi, nempe quinq; maximè modis. Primùm pro Agno ipso, vt Luc.22. *Occidi Pascha*: &, *parare tibi Pascha*.

1. Paschæ acceptiones quinque.

Secun-

Secundò, pro die in quo erat occidendus Agnus Paschalis, vt Leu. 23. & Num. 28. *Mense primo, quartadecima die mensis, phase Domini erit.* Tertiò, pro pręcipuo Festo, seu solénitate paschali, quæ obseruabatur non eo die quo inceperunt Azymi, & occidebatur Agnus, sed sequenti, nimirum decima quinta Luna. Nam clarè distinguuntur hæc Leuit. 23. *Mense* (inquit) *primo, decima quarta mēsis, ad vesperum Phase Domini est: & decimo quinto die mensis, solennitas Azymorum Domini est.* Et hæc vna annotatio omnia penè in speciem pugnantia facilè conciliabit. pręsertim illud Io. 13. *Ante diem Festum Pascha, &c.* facilè explanabit. Non enim dixit, ante diem Paschę: vel, ante Agni immolationem, aut, ante primum diem Azymorum: sed *ante Festum*, id est, solennitatem Paschæ, quæ sequenti pòst die obseruabatur, decima quinta Luna, eo die quo Christus crucifixus est. Vnde & dicebant, *Non in die festo, ne forte tumultus fiat in populo:* cùm tamen vicerit furor, & Dei prouidentia, opportunitasque (auctore Iuda) rerum gerendarum, vt etiam in magna solennitate, contradicentibus multis, Christi necem operarentur. Non ergo Ioannes indefinitè de quouis die pręcedente Pascha loquitur, sed de ipso profesto, hoc est (vt nunc loquimur) Vigilia, quã ipse appellat *diem ante Festum.* idemq; ipse est dies, quem cæteri Euangelistæ appellabant *primum Azymorum*, in cuius diei secundis vesperis occidebatur Agnus, & introducebantur Azymi. Ita Chrysosto. Hom. 82. in Ioan. exponit. Propriè igitur (quod optimè notauit Beda in 22. Luc.) dies Paschæ erat solus ille dies decimus quart⁹ in quo occidebatur Agn⁹. Sed Euãgelistę (inquit) vsi sunt indifferēter vno pro alio, vt ita sępè *Festum Azymorum*, appellēt *Festum Pascha:* & cōtrà, *diem Pascha, diem Azymorum.* Hinc quartò notandũ est, Azyma etiam Pascha dici apud Ioan. ca. 18. cùm narrat, Eos *non ingressos Pratorium ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Neque enim ibi per *Pascha* Agnum intelligit, sed azymos panes, ex prioris noctis sacrificio sanctificatos. quos poterant seruare, licet de Agni carnibus nihil reliquiarum esse debuit vsq; ad mane.

2. 3. Mat. 26. 4.

Nn 2 estque

estque id apertissimum, Azyma fuisse vnam partem sacrificij paschalis, seu Paschatis. *Pascha* enim *Iudæorũ* (inquit Epiphan.) *erat Agnus & azyma*, vt citauimus. Ita super eundem locum Alcuinus, ita Remigius, ita Innocentius. Vbi & id perspicuè docent contra Aduersarios, cõtaminationem legalem caueri per totum tempus Paschale, ad comestionem Azymorum, nõ minùs quàm ad manducationem agni. quod Burgensis immeritò negat. Cùm id tamen Augustinus pulcherrimè doceat Tract. 114. in Ioannem. ita enim inquit: *Dies iam agere cœperant Azymorum, quibus diebus contaminatio erat illis in alienigenæ habitaculum intrare.* Hæc ille. Vnde porrò quinto loco obseruandum, Pascha dici totum Festum Azymorum. Sic Lucas ca. 12. Act. de Petro loquens vsurpauit: *Volens* (inquit) *post Pascha producere eum populo. erant* enim tum *dies Azymorum.* in quem sensum accipi posse fatetur Chrysostomus Hom. iam citata. Toto ergo illo festiuitatis tempore probabile est Iudæos habuisse præter Azymos etiam sacrificia alia, quę ex nomine festiuitatis *Pascha* dicerentur vel *Paschales victimæ*, ad quarum manducationem munditiies requirebatur. Vide cap. 11. Lib. 17. Ioseph. de Antiq. Sed id vrgent Aduersarij plurimùm (quod & antè paucis notauimus) non potuisse mortem Domini incidere in ipsum diem festum, tum quia Ioannes dicit fuisse Parascéuen festi paschalis, tum quia religio Festi impediebat omnia iudicia, accusationes, & opera etiam sepulturæ. quæ eo die & à malis, & à bonis, non solùm Domino, sed & furibus impẽsa sunt. Quod ad prius attinet, diximus *Parascéuen Paschæ* non significare vigiliam illius festi, cùm nullum festum Iudaicum habuerit parascéuen, excepto Sabbatho. & hanc Parascéuen fuisse profestum Sabbathi, cæteri Euangelistæ apertè contestantur. Marcus enim de eodem die loquens, ita ait: *quia erat parascéue, quod est ante Sabbathum.* & Luc. ca. 23. *Dies erat parascéues, & Sabbathum illucescebat.* Sed & ipse Ioannes se paulò post explicans, dicit: *Quia parascéue erat, ne manerent in cruce corpora Sabbatho.* Ex quo etiam ad secundum respondetur, quòd opera iustitiæ & iudicij,

5.

Mar. 15.

quibus

quibus se obsequium Deo præstituros putabant, fieri potuerint in festo quocunque, Sabbatho solò vel traditione, vel diuino præcepto excepto. Et Concilium quidem necem Christi volens differre, religionem Festi non spectauit, sed tantùm populi tumultûs. Quanquam & id putem, Gentiles præsides non habuisse eam rationem dierum, cùm videamus latrones in eodem festo, publico iudicio condemnatos. & reliquorum illud fuit præcipuum studium, ne corpora remanerent in cruce in Sabbatho, & vt sepelirentur ante Sabbathum. Nam de alio Festo hîc nulla cura aut mentio. Sed de tempore Paschatis & Cœnæ Dominicæ, deque tota Azymorum quæstiòne, satis disputatum est.

Math. 26.

De aquæ permixtione, necessitate, & quantitate.

CAP. XIII.

ORDINIS iam ratio postulat, vt quę nobis & in alterius partis Eucharistiæ materia ab Ecclesia sancta tradita & præcepta sunt, contra Hæreticos defendamus. Nam vinum vitis esse necessariam materiam, ita vt sine illo nec confici possit quicquam, antea demonstrauimus. Iam verò an aqua sit illi admiscenda, perquirimus. Posteriores Græci dum vitant hæresin Aquariorum, occasione à verbis Chrysostomi (Hom. 83. in Mat.) iniustè accepta, vt in Conc. Generali. 6. legimus, negant apponendam aquam: sed tamen post consecrationem aquam calidam inijciunt, quemadmodum ex Nicolao Cabasila Græco scriptore accepimus in com. suis ad Gręca Liturgica. Hos Armeni secuti sunt, quos Eugenius. 4. ad Ecclesiasticum contrarium morem post Conc. Florentinum reuocare studuit. Caluinistæ autem hic etiam (vt solent) obseruationem Ecclesiæ contemnunt, non tam (vt arbitror) quia per se illicitam esse putant, sed quòd non necessariam, aut in Euangelio non expressè commendatam iudicent. rationes enim suæ sententiæ alias non afferunt. Nos autē, vt ex hac vna causa omnes

Necessitas præcepti, quantum ad vinum.

Hæreses contra permixtionem Calicis.

consimiles traditione Ecclesiastica nitētes, cōtra importunos homines neruosè tractare discatis, rem in certas argumentorum sedes conferemus. sic & dilucidi, & breues erimus.

Primus sit locus à praxi Ecclesiarum antiquissimarum. Eas in ritibus Mysteriorum suorum obseruabimus semper admiscuisse vino aquam. In Liturgia D. Iacobi, ita in sacra actione traditur: *Christus accepit Calicem, permiscens ex aqua & vino.* In Liturgia Basilij sic: *Accipiens & miscens Calicem.* In Missa Chrysostomi, *Mittens vinum & aquam in Calicem.* In ritu D. Iustini Martyris, in fine secundæ Apologiæ: *Offertur* (inquit) *poculum vino & aqua temperatum.* Sic in Ambrosiano officio, quod etiamnum Mediolani obseruatur. Sic in Gregoriano, quo Romana Ecclesia vtitur. & in omnibus alijs ab Ecclesia approbatis Missæ formulis. Secundus locus est ab auctoritate Conciliorum. Huc pertinet Canon. 32. Synodi Constantinopolitanæ, vbi decernitur & validis argumentis probatur, permixtionem Calicis à Christo & à D. Iacobo esse profectam. Idem etiam Conc. 3. Carthaginense definit, idem Florentinum; & postremum hoc Tridentinum sess. 22. cap. 7. Tertius locus est à Decretis Pontificum, quem tractare possis copiosè ex Gratiano d. 2. de cons. & primùm ab auctoritate Alexandri, qui sedit Romæ quintus à Petro, teste Eusebio lib. 4. c. 14. Ec. Histor. Is in Epistola ad omnes Orthodoxos docet à Christo profectam esse Calicis permixtionem. Sic Iulius Pontifex decernit in Epist. ad Episcopos Ægypti. Ita Martinus Papa de cons. d. 2. ca. *Non oportet.* Ita Innocentius. 3. cap. *Cùm Marthæ*, de celebratione Miss. & alij plurimi. Quartus locus est à testimonio sanctorum Patrum, qui latissimè patet. Iustinus ergo Martyr paulo post eum quem iam citauimus locum, dicit, *Christianos offerre panem & calicem aqua dilutum.* Irenæus lib. 4. ca. 57. contra hæreses, vocat Calicem Eucharisticum, *temperamentum.* & in initio lib. 5. appellat *vinum mixtum.* Cyprianus verò integram Epistolam ad Cæcilium lib. 2. Epist. 3. de eo solo scripsit:

Ecclesiæ praxis.

Concilia.

Pontifices.

Patres.

psit: quòd aduersetur Christi institutioni, aut aquam solam, aut vinum solum in sacrificium offerre. Ambrosius etiam ad hanc permixtionem probandam, totum consumit primum caput Lib. 5. de Sacramentis. Id quoq; ostendit Augustinus lib. de dog Eccl. ca. 75. & de Doct. Chr. li. 4. ca. 21. Idem Beda super 14. Marci. & Damasc. lib. 4. de orth. fide. ca. 14. & Paschasius lib. de Corp. & sang. Domini. Nec quisquam est qui aut contrarium docuit, aut hoc ipsum data occasione non docuit. Quintus locus rationes & argumenta continet, quamobrem Ecclesia in consuetudinem tam generalem, hanc Calicis permixtionem receperit. Sunt autem grauissimæ & optimæ ab his ipsis Patribus, quos recensuimus, adductæ. Conc. Florentinum vult hoc esse factum ad imitationem Christi, qui non putatur vina illius regionis, in illa singulari sobrietate, non diluta bibisse. cùm & eum eius gentis morem fuisse constet ex Prou. 9. vt homines misto calice vterentur. *Bibite* (inquit) *vinum quod misceui vobis.* Sed siue illud Seruator more aut suo, aut gentis fecerit, siue non: omnes hoc credunt, in Sacramento isto eius exemplo & mandato ad Apostolos primùm, & tum ad vniuersam Ecclesiam hunc morem venisse. Sic apertè Cyprianus testatur ad Cæcilium, & Liturgici ritus quos nominauimus, in ipsa consecrationis actione insinuant. Alteram rationem huius sanctæ consuetudinis reddit Alexander Pont. Epist. quam citauimus, videlicet vt ex apposita aqua fiat magis expressa repræsentatio Sanguinis Dominici effusi, ille enim cruor fuit aqua permixtus, vt D. Ioannes ca. 19. tradit: *Et continuò* (inquit) *exiuit sanguis & aqua.* Quam sententiam Euangelicam Diaconus in Liturgia Chrysostomi, cùm aquam vino infundit, solenni ritu pronunciat. Quam etiam rationem sequitur Ambrosius Lib. 5. de Sacram. ca. 1. illud præterea addēs, *per aquæ admixtionē grande Mysteriū peragi, & figurā fluentis aquæ de petra, & bibentis plebis impleri, dum aqua redundat fideli populo è calice in vitam æternam.* Tertiam causam permixtionis reddidit, Conc. 3.

Rationes.

Conc.3. Braccarense cap.1. eandemq; prolixè tractat Cyprianus Epist.ad Cæcil.vt scilicet aqua vino admixta fidelis populi cum Christo capite coniunctionem significet. Aquæ enim(vt 17.Apocal.legimus)populum designāt.Hinc ille: *Si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.* Vbi(ne quis erret, ad hanc enim sententiam multi impingunt) notādum est, sanctissimum Doctorem non hîc loqui de existentia sanguinis vel plebis ex cōuersione vini vel aquæ in ipsos, sed de repręsentatione tantùm illius vnionis, quæ est effectus consequens Christi pręsentiam, ex tali duplicis elementi permixtione factam. Id enim molitur ostendere, materiam habere debere aliquam significationem eius effectus quem consequimur ex participatione Sacramenti. Atque admiscendam esse aquam vino, his maximis & testimonijs & argumentis ostendimus.

Locus Cypriani.

Sitne de necessitate precepti an Sacramenti.

Vtrùm tamen sit de necessitate Sacramenti, ita vt sine ea nihil confici queat: an solo præcepto constet, sic vt vel dispensatione Ecclesiæ, vel peccato administrantis, sine Sacramenti imminutione omitti possit, perdifficilis certè quæstio est, & Scholasticorum cōtrarijs sententijs iam olim agitata. Illud certè videmus, Ecclesiam ponere maius momētum in hoc, quàm in panibus azymis; cùm non legamus, hactenus cum vlla gente esse dispensatum, vt in mero vino consecret. Panis autem azymi tam indifferens est per se ratio, vt alterutrius & vsus & pręceptio ad certa quędam loca pertineat. In quo genere tum solùm peccabis, si ritum Ecclesiæ in qua versaris, non serues. Deinde D. Cyprianus tam vehementer tractat atque adserit hanc permixtionem, vt non tantùm Christi exemplo, sed eius planè & mandato & instituto inductā esse doceat. Imò in eam sententiam differere videtur, simpliciter, non posse offerri solum vinum, quomodo nec solam aquam. Auget difficultatem, quòd addit, *non magis sola aqua aut solo vino constare Calicem Domini, quàm corpus fieri ex sola farina sine aqua.* Ista, & vna pręterea ratiuncula ex significatione vnionis Christi & plebis, quam expressè

expreſſè in hac ſolùm mixta ſpecie contineri notauimus, effecerunt, vt nobilis quidam Scholaſticus aſſereret, aquæ adiectionem ita eſſe de neceſſitate Sacramenti, vt ſi vel errore, vel incuria miniſtri eſſet illa omiſſa, omnino non fieret conſecratio. Nihilominus contraria ſententia Eccleſiæ placet, & rationi eſt magis conſentanea. Quamuis enim aquæ admiſcendę ita graues cauſæ ſint, vt eam ſine mortali peccato præterire nō liceat, ea tamen ſi deſit, Sacramentum conſtare poteſt. Nam vtcunque D. Cyprianus vehementiùs in hac cauſa propter Aquarios, qui tum valdè profanarūt inſtitutionem Dominicam, inuectus ſit; tamen commune Theologorum iudicium magis ſequendum eſt. Itaque interpretanda ſunt eius verba, cùm ait, *non poſſe ſolum vinum offerri*, vt dicat, ritè, iuſtè, legitimè, ſine peccato, & aliqua offenſione expreſſæ ſignificationis nō poſſe fieri. Et cùm porrò dicit, *ſic non fieri Sacrificium ex ſolo vino, ſicut nec ex ſola aqua, aut ex ſola farina ſine aqua:* intelligendū eſt, comparationem non eſſe abſolutam per omnia, ſed in hoc cōſiſtere, quòd ſicut vnum non committitur ſine grandi ſcelere, ita nec alterum ſine grauiſſimo peccato fieri poſſit. Ratio verò à ſignificatione petita, inualida eſt. Neque enim quicquid ad expreſſiorem ſignificationem pertinet, ſemper de neceſſitate Sacramēti eſt, vt, trina merſio in Baptiſmo. præſertim cùm ſignificatio hæc non pertineat niſi ad denotandum effectum planè conſequentem Sacramēti exiſtentiam: ſine quo effectu Sacramentum eſſe poteſt. quæ eſt vnio Chriſti & plebis, eaque ex participatione conſurgens. quanquam & ipſa ſolo vino, quod ex vuarum multarum coagmentatione fit, licet minùs expreſſè, repræſentatur. Ratio altera à Chriſti exemplo ducta minùs etiam conuincit. Non enim omne quod Chriſtus inter conſecrandum obſeruauit, neceſſarium ad conſecrationem eſſe iudicatur, aut de eſſentia Sacramenti: imò ne ſi iuſſerit quidem. Nam & aliqua verba adhibuiſſe creditur ad conſecrationem, ſine quibus tamen conſecrare poſſis. Et vno certo genere vini & panis vſus, non excluſit cætera. Non auſim tamē affirmare,

 D. Cy-

D.Cyprianum non ſenſiſſe, aquam eſſe de neceſſitate Sacramenti, licet D.Thomas & cæteri Theologi eū ab hac ſententia vindicare conētur, ex verbis quibuſdam eius quæ ex eadem Epiſtola recenſent. quibus tamē reuera nō efficiunt quod volunt. Sed iſtud vtcunq; ſit, communem ſententiam eſſe magis tutam & probabilem, & conciliorum Decretis magis conſentaneam, ex ſeſſ.22.Trid.ſynodi facilè colligimus.quæ cap.7. ita ſcriptum reliquit: *Præceptum eſt* (inquit) *ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſceant: tùm quòd Chriſtum Dominum ita feciſſe credat, tùm etiam quòd è latere eius aqua ſimul cum Sanguine exierit, &c.* Quibus verbis inſinuatur, obſeruationem hanc præcepto tantùm, & nō ex neceſſitate conſecrationis inductam eſſe. Item Eugenius.4.in Decreto vnionis: *Calix* (inquit) *Dominicus iuxta canonum præceptum vino & aqua permixtus debet offerri.* Et paulò pòſt: *Decernimus, vt Armeni ſe conforment vniuerſo orbi, eorumq́, ſacerdotes in Calicis oblatione paululum aquæ vino admiſceant.* Innocentius.4. lib.4. ca.33. de ſacro Altaris Myſt. docet multis verbis, ſic eſſe præceptum de apponenda aqua, vt tamen Sacramentū non ſit irritum, ſi prætermittatur ex negligētia, vel obliuione, aliáue cauſa: modò nō intēdat hæreſin is qui prætermittit. Illud enim ad cautelam addidit: cùm tamen non dubitemus, eū etiā cōficere qui ex hæreſi omittit aquā: quomodo Caluiniſtæ, Armeni, aut eius farinæ homines.

Rationes. Atq; hæc ipſa ratione facilè probantur. Si enim aqua eſſet de neceſſitate Sacramenti, non aliam certè ob cauſam, quàm quòd videatur eſſe de eſſentia materię: at id dici nō poteſt: cùm calix Dominicus ſit de genimine vitis, vt Euangeliſtę tradunt: & omnes Theologorum ſcholę vinum vitis eſſe materiam docent. ad cuius ſubſtantiam aqua non pertinet, ſed illi vt accidentarium quiddam adijcitur. Hinc Conc. Florentinum cùm dixiſſet vinum vitis eſſe materiam, poſtea addit, *Cui modicum aquæ ante conſecrationem eſt apponendum.* Rurſus, ſi hæc permixtio eſſet de neceſſitate materiæ: eſſet res fidei, Chriſtum diluiſſe vinum Sacramentale: cùm Concilia illud vt probabile tantùm

itum accipiant. Postremò, aqua apposita non manet aqua,
planè conuertitur in vinum, omnium penè Theologorum
icio, ante consecrationem. Ergo etiam apposita non est de
ntia materiæ: Cùm solum vinum, in quod etiam ipsa aqua
commutata, maneat, vt sit materia Sacramenti. Atque ad
c rem illustrandam multùm conducit Theologorum ad-
nitio de quantitate aquæ infundendæ. Nam Florent. Con-
i iubet esse modicissimam. Honorius Pontifex lib. 3. Decr.
e celeb. Miss. cap. *Perniciosus*, tam multam esse adhibēdam
, vt lōgè plus vini in Calice existat: atque in vniuersum tan-
aquæ inijciendum esse, vt semper possit aut statim, aut sal-
ante cōsecrationem in vinum permutari. Quę omnia tam
ulatè docentur ab Ecclesia, ne in re omnium sacratissima
:néve putes, aut aquam esse materiam sacramenti, aut ali-
tertium, quod neque sit vinum, neque aqua, sed ex vtroq;
erēter mixtum. Et quanquam Alfonsus de Castro. lib. de
. tit. *Eucharistia*, hær. 6. dubitet, an certò tenendum sit, a-
vino iniectam in illud conuerti, cùm sint viæ quædam &
es ex philosophia petitę, quibus eæ species rerum rursus
ri queant: tamen longè est probabilius, quod omniū pe-
lesiasticorū Scriptorum iudicio defenditur, aquā modicè
n in vini substantiā prorsus desinere. Et tamē si id nō fie-
l existeret aqua in varias & abditas vini partes diffusa, fa-
ihilominus vnum, non specie, sed permixtione: & illud
modò vinum prędominantē partem obtineret, conuer-
in sanguinem Dominicū. idq; certa fide tenendum est:
e illud aliud, cùm in naturæ obscuritate positū sit, igno-
Et certè Cyprianus solus ex omni antiquitate de modo
tionis, Epistola suprà memorata, ita loquitur: *Copulatio
& coniunctio aquæ & vini sic fit in Calice Domini, vt com-
ur, & adunatione confusa sibi inuicem copulentur, vt non
separatio.* Hæc ille.
utem duo graues errores cauendi sunt, quos recenset
. cap. *Cùm Martha*, de celeb. Miss. Alter est eorum,
qui con-

Quantitas aquæ.

Duo errores.

1. aquā permanere.

qui contendunt aquam infusam Calici permanere in sua specie, tam in vino ante consecrationem, quàm in Sanguine post consecrationem. vt ita sit aliqua substantia in poculo Dominico, quæ non sit subiecta Transubstantiationi. Sed refutatur facilè hæc sententia ex verbis Domini, cùm de eo toto indubiè quod est in Calice ita pronunciet: *Hic est Calix Sanguinis, &c.* Quod non esset simpliciter verum, si aliqua lateret substantia in Calice de qua nō est locutus. & Christiani populi vsu etiam constat, qui id totum quod est in poculo adorat. Estque hoc ipsum de totius liquoris conuersione tam receptum, vt si aqua rosacea, vel quicunque alius exoticus succus in ea quantitate admisceretur qua nunc aqua: non minùs conficeretur in Sacramentum, quàm si nihil tale esset admixtum. Alter error est eorum, qui volunt aquam seorsum verti in aquam quæ manauit ex latere Dominico, quomodo Vinum in Sanguinem. Sed hęc sententia refutatur ex eo, quòd tunc duplex effingēda esset duplicis materiæ consecratio, cùm ea verba quæ Christus & Ecclesia accommodant ad Calicem, non habeant vim commutandi propositam materiam in aliud quàm in Sanguinem (neque enim alterius rei in verborum forma fit mentio) neq; verba in Sacramentis quicquam possint efficere, quod non significent. Atque de aqua vino infundenda, qua necessitate adhibeatur aut præcipiatur, & in vniuersum, de pane & vino quæ Seruator in materiam huius tanti Sacramenti destinauit, prolixè satis disputauimus.

2. Aquam verti in aquā lateris.

☙ *De forma Sacramenti: an sit aliqua?*
CAP. XIIII.

NVNC licet D. Thomas & Scholastici hoc loco id non faciant, placet tamen, meliorque ordo requirit, de forma Sacramēti, id est, de verbis quibus materiæ commemoratæ in Sacramentum consecrantur, deinceps disputare. Et in hac parte sicut institutio est planè diuina, ita summa est dissentientium sententiarum varietas, deque maximis rebus contr台ouer-

trouerſia. Vt hîc nunc maiore & induſtria & Sp. ſancti adiumento, quàm vnquam aliàs, opus eſſe videatur. Ea autem omnia quæ ad hanc rem pertinent, via & ratione facilè conſequemur, ſi primùm doceamus, eſſe aliquam formam cõceptam & definitam Verborum in hoc Sacramento. Secundò, ſi probemus, illam applicari ad materiam, & nõ ad perſonam recipientem. Tertiò, ſi quæ ſint ea ſtata verba, monſtremus. Quartò, ſi quam ſignificationem & proprium ſenſum habeant, explicemus. Quintò & vltimò, ſi eorum vim atq; operationem, quam in rem vel materiam ſubiectam exerãt, ediſſeramus. Et in omnibus his quinque capitibus habemus totam Eccleſiam, ſumma Dei miſericordia, conſentientem: Caluinum autem in ſingulis repugnantem. Etſi enim Sacramentarij ſolùm de quarto & quinto articulis, vbi de ſenſu & efficacia verborum agitur, ſibi timeant: tamen quia priores tres ad hos poſteriores viam apertiſſimam ſternunt, illos etiam repellere coguntur.

Quinque articuli.

Prima ergo propoſitio, quæ aſſerit Sacramenti ſtatam verborum formam, negabatur etiam olim à Manicheis: non eo animo quo nunc à noſtris Hæreticis, ſed errore quodã ſuo, quo volebant Chriſtum ligari ad ſpicas & materiam Sacramenti, *vt ita panis naſceretur, & non fieret Sacramentalis.* Lege Auguſt. Lib. 20. contra Fauſt. cap. 13. Illi igitur vetuſtiores, quia Chriſtum putabant aliter adeſſe pani, benedictionem non putabãt neceſſariam: cùm hi contrà, quia nollent Chriſtum adeſſe, cõſecrationem tollunt, per quam, præſentiam Chriſti vel fieri, vel ſignificari ſubuerentur. Idq; cùm faciant, tum quid poſtea velint, non conſentiunt. Nam quidam, concione habita ad populum de vſu ac inſtitutione Cœnæ: alij, prece quacunque libera & indifferente: alij hiſtoriæ tantùm repetitione, præſertim ex D. Paul. 1. Cor. 11. alij, fide recipientis, & mentis deſignatione qua ſeparatur panis Euchariſticus à cæteris cibis nõ myſticis: alij denique, fractione, manducatione, & vſu, Sacramentum confici volunt. Hæc autem abſurda omnia nituntur magna ex parte hoc falſo fundamẽto: in Sacramentis ſcilicet nihil

Eſt certa verborum forma.

dici aut fieri aliud, quàm quod ad instructionẽ pertineat: cùm operis operati aut sacræ ceremoniæ vi nihil acquiri aut geri existiment. Proinde non sine execrabili blasphemia clamant, incantatione ac murmure magico panem ab Ecclesia nõ consecrari, sed conspurcari.

Refutantur autem hæ omnes sceleratæ voces & sententiæ, veritasq; Catholica de forma Sacramenti asseritur, rationibus partim communibus, partim proprijs. Communes petuntur à cæterorum Sacramentorum similitudine, quorum omnium in nouo Testamẽto ea fuit institutio (vt docuimus cùm de Sacramentis in genere ageremus) vt singula tam certam haberent formam, quàm materiam. Vbi & quod dictum est ab Augustino de solo Baptismo, Tract.80.in Ioan. *accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* iustissimè in Concilijs, Florentino & Tridentino, & ab omni posteritate ad reliqua Sacramenta traductum demonstrauimus. Et cùm à Christo Domino ea fuerit verborum formula tradita ad Baptismum perficiendum, quam Ecclesia nũquam immutari permiserit, cumq; ipsi Hæretici non alia hactenus vsi videantur: cur ad verba stata Eucharistica offenduntur magis? aut si & Baptismi formam sublatam velint, licet apertè à Christo edoctam (quod aliquando non obscurè significant) tamen vrgendi sunt, cur certas res ad materiam, & non certa verba ad formam, præscribi aut retineri velint: cur putent superstitionem magicam esse in verborum formulis, & non in designatis & definitis rebus. Si non alligari ad certa verba vellent; quomodo se patiuntur in Baptismo ad solam aquam adstringi, & ad solum panem & vinum in Eucharistia? Sed hæc communia sunt, & aliàs fusiùs à nobis explicata.

Cap.18.

De Sac. in gen. à ca.16. ad 24.

Patres.

Propria autem huius loci sunt, quæ ab vsu Ecclesiæ, & Patrum auctoritate de consecrationis certa formula traduntur. Augustinus ergo loco iam contra Manicheos citato, vno verbo omnes Hæreticos facilè conficit: *Noster Panis & Calix* (inquit) *certa consecratione fit mysticus nobis, & non nascitur.*

tur. Proinde quod ita non fit, alimentum est refectionis, non Sacramentum Religionis. In eandem sententiam pulcherrimè dixit Cyprianus ser. de Cœna Dom. *Ante verba* (inquit) *ille cibus nutriendis corporibus commodus erat, & vitæ corporalis subsidium ministrabat: at postquam est solenni benedictione sacratus, ad totius hominis vitam salutemq; proficit.* Iustinus autem Martyr sanctissimè philosophatur, ab exemplo Incarnationis quæ facta est in vtero Virginis vi verbi Diuini, probari, consimili verbi efficacia confici panem in Eucharistiam. Ita enim ait: *Non vt vulgarem panem aut vulgare poculum hoc sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Christus, sic per verbum precationis sacrari ab ipso alimoniam.* Ita ille, Apolog. 2. pro Christianis. Vbi contra Caluinum diligenter hìc annotabis, etiam ipsam Conceptionis immensam operationem sine superstitione factam esse verbi vi & efficacia. Vt in Sacramentis minùs mirari discas, si tantam vim verbis attribuamus. Sed non minùs clarè dixit Irenæus lib. 4. cap. 34. *Panis qui est ex terra, percipiens vocationem Dei, iam non est communis panis, sed Eucharistia.* Ita D. Ambros. lib. 4. de Sacram. ca. 4. & lib. 5. cap. 4. *sermone Domini hoc confici Sacramentum*, accuratè docet. Nec cuiquam Patrum vnquam venit in mentem, fide sola, aut perceptione, aut concione, aut historia Eucharistiam fieri: non magis quàm cogitarunt de baptizandis hominibus sola prædicatione, aut historiæ Euangelicæ recitatione, sine lotione aut aspersione aquæ. Sed hæc res erit clarior & firmior ex secundo capite tractationis nostræ, in quo nunc docendum est, hanc formam verborum, totamque consecrationem qua fit Eucharistia, propriè referri ad panem & ad calicem.

Vis verborum.

❧ *Quòd Christus benedixerit seu Eucharistizauerit ipsum panem ac vinum: idq; verbis quibusdam.*

CAP.

CAP. XV.

Est enim notandum, Caluiniſtas omnem illam ſeu benedictionem ſeu gratiarum actionem, quæ commemoratur ab Euangeliſtis, tantùm in laudem Dei referre, & non ad ſanctificationem panis aut vini propoſiti. Ita enim interpretantur: Chriſtum accepiſſe panem, ſed benedixiſſe, nõ panem, ſed Deum. Et propterea Hæretici omnes cùm plurimùm cupiant, Chriſtum in ipſum panem nihil ſingulare geſſiſſe, verbum benedictionis, ſanctificationis, & conſecrationis, ab hoc Sacramento quantum poſſunt arcent. & falſa verſione atque additione impia non verentur vbiuis pro eo quod Euangeliſtę dicunt, *benedixit*, ſubſtituere, *gratias egit*: aut ſicut Caſtalio, *laudes peregit*. Cuius fraudis occaſionem acceptarunt à duplici & variæ ſignificationis verbo quo vſi ſunt Euangeliſtæ. Nam illi indifferenter & promiſcuè vtuntur in hac inſtitutionis narratione verbis εὐχαριστεῖν, & εὐλογεῖν, ſicut paſſim in Scriptura pro eodem ponuntur: cùm tamen in profanis Scriptoribus putentur habere diuerſas ſignificationes. Atque promiſcuum eſſe vtriuſque verbi vſum, facilè videbis ex vno Marco, qui cùm 14. cap. panis conſecrandi ritum narrat: *Accepit* (inquit) *panem*, καὶ εὐλογήσας, *& cùm benedixiſſet*: idem loquens de poculo: *Similiter* (inquit) *accepit calicem*, καὶ εὐχαριστήσας. Deinde cùm Marcus de pane accepto εὐλογήσας dicat, Matthæus, Lucas, & Paulus εὐχαριστήσας vtuntur. Similiter ante miraculum multiplicationis ſeptem panum, Matthæus cap. 15. ait: Chriſtum accepiſſe panes, καὶ εὐχαριστήσας, inquit. Marcus autem cap. 8. narrans idem miraculum, dicit εὐχαριστήσας quidem cùm de panibus loquitur: ſed cùm ſtatim de piſcibus narrat, εὐλογήσας inquit. Sic Marcus & Ioannes commemorantes miraculum quinque panum, ille cap. 9. hic ca. 6. vtuntur εὐχαριστήσας: Lucas idem narrans, εὐλογήσας ait. Denique Paulus 1. Cor. 14. de eadem planè re loquens, nunc hoc, & ſtatim altero verbo vtitur: *Si* (inquit) εὐλογήσῃς, id eſt, *benedixeris ſpiritu, quomodo is qui tenet locum idiotæ, reſpondebit, amen, ſuper tuam* εὐχαριστίαν? Hæc cùm ita ſint, cumque reuera

Benedicere, & gratias agere.

reuera nihilominus, si vim propriam vtriusque verbi spectes, diuersam significationem habeant εὐχαριστεῖν & εὐλογεῖν, quomodo & nostrum *gratias agere* & *benedicere*: oportet profectò in his locis, vbi pro eodem planè vsurpantur, vnum ex eis relinquere propriam significationem, & induere rationem alterius. Neque hîc resistunt Hæretici: contendunt autem εὐλογεῖν relinquere suam significationem, & vsurpari pro εὐχαριστεῖν: Catholici contrà probant euidentissimè, εὐχαριστεῖν hîc relinquere suam significationem alteri, & capi pro verbo εὐλογέω: & latinè itidem illud, *gratias agere* pro *benedicere*. Vtcunque sit, tamen sincerè agunt Catholici, qui pro duobus propriè discrepantibus vocabulis Græcis, duo etiam diuersa correspondentia latina ferè reponunt: & impiè atque fraudulenter hæretici, qui vnum tantùm pro vtrisque & illud minùs commodum, semper vsurpant: præsertim cùm fieri possit, vt vtrunque vocabulum retineat suam genuinam significationem; Euangelistęq; duas diuersas Christi actiones circa ritum Eucharistiæ commemorauerint: nimirum & gratiarum actionem Deo, & deinde benedictionem creaturarum, quas in manus sumpsit conficiendas in Sacramentum: Et (quod sæpe accidit in Historia sacra) vt vna actio explicetur ab vno Euangelista, altera ab alio: vt hic narret, Christum gratias egisse Patri: ille, benedixisse panem. Sunt certè Catholici grauissimi, qui ita sentiant, Dominū gratias egisse primùm Deo, tum sua benedictione impartisse creaturas panis & vini, licet vtrunque factum ab vno Euangelista non narretur, nec à D. Paulo qui exactiùs commemorasse videri queat. Quam sententiam probabilem facit vsus Ecclesiarum omnium, & Patrum antiquissimorum, in quorum Liturgijs Græcanicis Christus ita in actionem sacram inducitur, vt & gratias egisse Deo Patri, & benedixisse proposita dona dicatur. Meminitque Iustinus prolixæ cuiusdam gratiarum actionis circa Eucharistiam, itemq; consecrationis. Ita etiam Dionysius tam hymnologiæ, quàm benedictionis circa ritum Synaxis, in Eccl. Hier. mentionē facit. Similiter diuinissima actio Cap. 3.

Missæ nostræ, quæ omnem superat auctoritatem (solam excipio Canonicam Scripturam) signãter exprimit vtrunque tam in ritu panis, quàm Calicis: *Tibi* (inquit) *gratias agens, benedixit.* Et deinde illud: *Eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem* (quo & noster, & Clementis Romani ritus Liturgicus vtitur 8. lib. Const. Apost. ca. 17. quod desumptum est ex ceremonia benedictionis panum Luc. 9. aut etiam ab ipsa Seruatoris actione in cænæ celebratione ad nos traditione sancta transmissum) hæc (inquam) eleuatio oculorum ad Patrem, postulationem aliquam, inuocationem, aut gratiarum actionem, præter consecrationem rerum, vel ante consecrationem, designare potest. Quo modo in resuscitatione Lazari Io. 11. grande aliquid & stupendum perpetraturus, adspexit prius cœlum, gratiasque egit Patri, vt accepturus ab illo potestatem perficiendi inauditam rem. Quod cùm fecisset, notatur ab Euangelista statim pronunciasse verba operatoria, *Lazare veni foras.* Ex quibus omnibus liquet, non esse absurdum, sed maiestati & actionis generi valdè consentaneum, si dicamus, Christum primùm Deum Patrem collaudasse, illique gratias egisse de hoc singulari dono, ac statim idipsum consecrasse sermone operatorio.

Gratias non fuisse vulgares.

Quare licet non sit idem quod *benedicere*, sed aliquid præparatorium ad tanti Mysterij operationem, & creaturarum sanctificationem: tamen longè aliud est à communi hymno & gratiarum actione, quæ & nostras, & Iudæorum inprimis refectiones præcessit, aut propriè potiùs subsequuta est. Nam id quoque Hæretici non verentur affirmare. Quæ impudentia facilè refellitur vel hoc argumento, quòd istæ gratiæ, cùm ad laudes mensales referuntur, ab Euangelistis hymni dicantur potiùs. Hinc ὑμνήσαντες id est, hymno dicto surrexisse à Cæna narrantur à Matthæo & Marco. Quanquam de gratijs mensalibus non tam studiosè soleant Euangelistæ commemorare. Hæ deinde gratiæ de quibus agimus, neque in principio erant mensæ, sed nec in fine quidem, sicut patet. Denique non solebant,

lebant, gratias menſales ſolennes ad ſingula appoſita ſeorſum agere, ſicut hic fit diſtinctè & ſeorſum tam ad panem, quàm ad calicem. Neque res benedicendas in manus ſolenni ritu (ſicut in hac actione) ſumebant. Quamobrem certiſſimum eſt, gratias has ſiue fuerint eædem cum benedictione, ſiue aliæ præparatoriæ ad tam ingens miraculum & Myſterium, non fuiſſe tamen communes menſales, ſed tales, ex quibus grande aliquid eſſet ſubſecuturum circa panem & calicem: & quæ ad ipſum panem conſecrandum, vt finem, ſpectarent: licet in Deum tanquam in obiectum immediatè referrentur, ex quo miraculorum & Myſteriorum virtus ac benedictio prouenire agnoſcitur. Vnde Græci in ſua Myſteriorum anaphora (ita enim diuiniorem Miſſæ partem appellant) dicunt Chriſtum tum cùm gratias egit & aſpexit in cœlum, vnà etiam panem eleuaſſe & oſtendiſſe Deo Patri, atque nomen Domini ac Spiritus ſancti virtutem ſuper eum veluti inuocaſſe, ſimulque peculiarem benedictionem adhibuiſſe ad propoſitorum donorum commutationem poſtulandam.

Benedictionem illam fuiſſe materia.

Ergo certiſſimam hanc concluſionem ſtatuamus, hoc Chriſti *gratias agere*, non nudas laudes, ſed quales diximus, inuocationemque, orationem, ac benedictionem ipſius panis & vini complecti: & id totum Euangeliſtas exprimere nunc per verbum εὐχαριστεῖν, nunc per verbum εὐλογεῖν: quanquam totã ceremoniam ordine non narrent, nec plura verba, quibus ea ſeu *Euchariſtia*, ſeu *Eulogia* facta eſt, quàm quæ forent neceſſaria, & perpetuò in Eccleſia ſanctè ſeruanda ad Sacramenti confectionem. Quemadmodum & D. Paulus cùm volebat modum ſanctificationis creaturarum Timotheo tradere Epiſt. 1. ca. 4. vſus eſt pro eodem: rem ſanctificari *per gratiarum actionem*, *per verbum Dei*, *& per orationem*. Sed porrò probatur, quòd inuocatio Euchariſtica habebat benedictionem creaturarum, auctoritate Marci, qui clarè coniunxit verbum benedictionis cũ materia propoſita. *Accepit* (inquit) *panem, benedixit, & fregit.*

 Vbi ma-

Vbi manifestè idem accusatiuus casus regitur à tribus verbis. Idem probatur, quia omnes Euangelistæ diligentissimè docēt, Christum priùs sumpsisse materiam, & tum benedixisse seu gratias egisse. Nec eorum quisquā narrat, benedixisse, aut gratias egisse ante materiam in manus acceptam. Sed omniū clarissimè Paulus id demonstrat, 1. Cor. 10. cùm dicit: *Poculum benedictionis*, ὃ εὐλογοῦμεν, *quod benedicimus, &c.* Vbi actio clarè significatur afficere rem subiectam, vinum scilicet. Quomodo Luc. 9. verbum benedictionis habet etiam accusatiuū casum, cùm Christus dicitur benedixisse panes & pisces, εὐλόγησεν αὐτούς. In his omnibus videmus, *benedicere* habere semper casum rei, id est, panis, calicis, aut piscis: nunquam autem casum personæ, sicut εὐχαριστεῖν quando in propria significatione accipitur. à qua propterea vetustissimi Patres Irenæus & Iustinus Martyr ipsum ad prioris significationem transferunt, dum in materiam, & non personam, referunt verbum εὐχαριστεῖν non minùs quàm εὐλογεῖν. Ita Iustinus loco citato: τὸν ἄρτον εὐχαριστηθέντα, dixit, *Eucharistizatum panem*. Et interpres Irenæi lib. 4. c. 34. (si Græcè scripsit) *Panem super quo gratiæ actæ sunt*, quasi Eucharistizatum etiam dicas, appellat. Iam verò Doctores veteres omnes hanc consecrationis Religionem confessi sunt, dicentes, panem & calicem cōsecrari, sanctificari, benedici. Ita in Liturgia Iacobi, *Accipiens* (inquit) *calicem, aspiciens in cœlum, ac ostendens tibi Deo Patri, gratias agens, benedicens, sanctificans, ac implens Spiritu sancto, &c.* Et Augustinus Epist. ad Paulinum, interpretans illud, *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, &c.* 1. Timoth. 4. *Orationes* (inquit) *sunt preces quæ fiunt dum benedicitur & sanctificatur id quod est in mensa Domini.* Et lib. 3. ca. 4. de Trinit. dicit, *id esse Sacramentum quod ex terra sumptum prece mystica ritè consecratur.* Sic Cypria. ser. de Cœna Domini, *Calicem benedictione sacratum* dixit. Et paulò pòst: *Christus vsq. hodie hoc veracissimum Corpus suum creat, benedicit, & diuidit.* Ita Chrysost. Hom de prodit. Iudæ. *Proposita* (inquit) *in mensa Domini consecrantur à sacerdote.* Et Eusebius Emiss. *Quanta* (inquit) *& quàm celebran-*

Panem Eucharistizari.

Materiā benedici seu consecrari, secundum Patres.

celebranda est vis Diuinæ benedictionis, vt in Christi substantiã terrena & mortalia elementa cõmutentur. Hęc ille Hom. 5. de Pasch. Et alia infinita huius generis. Sed dicit Caluinus, si sit aliqua sanctificatio, ea est tantùm ad dedicationem symbolorum, ne profana sint, aut non destinata ad sacrum vsum esse videantur. Sed hoc commentum & verbis benedictionis, quæ vsum benedictionis declarant, confutatur: &, si hoc fecisset in eum tantùm quem dicit finem, tunc id non minùs peregisset in alijs Sacramentis. At neque Baptismi materiam ita dedicauit, nec Apostolos ad sacerdotium tali benedictione vocauit, nec Sacramentorum aliud vllum, sicut ipsi Hæretici inprimis concedũt, tali formula benedixit. Hinc igitur intelligimus, Christum nõ tantùm in pane & vino Sacramentum aliquod cæterorum simile instituisse, sed etiam affecisse elementa, & circa ea aliquid mirabile operatum fuisse. Idque vis verbi *benedicere* facilè declarat. quod quidem cùm ab homine in hominem proficiscitur, bona vel fausta precari aut optare significat: & cùm ab homine in Deum refertur, pro eo quod est, laudare ac confiteri Diuinam bonitatem, accipitur. At Dei *benedicere* in homines vel alias creaturas relatum, efficax est: sæpeque eas immutatione aliqua aut meliore qualitate afficit. Ita à Deo benedictum humanum genus legimus Gen. 1. cùm illi donatur vis se propagandi. Ita sanctissima Virgo Luc. 1. ab Angelo benedicta dicitur, cum nimirum fecunditate vteri à Sp. sancto beatur. Sic benedicuntur panes & pisces, dum multiplicantur. Vbi ineptè ac profanè *benedicere pisces* quidam hæreticus vertit, *fausta precari super piscibus.* Hoc etiam planum est ex contraria voce, *maledicere Dei:* quod effectiuum est in creaturis. Maledict' est serpens, & immutatur in peius: maledicta fœmina, & parit in dolore: maledicta terra, & res noxias homini producit: maledict' Cain, & profugus est super terram: maledicta ficus, & exaruit. Ita ergo cum tam studiosè à tribus Euangelistis inculcetur, Christum benedixisse panem & calicem, eos summa aliqua in melius mutatione affectos esse, perspicuum est. De hac re pul-

Responsio Caluini.

Benedictio operatiua.

Gen. 3. Gen. 4. Matt. 21.

cherrimè philoſophatur D. Ambroſ. lib. de his qui Myſt. init. ca. 9. *Quantis* (inquit) *vtimur exemplis vt probemus, non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio cõſecrauit, maiorẽq́; vim eſſe benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiã natura mutatur.*

Chriſtus benedixit verbis.

Iam verò illud hoc loco eſt docendum, quo modo benedixerit panem & vinum: verbóne, an ſola voluntate, aut impoſitione manuum, ſicut Marc. 10. videtur benedixiſſe paruulos: aut, quo modo Eccleſia nunc, ſigno Crucis. Nam quid dixerit, aut quid fecerit in rebus benedicẽdis, non legimus. Illud habemus, quòd aſcendẽs in cœlum Luc. vlt. benedixerit Diſcipulis, eleuatis manibus ſuis. Et eodẽ cap. quòd eum panẽ, in quo Diſcipuli eũ agnouerũt (qui à multis veteribus putatur fuiſſe Euchariſticus) benedixerit, licet verba nulla ab Euãgeliſta recenſeãtur. Et crucis quidem ſignum fuit tũc execrabile: nec Chriſtus eo vſus eſſe videtur, licet eius pręfiguratio in benedictione Ephraim & Manaſſæ Gen. 48. & aliàs ſæpe cernatur. Denique dicẽdum eſt, Chriſtũ benedixiſſe verbis. Nam illud vis & ratio nominis declarat. & Moyſes cùm introducit Deum benedicẽtem, adfingit illi ad noſtrã intelligentiã verbũ quo benedicat, vt illud: *Creſcite & multiplicamini*, quo verbo genus noſtrũ benedicebatur ad propagationẽ. Multò magis Chriſtus oratione, inuocatione, & verbo Dei vſus cõprobabitur. His enim modis creaturas ſanctificari, ex Paulo. 1. Timoth. 4. notauimus. & illi ipſi paruuli, qui Marc. 10. *benedicti* narrantur, Matth. 9 offerũtur illi vt *oret ſuper eos*. Quare credendũ eſt, Chriſtũ benedicendo panẽ, verbo aliquo vſum fuiſſe, & non ſolo tactu aut virtute eũ ſanctificaſſe. Et cùm eodẽ verbo quo benedixit, cõſecraſſe putetur ab antiquitate & penè ab omnibus Theologis (licet pauci quidã negẽt:) cũq; hîc, vt ſæpe docuimus, cõſecrare materiã ſit cõficere Sacramentũ (quod alijs tamẽ Sacramẽtis non conuenit) ſequitur, idem illud verbum benedictionis eſſe formam huius Sacramenti. Vt idem ſit *benedicere* & vti verbis conſecrationis, ſeu applicare verba cõſecrationis ad elemẽta propoſita. Quanquam diſſimulandum non eſt, eſſe quoſdam Doctores

Gen. 1.

Theolo-

Theologos,in quibus eſt Bonauentura in 4.m Sent. & Caietanus in comment.26.cap. Matt.& Dominicus Soto,qui volunt Chriſtum non benedixiſſe per verba cõſecrationis, & proinde diuerſum fuiſſe in actione Chriſti, *benedicere panem*,& cõſecrare panem:nec mutationem factam fuiſſe per benedictionẽ,ſed poſtea per verba ſacramẽtalia. Quæ ſentẽtia licet probabiliter defendi poſſit, & vſui Eccleſiæ conſentanea eſſe videatur, quæ nũc benedicit panẽ ſignaculo Crucis antequã vtatur verbo cõſecrationis: & narrationẽ Euangeliſtarũ minùs perturbatã reddat, quæ interponit poſt mentionẽ benedictionis fractionẽ & diſtributionẽ, & tandẽ quarto loco verbum Sacramenti: & ad reuerentiam Sacramẽti aliquid etiam adferat,cùm ſi frangeretur panis à Chriſto poſtquã conſecratus eſſet,aliquæ particulæ hoſtiæ ſacratæ veriſimiliter effluxiſſent:hæc(inquam)licet grauia ſint,tamen tutior ſentẽtia eſt & antiquitati magis probata, atque ab Eccleſia penè omni iã cõfirmata, & quã ſequitur Catechiſmus Tridentinus, Chriſti *benedicere* idem eſſe cum eo quod eſt,Conſecrare res propoſitas. Vt ſic intelligamus,Chriſtum benedixiſſe dicendo, *hoc eſt corpus meum*, licet Euangeliſtæ per ὑστερολογίαν ſeu ὕστερον πρότερον, hoc eſt, per ordinem ſermonis inuerſum interijciant inter verbum benedictionis & formam Sacramenti,fractionem & diſtributionem,quę tamen poſt cõſecrationem,aut ſaltem dum verba proferret Chriſtus, vt veriſimile eſt, fiebant: Neque enim eſt exiſtimandum, Eccleſiam vnquam fregiſſe ante verba conſecrationis,nedum dediſſe:multò minùs Chriſtũ fregiſſe panẽ in tot particulas quot erãt percepturi,antequã proferret verba. Et de micis cadẽtib⁹ quod objiciũt,nõ tã difficile quàm curioſum eſt. Nã is panis eſſe potuit,cùm azymus eſſet,& minimè vulgaris,atque ad feſtũ confectus,vt facilè ex fractura non deciderẽt micæ. aut ea cura Domini potuit eſſe cũ ſumma potẽtia cõiuncta, vt nõ defluerẽt:aut ne perirẽt quidẽ,ſi caderent. Quod ad ſacerdotis actionem attinet, illa quidem, quia debuit totam hiſtoriam recitare, non potuit eodem momento verbum *benedictionis* & cõnſecratoria

ſecratoria ſubſequētia proferre. Alioqui indubiè ſimul & Crucem fingeret, & verba proferret quibus fit Sacramētum. Non enim crucem fingit, vt nūc benedicat aut dedicet panem, cum id ſæpe antea fecerit, & poſt conſecrationem etiam faciat, ad Myſterium, & non ad ſanctificationem. Denique periculoſum errorem iudico, aſſerere Chriſtum benedictione, aut (quod idē valet) gratiarum actione quam Euangeliſtæ commemorant, non conſecraſſe: aut illius benedictionis hanc non fuiſſe formam (quod ad ſubſtantiam attinet) qua nunc conficiuntur elementa in Sacramentum. Nec in omnibus veteribus videbitis diſcerni quicquam inter benedictionem & cōſecrationem Sacramenti. Nam his verbis indifferenter ſemper vtuntur. *Calix ſolenni benedictione ſacratus*, dixit Cypria. ſer. de Cœn. & Iuſtinus, *Gratiarum actione conſecratus*. Ambroſ. *Benedictio cōſecrauit*. ca. 9. lib. de Myſt. & Auguſtinus Epiſt. ad Paulinum, *Dum benedicitur & ſanctificatur Sacramentum*, inquit. & huius generis alia infinita. Imò apertè Paulus à forma Sacramenti appellat poculum ſacrum, *Calicem benedictionis*, &, *Calicem cui benedicimus*. & docet fieri ex hac benedictione, vt ſit *communicatio Sanguinis Domini*. 1. Cor. 10. Propter eandem etiam cauſam dicitur Euchariſtia, quia fit per gratiarum actionem, quam docuimus apud Euangeliſtas ſignificare benedictionem. Vnde Irenæus lib. 4. cap. 34. veluti definiens Euchariſtiam, P*anem* dixit *ſuper quo gratiæ actæ ſunt*. Ex quibus fit perſpicuum, id quod Euangeliſtæ appellant *benedicere* ſeu *gratias agere*, fuiſſe verba conſecrationis, ipſamque formam Sacramenti.

Quòd verba conſecrationis ſint iſta, Hoc eſt Corpus meum. *&, de conuenientia eorundem.*

CAP. XVI.

SED nunc ex ordine partitionis noſtræ diſſerendum eſt de tertio huius quæſtionis articulo, quæ nimirum ſint verba Conſecrationis, ſeu forma huius Sacramenti. Et ſi hîc eam obedientiam & fidem Eccleſiæ Patribus & Concilijs haberēt omnes,

omnes,quam oportet,minus laboraremus.Nam Innoc.de celebr.Miss.ca.*Cùm Martha:* & Flor.Concilium in Decreto Eucharistiæ,& Ambros.citatus de cons.dist.2.cap. *Panis.* & Eusebius Emiss.ca. *Quia Corpus:* & Augustinus ca. *Vtrùm,* eiusdem dist.apertè definitum & testatum reliquerunt, formam Consecrationis panis esse, *Hoc est Corpus meum:* & vini, *Hic est Calix Sanguinis,&c.* vt iam sine crimine Hæreseos negari aut dubitari à nullo queat.In hac autem parte præter apertos Hæreticos huius tempestatis,qui nullam formam requirunt: & Vualdenses,qui(si credimus Guidoni lib.de Hæres.ca.9.) consecrabant Dominica oratione septies repetita : non mediocris controuersia inter Græcos & Latinos extitit,aliqua inter Theologos & curiosos Grammatistas, nonnulla etiam inter ipsos Theologos Scholasticos.

Sententia Scholasticorum Doctorum.

Atque vt primùm expediamus difficultates scholasticas,eorum qui à communi sententia nonnihil declinarunt: D. Thomas.q.78.art.1.ad.1.quatuor recenset sentẽtias de forma Consecrationis.Prima est Innocentij lib.4.de myst.ca.6.asserentis, Christum virtute diuina confecisse tum cùm benedixit,vsumque in eo potestate excellentiæ, vt sine forma illud faceret, quod nos non nisi præscripto verbo facere possumus. Illum enim postquam sic confecisset,tradidisse nobis illa verba,*Hoc est Corpus meum*,quibus semper consecraremus. Sed hoc non esse verum probatur: primùm, quia illud *benedicere*,quod aliàs dicitur *gratias agere*, non potuit esse sine verbo, vt explicuimus. Secundò,quia hoc esset miraculum operari,& non Sacramẽtum aut administrare,aut instituere. Tertiò,quia Dominus iubet nos facere quod ipse fecit. sed non voluit,vt nos sola potestate vel sua, vel nostra sine verbo cõficeremus: igitur ipse potestate excellentiæ non fecit. Secunda sententia vult, Christum tum cùm benedixit confecisse, alijs tamen verbis quàm quibus docuit nos consecrare. Sed hoc commentum simili argumento refellitur. quia nos ad imitationẽ Christi Sacramenta facimus,& sicut ipse non est vsus vna materia, & nobis præ-

scripsit aliam: ita absurdum est, ipsum in vna forma operatum esse, & nos in alia. prælertim hîc vbi forma verborum meliùs quadrat in Christi personam, quàm sacerdotis. Nam & ipse sacerdos benedicens, Christi personam gerit, cum dicit, illud esse Corpus suum. & Flor. Cōcilium decernit, formā huius Sacramēti esse verba Saluatoris quibus ipse cōfecit. Quare hæc sententia vix iā potest ab Hæresi excusari. Tertia sentētia asserit, Christum bis protulisse: semel secretè ad consecrationem, postea ad instructionem nostram apertè, quomodo recitantur in Euāgelio. Sed est absurdissima omnium hæc assertio. Primùm, quia Ecclesia nō vtitur his verbis nisi vt à Christo adhibitis ad confectionē Sacramēti: neq; hoc propterea, quòd credat illum antea priuatim dixisse, sed quia apertè ea super elemēta protulisse testantur Euāgelistę. Deinde si Christus bis protulit, certè secūda repetitio nō fuisset effectiua, sed historica, seu demōstratiua rei iā cōfectæ: nos igitur cùm imitemur secundā, id est, publicā prolationem, sequeretur historicè tātùm à nobis quoque pronūciari: quod vniuersam rationem Sacramēti labefactaret. Quarta ergo opinio est cōmunis, & sine cōtrouersia, Catholica, quę licet explicatione sit duplex, tamē hoc in vniuersum asserit, Christū tum cōsecrasse cùm benedixit, & eisdē verbis semel pronūciatis, quæ postea ab Euāgelistis recitātur. quæ etiā (vt Thomas putat) fuerūt prolata vel ante fractionē & dationē, vel (quod ipse iudicat maximè cōtextui quadrare) inter frāgendū & distribuendū: vt ita benedicēs, frāgens, & porrigēs panē, diceret, *Hoc est Corpus meū.* Quanquā propter narrationē Marci adducor in eam sententiā, vt putē potiùs priorē cōmentarium esse verū, & πρωθόστερον esse. Dicit enim ille, *& cùm benedixisset,* hoc est, postquam benedixisset, *fregit*: vt simul fregisse & consecrasse non videatur. & in hoc Euangelista tam apertè ordo narrationis circa institutionem Eucharistiæ inuertitur, vt discipulos bibisse etiam ante verba consecratoria narret. *Accepto* (inquit) *Calice, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes. & ait eis, hic est Sanguis meus.* &c. Cùm alij Euāgelistę, atq; Paulus,

& ipsa

& ipsa ratio doceat, benedictionem & verborũ pronunciationem ante sumptionẽ peractam fuisse. Atque ita fuit res trãsacta (quod ad hanc partẽ attinet) apud veteres huius disciplinæ magistros, Thomã, Alexandrũ Halensem, Durandũ, & similes.

Dubitarunt tamen deinceps nostra memoria Grammatici quidam scioli, & inprimis Erasmus, qui hîc tam petulans fuit, vt in annot. in 14. Marc. grauiter reprehendat eos qui audẽt asseuerare, Christum his verbis consecrasse, *cùm nusquam legatur* (inquit) *quibus verbis consecrauerit*. Sed perniciosiora sunt quæ scribit ad 11. ca. 1. Cor. *Qui* (inquit) *constat, hoc pactum nobiscum initum, vt referẽtes aliena verba consecremus & ipsi: cùm verba etiã Christi videantur esse potiùs porrigentis consecratum, quàm cõsecrantis &c.* multumq; applaudit sibi, quòd D. Thomas nõ appellet illos Hæreticos qui putarunt, Christum alijs verbis cõsecrasse. nõ animaduertẽs, aliud esse, & minus esse, dubitare an Christus sit vsus hac forma: aliud, & planè grauius, omnino negare vel dubitare, vtrùm nunc Ecclesia per hæc verba conficiat. Sicut aliud est dubitare, an Christus vel Apostoli ante Passionem Domini baptizauerint, *In nomine Patris, & Filij, & Sp. sancti:* & aliud, an hæc sit forma Baptismi necessaria, qua nunc ex Christi præscriptione Ecclesia vtitur. Hoc enim si neges, hæreticus es: de altero non est similis ratio, cùm non tam certò constet, quibus verbis vel Christus ipse, vel sui ante resurrectionẽ eius ad Baptismum vsi fuerint. Et certè hic auctor fuit primus in his qui Catholici vocantur, qui dubitauit de tota forma consecrationis. Nam Caietanum fuisse hîc ancipitem, nõ mihi persuadebit Ambros. Catharinus. & Lutherum hęreticum ante Erasmum ita sensisse, facilè credo Clichtoueo lib. 2. de off. Missę ca. 24. At Scholastici Catholici licet dubitarint aliquando, an Christ⁹ ipse his vsus fuerit: tamẽ nõ dubitãt, quin Ecclesia eius præscriptione hæc ad cõsecrationẽ adhibeat. Peperit tamẽ hîc aliquã offensionẽ vir maximi ingenij Ioãnes Scotus, dũ vult licêre dubitare (super dist. 8. lib. 4.) nõ solùm in hoc Sacramẽto, sed etiã in alijs, quæ sint præcisè formarũ verba. & dum cõcedit

Erasmus.

Scotus.

hîc fieri quidem consecrationem per assueta verba, sed nõ per ea sola, adeò vt consilium det sacerdoti legendi totum Canonem distinctè, & consecrationis intentionem referendi, nõ ad hæc vel illa verba præcisè, sed communiter ad quæcunq; Christus præscripsit; addens præterea, nec adorandam esse Eucharistiam quæ esset confecta per sola verba, *Hoc est Corpus meum*, nisi sub conditione, si verè est consecrata. Nam licet concedat, ea sola verba ad essentiam Sacramenti pertinere, tamen affirmat, antecedẽtia illa, *qui pridie quàm pateretur, &c.* necessariò adiungenda esse, ne verba consecratoria ita sonent, quasi sacerdos de suo, & non de Christi corpore diceret, *hoc est Corpus meum.* Id enim consecuturum putat, si acceptum panem benedicat sine commemoratione actionis Christi præcedentis.

Iam verò Græcorum vetustior fuit, sed penè idem error, maiori tamen animorum contentione & periculo defensus. Isti verba vulgata Sacramenti proferunt quidem, vt ex illorum Liturgijs constat: sed non eis solis conuerti elementa asseuerant, sed id potiùs fieri quibusdam inuocationis verbis à Patrib[9] institutis, quæ ita ferè habent in omnibus Græcanicis ritibus: *Rogamus te Sancte Pater, vt mittas Spiritum tuum super nos, & super hæc apposita munera, & fac panem istum quidem pretiosum Corpus Filij tui, & quod est in Calice isto, pretiosum Sanguinẽ Christi tui.* Hæc illi. In quam sententiam contra Latinam Ecclesiam multa Marcus Ephesinus & Nicolaus Cabasilas impotenter scripserunt. Qui tamen locus est pro nobis pulcherrimè defensus à summo viro Bessarione Constantinopolitano Archiepiscopo lib. de Eucharistia, quem data opera contra Græcos suos pro Catholica Ecclesia scripsit.

Sed vt hæc tota res certiùs constituatur, breuiter per cõclusiones & nostra confirmabimus, & priores errores refellemus. Prima Conclusio sit cõtra Scotum: Dubitandi licẽtia & ignoratio formarum Sacramentalium nullo modo est admittenda. Hoc ita probatur: Quia ex ea semper essemus anxij nõ solùm in administratione, sed etiam incerti de vi & operatione atque effectu

Conclusiones. 4. 1. Contra Scotum.

effectu Sacramentorum. Cùm enim omnis efficacia & significatio, quæ est cuiusque Sacramenti propria, in forma præcipuè sita sit: & cùm forma sit vna pars stati instrumẽti per quod De⁹ confert gratiam, & (quod caput est) cùm inprimis per formam instituamur externè de modo quo Deus in singulis Sacramẽtis salutem operatur: nulla res potest in hãc doctrinam inuehi perniciosior, quàm hæc ignorationis & dubitationis assertio. Deinde non minùs periculosè ignoratur forma, quàm materia: nec minùs laborauit Ecclesia de illa, quàm de hac constituenda: Concilia sacra tam expressè definierunt de vna, quàm de altera: Scholæ omnes tam certa præcepta verborum, quàm elementorum tradiderunt. Postremò cùm in cæteris omnibus Sacramentis formulæ verborum breues, significantes, apertæ, à reliqua ceremonia & actione aduẽtitia distinctæ, propter varios casus qui vel ex defectu intentionis, vel loquelæ, vel aliunde in prolixis orationibus accidere solent, constituãtur: in hoc vno Sacramento, vbi summa & reuerentia, & attentio esse debet, & vbi periculosissimè erratur, non aliter definire formam nisi per totum Canonem, summa est insania. Aut si dicat, illa verba omnia non esse de essentia formæ, sed esse tamen ad cõfectionem necessaria, ita vt sine illis forma maneat inefficax: respondemus, nos nil scire esse ad Sacramenti naturam & operationem necessarium, præter formam, materiam, & rectè intendentem ministrum. Quod vel ex eo etiam in hac ipsa re facilè videmus, quòd Apostoli aliįq; maiores nostri cõsecrarint tum cùm Canon hic non esset constitutus. Fiat deinde contra Erasmum secunda Conclusio: Christus tradidit Apostolis & Ecclesiæ formam verborum quibus Sacramentum hoc conficitur. Probatur: quia aliàs eius prouidentia deesset Ecclesiæ in re omnium maxima, nec haberet eam curam nostrî in hoc Sacramento, quam in Baptismo & alijs Sacramẽtis eum habuisse constat. Præterea non negabit iste, Eucharistiã esse Sacramentum. Illud quoque concedet, omne Sacramentũ conferre gratiam, & id maximè per formam. Quibus concessis, sequetur id

2. Contra Erasmum.

quod volumus, nempe Christum instituisse totum Sacramentum, id est, materiã & formam. Sæpe enim id ante ostendimus, nihil posse ab Ecclesia constitui, quod ex vi operis possit conferre gratiam. Si autem Christus instituit formam, illam certè commendauit Ecclesiæ, & exercendam mandauit. Hæc ergo temeraria vox, Christum non tradidisse verba quibus cõsecrare debeamus, est summæ impietati vel errori coniuncta. Tertia conclusio cõtra Græcos: Appendix Græcanica, quæ inuocationem Sp. sancti ad proposita dona consecranda continet, non est forma cõfectionis, nec vlla pars huius formę. Probatur: quia ea non est vna & eadem in omnibus ritibus, & quia in multis Liturgijs vetustissimis non adhibetur, vt in Dionysiana & Iustiniana, nec Ambrosiana, imò neque in tota Ecclesia Latina: quam tamen nec ipsi Græci negabunt verè conficere. Deinde probabile est, Euangelistas facturos aliquam mentionem eius formæ qua Græci vtuntur, si Christus eam præscripsisset. quòd si non sit à Christo, sed à Patribus, sine eius exemplo & mandato, non potest esse forma Sacramenti. Sed hæc omnia ex proxima Conclusione erunt firmiora.

De Sac. in gen. ca. 17. & 49.

3. Contra Græcos.

4. Contra eos omnes.

Quarta ergo Conclusio est contra omnes prædictos errores: *Hoc est Corpus meum*: &, *Hic est sanguis meus*, sunt sola forma consecrationis huius Sacramenti, à Christo præscripta. Probatur homini non contentioso vehementissimè sanè ex eo quòd D. Paulus commemorans se traditurum quod accepit à Domino, cum reliqua actione signanter adducit hæc verba: & quòd omnes Euangelistæ qui institutionem hanc narrandam susceperunt, eadem verba sine vllâ sensus aut vllius penè voculæ immutatione recitent sigillatim ad vtranque partem Sacramenti. Imò cùm duo sint in omni Sacramento, elementum & verbum, expressè elementum accepisse, & verbum dixisse commemorant: singuli ad singulas partes consimili sermonis tenore datâ operâ addentes verbum, *& ait*, *Dixit*, *Dicens*, & huiusmodi. statimque proferens, *Hoc est Corpus meum*: &, *Hic est Sanguis meus*. Probatur secundò, quia omnes Liturgiæ

turgiæ quomodocunque cætera aut mutant, aut prætermittunt, semper habent sine vlla sententiæ diuersitate hæc verba, *Hoc est Corpus meum*. Tertiò ostenditur auctoritate omnium Theologorum vtriusque Ecclesiæ, Græcæ & Latinæ. Iustin. Iustinus in fine 2. Apolog. dicit, *Eucharistiam consecrari per verbum Dei, sicut Christus factus fuit homo per verbum Dei*. Sed non est aliud verbum Dei in Eucharistiæ administratione præter hoc quod Euangelistæ illum dixisse toties commemorant: ergo illo verbo fit consecratio. Tertull. lib. 4. contra Marcion. Tert. idem apertissimè asserit: *Panem* (inquit) *acceptum Christus fecit Corpus suum, dicendo, Hoc est Corpus meum.* Non minùs clarè dixit Cypria. de Cæn. Do. *Summus sacerdos panem profert & vinum.* Cyp. *Hoc est (inquit) corpus meum. Ante verba illa, cibus erat communis: at postquam à Domino dictum est, & quotiescunque his verbis & hac fide actum est, panis substantialis iste solenni benedictione sacratus, ad totius hominis vitam ac salutem proficit.* Idem confirmat Ambros. lib. 4. ca. 4. de Sacramentis: *Reliqua omnia quæ* Amb. *dicuntur, laus Deo defertur, petitur pro populo, pro Regibus, & pro cæteris: Cùm autem venerit vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non vtitur suis verbis, sed sermone Christi.* Et paulò pòst: *Vbi verba Christi accesserint, Corpus Christi est.* & quæ sint illa verba, prosequitur per illud totum caput. Item lib. de myst. ca. 9. *Consecrationem* (inquit) *Diuinam ipsa verba Domini Saluatoris operantur. Sermone enim Christi conficitur hoc Sacramentum. Clamat enim Dominus Iesus, hoc est Corpus meum: & ante benedictionem verborum cælestium, alia species nominatur: post consecrationem, Corpus Christi est.* Ita ille. Augustinus etiam ser. 28. Aug. de verbis Do. ita ait: *Quod offertur in Altari, dicitur panis ante verba Christi: at vbi Domini verba deprompta semel fuerint, iam non panis, sed Corpus appellatur.* Eusebius Emiss. ser. 5. de Pa- Eus. Em. schate id explicat his verbis: *Inuisibilis sacerdos visibiles naturas in Corpus & Sanguinem suum verbo conuertit, dicens: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. & sanctificatione repetita, Accipite (inquit) & bibite, hic est Sanguis meus.*

Ecce

Ecce apertè verbum Calicis repetitam sanctificationem appellat. Simile dixit Paschasius: *Virtute* (inquit) *Sp. sancti per verbum Christi fit Sanguis Domini.* ca. 12. lib. de Corp. & sang. Do. Item Chrysosto. cuius sententia sicut & cæterorum Græcorum apud Aduersarios plurimum valere debet, Hom. 2. in 2. Epist. ad Timoth. *Quemadmodum* (inquit) *verba sunt eadem, quæ olim Christus dixit, & quæ nunc sacerdotes pronunciant, ita oblatio est eadem.* Rursus Hom. de prod. Iudæ. *Non est homo qui proposita de consecratione mensæ Domini Corpus Christi facit & sanguinem, sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis quidē ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est (ait) Corpus meum. Hoc verbo proposita dona consecrantur.* Hæc ille, quibus nihil potest dici illustrius. Gregor. autem Nyssen' in orat. Catechet. ita scribit: *Panis per verbum Dei & orationem sanctificatur, vt ait Apostolus: non quia comeditur, Corpus Christi euadit, sed statim per verbum in corpus mutatur, & a verbo hoc, Hoc est Corpus meum.* Sic S. Germanus Constantinop. Episcopus lib. de theoria Ecclesiastica: *Ipse dixit* (inquit) *hoc est Corpus meum: &, Hoc facite. Quod non dixisset, nisi vim inditurus fuisset, vt id alijs etiam facere liceret.* & Damasc. lib. 4. de orth. fide ca. 14. *Dixit Dominus, Hoc est meum Corpus, hoc facite: & omnipotenti eius verbo efficitur donec veniat.* Iam verò Concilia & Decreta Pontificum qui cupit in hanc sententiam videre, & nos in principio huius Articuli nonnulla attigimus, & reliqua ex Gratiano Dist. 2. de Cons. petere potest. Inprimisque in memoria habeamus iam hoc ita esse in Florentina & alijs posterioribus synodis definitum, vt vel dubitare de eo, infidelitatis scelus esse censeatur.

Pasch. · *Chrys.* · *Greg. Nyss.* · *Germ.* · *Damasc.* · *Ecclesia.*

Huius formæ conuenientia.

Porrò si quis rationem etiam audire cupiat, vnde probetur huius formæ conuenientia, eam dabit D. Thomas. q. 78. art. 2. p. 3. Cuius sententiam ita colligimus: Ea est aptissima forma quæ effectum Sacramenti congruentissimè exprimit & significat. Sed hæc verba panis & calicis quæ dixim', eum effectum ad quem destinantur conuenientissimo modo significant: igitur formæ commodæ sunt. Assumptum ita probat: Debet fieri

per

per hanc formam conuersio panis in Corpus Christi, hoc est, debet desinere panis in Corpus: sed hoc exprimitur optimè in hac forma. quod eleganter ita ostendit: conuersio (inquit) hæc est quædam quasi mutatio, & proinde tria complectitur, terminum à quo incepit, terminum ad quem tẽdit, & ipsam actionem. Quæ omnia suo modo hîc explicantur. Terminus à quo, demonstratur ad sensum per illud, *Hoc*: de qua particula aliàs *Inf. cap. 34.* differemus subtiliùs. Terminus ad quẽ, demonstratur per illud, *Corpus meum*: cùm in illã substantiã panis conuertatur. Ipsa conuersio seu mutatio potuit dupliciter exprimi: vel vt in fieri, vel vt in facto esse. sed hæc mutatio quia momẽtanea esse debuit, & nõ successiua, vtpote quæ ab omnipotẽtia proficiscatur, quę statim vt dicit factum dat; tum etiam quia similis esse debuit formæ artificiali, quæ cum in mente artificis existit, gerit similitudinem rei effectæ: propter has (inquam) causas non oportuit vt mutatio exprimeretur tanquam in motu, aut vt in fieri, sed vt in facto esse. Et illud optimè per verbum substantiuum pręsentis temporis, *est*, explicatur: & non per verbum, *fiat*, quomodo Gręci volunt. Alia ratio: Sicut in alijs Sacramentis ea est forma conueniens, quæ significat gratiam in suscipiente, quia illa omnia solo vsu & applicatione consistunt: ita in hoc Sacramento, quod non primariè in vsu, sed in consecratione materię constituitur, illa forma censetur legitima, quę effectum consecrationis, hoc est, præsentiam Corporis & Sanguinis Dominici exprimit.

☧ *Soluuntur obiectiones contra istam formam*, Hoc est Corpus meum.

CAP. XVII.

SED hîc si omnes Aduersariorum obiectiones recitemus *Ad obiectiones.* & refellamus, erit institutio plenior. Argumentantur igitur primùm ita: Verba quibus perficiuntur Sacramenta, debent significare actionem ministri: vt, *ego te baptizo, absoluo*, & similia: sed, *Hoc est Corpus meum*, nullam actionem ministri

exprimit,nec personam. Ergo nō est legitima forma.Respondetur expeditissimè, negando Maiorem. Nam licet minister sit necessarius ad cuiusque Sacramenti confectionem, tamen non est necessarium, vt persona ministri vel eius actio perfectè exprimatur:nec in cæteris quidem Sacramentis. Quod Græci inprimis concedere debent,qui baptizant ita: *Baptizetur seruus*
2. *Dei,&c.* Sed obijcitur secundò,quòd saltem forma debeat esse talis, quæ importet ministrū aliquid operari circa rem vel personā subiectam. Seu enim dicas, *baptizo*, seu, *baptizetur: Confirmo*, vel, *confirmetur*, intelligitur actus ministri facientis vel imperantis:vt in Ordinatione,cum ait, *Accipe potestatem*: aut iudicantis,vt in Pœnitentia, *Absoluo*:aut deprecantis,vt in extrema Vnctione: aut consentientis, vt in Matrimonio, *Accipio te*. At verba ista in nostro Sacramēto cùm in aliena tantùm persona dicantur à ministro, nō eū significant cōcurrere ad producendum effectum.Respondetur,sacerdotē hoc non obstante concurrere:nam in eo cooperatur ad effectum Sacramenti, quòd legitimè assumit in se personam Christi,& sic ipsa sola verborū recitatione producit effectum.Quòd autē non exerceat hunc actum quasi in sua persona,in causa est excellētia effectûs huius Sacramenti præ alijs qui non fit vulgari aliqua benedictione, aut applicatione elementi ad personam, sed miraculosa cōuersione substantię. Quę cùm non efficiatur nisi summa potentia Dei,diuinitùs comparatum est, vt potiùs exprimatur in forma Sacramenti primæ institutionis ordo,& vis,atq; actio Christi, eiusq; verbū,quàm actus vicarij ministri.Hinc Chrysost.Hom. de prod.Iudæ dicit, *illo sermone Christi semel dicto gratiā & potestatem huic actioni vsq; in præsentē diem attributā esse: & sacerdotem, dum verba pronūciat, veluti figurā Christi gerere*.qui id sępe inculcat,vt & Damascenus, alijq; peruetusti Scriptores,nō esse humanę potētię opus,nō esse sacerdotē qui hęc faciat, sed ipsum Christū operari nostra, eodē verbo quo in Cœna olim operabatur:ipsumq; esse qui immutet & sanctificet. Ne scilicet homines infirmi,si viderēt sacerdotē illud veluti in sua persona &
suis

suis verbis facientẽ,pateretur id,quod nũc Hæretici,qui passim traducũt sacerdotes apud plebẽ,quòd faciãt Christũ, Creaturę Creatorẽ.Deinde vero Dei sapientia voluit,vt in hoc inprimis Sacramẽto imitaremur Christũ institutorẽ:Cui⁹ proinde verba & actiones sigillatim referũtur ab Euãgelistis. Quod in alijs Sacramẽtis obseruatũ nõ est, in quibus minus futurũ esset offensionis,& impedimẽta fidei pauciora:eorũq; propterea institutio nõ tam clarè explicatur. Cui accedit ipsius quoq; exemplum,quod in alijs Sacramẽtis administrãdis nõ habem⁹.Nam licet omnia Sacramenta instituerit,& verborũ sensum, quibus formę eorũ constarẽt, Apostolis tradiderit: tamẽ an ipse ministrauerit,aut quo modo ministrauerit vllum cęterorũ,nõ accepimus:nisi ꝙ inter instituendũ hoc Sacramentũ,sacros ordines creditur cõtulisse. At verò Eucharistiã instituẽs, ipse ministrauit,& materię acceptione,reliquaq; actione,& gestu,atq; ipsis verbis cõceptis pręiuit. Accedit etiã quòd iussit nos hoc facere quod ipse fecit. quod nõ solùm ad elementum, sed maximè ad verbũ,vnde tãti operis efficacia prçcipuè oritur, referendũ est. Quare nemo iam miretur, ꝙ in hoc solo Sacramẽto ita imitemur Christũ,vt eius tam in verbis,quàm in factis, premere vestigia videamur. Quod quidẽ certè intellexit Paulus, cùm ait, in hoc Sacramẽto se tradere quod accepit à Domino: *Quoniã* 1.Cor.11. *Dominus* (inquit) *qua nocte tradebatur, accepit panem,&c. Dixit;&c.* Sed rursus obijcitur tertiò,& est prioris argumentationis corroboratio: Sacerdos non potest cõsecrare verbis Christi,quia tantùm recitantur vt dicta à Christo , & ita necessum est vt materialiter sumantur,non significatiuè:quæ autem verba significatiuè non proferuntur, non habent vim consecrãdi magis quàm cuiusuis historiæ Euangelicæ narratio. Deinde si sumantur recitatiuè, tunc referri nõ possunt ad panem quẽ sacerdos manibus tenet,sed ad eũ quem Christus accepit. Si autẽ significatiuè pronunciari dicas, tunc videatur illud *meum* in forma oratiõis,nõ Corp⁹ Christi,sed sacerdotis exprimere.Igitur quocũq; modo sumatur, nõ videtur esse forma cõueniens.

Respondetur: verba proferri posse trifariam. vel materialiter, vt nihil significent, quo modo accipiuntur in variarum disciplinarum exemplis, & aliàs: vel recitatiuè, vt dicantur in aliena persona, vt in Comœdijs & rerum gestarum narrationibus: vel significatiuè, id est, vt habeant vim ac significationem propriam & præsenti rei accommodatam. Dicendum ergo, verba consecrationis non sumi materialiter, quia sic nō fieret consecratio, cùm aliud non efficiant quàm significant: sed sumi recitatiuè, & significatiuè simul. Recitatiuè quidē, quia in persona Christi dicuntur, & rem ab ipso olim gestam declarant: significatiuè etiam, quia applicantur ad res iam propositas, & non ad panem & vinum à Christo accepta. Si enim tantùm recitatiuè, tunc omnia dicerentur de elemētis à Christo acceptis. Deinde nisi sumerentur etiam recitatiuè, tunc *Corpus meum* significaret & efficeret corpus sacerdotis, & non Christi. Si hîc dubites, quomodo eadem oratio possit vtroq; modo sumi, cape exemplum hominis legem promulgantis nomine Regis aut Reipub. aut bellum indicentis ex scripto & alieno edicto. Vbi facilè intelliges, regia verba simul & recitari, & obligandi vim habere.

4. Sed objicies quartò, hæc ipsa verba, etiam tum cùm à Christo proferebantur, videri potiùs historica seu assertiua, quàm operatiua. non solùm quia non habent formam importantem aliquam efficaciam aut actiuam vim, sed maximè quia dixit illa verba non super panem, vel ad panem, sed dixit Apostolis, alloquens eos. Cùm autem verba Sacramentalia proferimus vel operatiua, non alloquimur astantes, sed rem aut personam subiectam, vel inuocamus Deum super personam subiectam. Vt, *Lazare veni foras: Puella surge: Baptizo te, &c.* Et certè in hoc ipso Sacramento Catholici non debent concedere, quòd sacerdos consecrans quasi narrans rem gestam ad populum sermonem conuertat, sed super panem. quemadmodum in consecratione aquæ benedictæ, aut alterius cuiuscunque elemēti. Veruntamen, inquis, quòd Christus hæc verba ad Apostolos assidentes retulerit, apparet maximè ex narratione Marci in

conse-

confectione calicis: Vbi cùm cæteri Euãgelistæ narrent, Christum accepisse calicem, & dixisse: ille ita, *& accepto calice, ait illis, hic est Calix, &c.* Vbi verba planè ad Apostolos referuntur. Sed respondetur ad primum, non esse necessarium, vt verba Sacramentalia ex ipso orationis contextu importent vim operatiuam eius effectus quem significant. Habent illa quidem vt significent effectum externa orationis facie: Vt autem operentur eundem, hoc habent quia Sacramentalia sunt, quacunque sermonis forma proferantur, siue indicatiuè, siue imperatiuè, siue deprecatiuè. ex eo nimirum quòd sunt instrumenta Dei ad producendum talem effectum quem significant. Ad secundum dicimus, Sacramentalia verba non tantùm operari, sed etiam significare quid operentur. & licet non dicantur propriè ad homines circunstantes, tamen talia esse debere vt hominibus aliquid exprimant, ac proinde secundariò etiam hominibus dicantur, siue narrationis, siue instructionis causa. Et obseruandum est, eadem verba, quibus Christus vsus est ad miracula operanda, fuisse simul narratiua & operatiua. vt illa, *Mulier, fides tua te saluam fecit*, sunt verba per modũ narrationis hæmorrhoûsæ Mat. 9. dicta: tamen per illa verba, *ex illa hora* (dicit Euãgelista) *salua facta est fœmina.* & eod. cap. *Remittuntur tibi peccata*, paralytico dicta, operatiua sunt & narratiua. Sed contrà ais: hæc verba dicta esse ipsis personis in quas operabantur, & non alijs. Quid tum postea? Nam id satis constat ex his exemplis, eundem sermonem operatorium esse & narratorium. vt intelligant, consequentiam non esse validam, cùm sic argumentantur: habet formam narrationis, ergo non est efficax seu operatiuum. Sed si vis in omnibus exemplum simile, damus illud dictum cap. 4. Ioan. cuidam Regulo deprecanti Dominum pro salute filij: *Vade, filius tuus viuit.* Hic sermo dictus est illi, simulque operabatur sanitatem absentis filij, cùm tamen nec in forma præ se ferret vim efficacem, nec super filij personam videretur dici. Eodem modo hoc verbum Christi sacramentale dictum super panem, operabatur in eum: simulque dictum

Apoſtolis, veritatem & quidditatem operationis aſſeruit.

5. Cæterùm obijcitur vltimò ex auctoritate antiquorum Patrum, qui ad vnum penè omnes videntur aſſerere, confici hoc Sacramentum precibus, cùm in forma eccleſiaſtica, ſiue illa ſit hiſtorica, ſiue operatoria, deprecatorium ſit nihil. Nam Iuſtinus Apolog. 2. dicit, *Oratione confici Euchariſtiam*. Irenæus lib. 4. ca. 57. *inuocatione nominis Dei*. Cyrillus Hieroſolym. Catech. myſtag. 3. & 4. *inuocatione Spiritus ſancti*. Hieronymus Epiſt. ad Euagrium, *ſacerdotum precibus*. Auguſtinus ſemper ferè, *prece myſtica* (vt lib 3. ca. 4. de Trinit.) ſacramentum fieri aſſerit. Reſpondetur primò, quòd veteres non curabant paſſim exactè declarare & præciſè, quibus cōceptis verbis conſecraretur: licet miniſtris, ſecretiori inſtitutione, ea tradidiſſe cōſtet. Proinde cùm obiter, vel in cōcionibus ad populū, vel libris in publicū diuulgādis, de Sacramēti cōfectione ſermo incidiſſet, toti illi ſecretiori actioni & coniūctis precibus præparatorijs vim cōſecrationis attribuerūt. Quo modo ſi nūc diceremus, ſacrę Miſſę precibus fieri Corpus Chriſti. & quo modo Aug. Epiſt. ad Paulinū, nō diſcernēs verba cōſecrationis à cęteris precibus adiūctis, ea omnia nomine *orationis* complectitur, quæ dicūtur ab eo loco quo incipit benedici panis, vſque ad orationē Dominicā finitā. Idq; certè ad popularem inſtitutionē, ſi hæreſis impia non vrgeret, eſſet ſatis. cùm D. Dionyſ. Eccl. Hier. cap. vltimo ita dicat, *Efficientes conſecrationis preces fas non eſt ſcripto interpretari, neque ipſarum arcanū aut virtutem quæ per Deum in illis fiunt, è ſecreto in publicum efferre*. Hæc ille. Secundò reſpondetur rotundiùs, ipſa ſtata verba conſecratoria cuiuſq; Sacramenti non habuiſſe olim peculiarem appellationem diſtinctam à cæteris precibus, ſed dicta fuiſſe meritò & verè *inuocationem* ſeu *deprecationem*, cùm per illa vis Diuina ad ſanctificationem vocali ſermone euocaretur & impetraretur, licet formam deprecatoriam non haberent. Sic Aug. lib. 5. contra Donatiſtas cap. 20. vſus eſt verbo *deprecationis* pro formis ſingulorum Sacramentorum: non ſimpliciter quidem,

ſed

ſed cum additione, quòd fiat *ſuper materiam*. (Nam & in cęteris Sacramentis dicitur *Oratio fieri ſuper elementum*, quatenus coniungitur & accedit ad elementum vt fiat Sacramentum, licet materiæ non cõſecrentur ſicut hîc.) Dixit ergo ille: *Homicidam exaudiri deprecantem ſuper aquam, ſuper oleum, ſuper Euchariſtiam, ſuper capita eorum quibus manus imponitur.* Hæc ille. Et veteres ferè cùm formam Sacramenti *precem, inuocationem*, ſeu *verbum Dei* appellant, addunt aliquid ſingulare vt diſtinguatur à communi prece. Sic Auguſtinus non ſimpliciter orationem, ſed *myſticam orationem* dixit. Sic Dionyſ. loco citato τελεστικὰς ἐπικλήσεις, hoc eſt, perfectiuas, arcanas, conſecratiuas, ſeu myſticas inuocationis, vel preces quibus homines aut res initiantur. Sic alij, non ſimpliciter Orationem, ſed Orationem ſuper panem, & gratiarum actionem ſuper panem: ſicut D. Iacobus planè ſimiliter precem Sacramentalem perficientem extremam Vnctionem *Orationem ſuper infirmum* appellat: & *orationem fidei*, quaſi diceret, non carmen aliquod magicum, ſed fidei ac Religionis noſtræ propriam inuocationem vnde ſaluetur infirmus. Ex quo intelligis, verbum Sacramentale dici precem quidem, ſed non pro aliquo propriè vel homine vel re, ſed ſuper hominem vel rem ſubiectam.

Iac. 5.

Duo errores de neceſſitate aliorum verborum refutantur.

CAP. XVIII.

SEQVITVR nunc vt eorum errores refellamus, qui non negant verba Chriſti eſſe formam Sacramenti, ſed tamen nõ concedunt his ſolis cõſecrari: ſed volunt partim ab antecedentibus, partim ſubſequentibus orationibus vim verborum Sacramentalium pendêre. Quædam præcedẽtia Scholaſtici nonnulli ad neceſſitatem confectionis: ſubſequẽtes autẽ Patrum preces Gręci requirunt. Atq; hoc poſtremũ quia difficilius eſt, & maiore cõtentione defenditur, priùs expediamus.

Ita er-

Ita ergo disputant Græci: Liturgiæ Patrum post verba Christi inuocant Sp. sanctum, vt immutet res propositas in Corpus & Sanguinem Domini: ergo prioribus verbis non est absoluta consecratio. Ad hoc Bessarion Patriarcha duplex responsum parat. Prius est, hac prece Græcorum peti, vt fiat corpus mysticum, & non naturale: id est, vt velit Sp. sanctus facere fidelem populum ex veri Corporis perceptione vnum cum Christo quem accipiunt. Sed non placet hæc solutio, nec ipsi auctori est visa admodum firma. Quare secundò respondet in hũc sensum: Multa dici & fieri in Missæ sancta actione & ante consecrationem per anticipationem, & post consecrationem per ὑστερολογίαν & sermonis dilationem, quæ tamen non pertinent ad illud tempus in quo dicuntur, sed ad tempus pro quo dicuntur, id est, ad punctum ipsius consecrationis. Quod enim fit, seu ad sacrificium, seu ad Sacramentum pertineat, vnico momento prolati verbi Dominici agitur. Sed quia volebat Ecclesia exprimere partim tam excellentem effectum, partim tam admirabilem conuersionem, partim qua vi Spiritus id fiat, partim alia quæ ad oblationem & gratiam sacramentalem pertinent, nec ea omnia nisi verborum & temporum interuallo potuerit: cogebatur multa dicere & multa facere, tam ante quàm post consecrationem, quæ reuera facta tantùm sunt in ipso instanti confectionis. Hinc antè tot cruces, tot eleuationes, tot inuocationes super proposita dona; tot deprecationes pro suscipiendis muneribus, tot denique operationes sacrificales distinctæ, vt non putes vnum & idem esse sacrificium: aut vix intelligas vbi sit sacrificium, vel in qua propriè sacræ actionis parte constituatur. Sicut ergo Latini antea sępe appellãt elementa immaculatas hostias, benedicunt, orantque vt fiant Corpus & Sanguis Domini, quæ tamen omnia veram vim & intelligentiam non habent ante consequentia Christi verba proferenda: ita quicquid Patres in Gręcanicis ritibus precantur post Christi transacta verba, id totum fit vt exprimant qua virtute diuinâ prior cõsecratio peracta sit. Atque hæc ferè sunt quæ

Bessarion.

in vni-

in vniuerſum à noſtris hominibus dicuntur ad argumentum Græcorum,quæ & nos aptiſſima eſſe putamus.idque facilè cōuincimus vel ex eo, quòd Græci in Florent. Concilio rogati ſuper hac clauſula conſecrationis Liturgicæ, reſponderunt, ſe nihil aliud illic facere aut intelligere, quàm quod Latini in illa ſolenni Canonis oratione conſecrationem ſequente, *Vnde memores Domine* &c. & ita certè eſt. Nam omnia conueniunt, eo ſolo excepto,quòd nos rogamus dona perferri per manus Angelorum in conſpectum diuinæ maieſtatis: illi contrà inuocāt Spiritum vt deſcendat ſuper ea & immutet dona. Quæ duo, ſermonis genere paululum diuerſo, idem ſignificare confeſſus eſt acerrimus ſuorum defenſor Nicolaus Cabaſila ca. 30. Liturg. inſtitut.in eo tamen falſus,quòd nos dicat illis etiam verbis conſecrare. Sed de his noſtris verbis, deque ineffabili myſterio quod ſub ipſis latet,aliâs. Nunc id vnum volumus, quòd, quomodocunque intelligantur illæ preces Patrum, non fiat per eas conſecratio, ne Græcorum quidem Patrum ſententiâ. quod ita oſtendimus: Statim ad prolata verba Chriſti,quæ alta voce apud eos dicuntur, populus ita inſtitutus fuit, vt reſponderet acclamando, *Amen*. quaſi confitens verè ita eſſe quod dicitur. Deinde quod vrgentius eſt,Diaconi cooperantes ſtatim poſt Chriſti verba prolata, oſtendunt dona populo vt adorentur, ſicut & nos: ipſiq; ter adorant. Denique ſi per benedictiones & conſequentes preces fieret conſecratio, vna eſſet & indifferēs atque indiſtincta conſecratio panis & Calicis: neq; panis cōſecraretur ante Calicem. quod apertè eſt contra inſtitutum & exemplum Chriſti ſeparatim vtrunque benedicentis. atque hæc quidem in hac cauſa ſunt ſatis. Si quis plura deſideret, legat Cabaſilæ & Beſſarionis de conſecratione contraria ſcripta.

Sequitur nūc, vt his etiam ſatisfaciamus,qui verba quædam præcedentia ad neceſſitatem confectionis requirunt,hoc præcipuè argumento, quòd ſacramentalia verba ſine præcedentibus pronunciata ſonarent vt dicta in perſona miniſtri, vt ita

conuerti panis diceretur in corpus sacerdotis. Sed facilè respõdetur, intentione sacerdotis & institutionis nota historia id effici, vt licet hæc verba sola dicantur, nõ significent aliud quàm consecrationem elementorum in Christi Corpus. Neq; enim vllum Sacramentum tam clarè externo verbo aut ceremonia suum effectum exprimit, vt sine institutionis ac doctrinę sacrę traditione quid illo fiat cognoscamus. Quis enim possit quicquam de gratia & remissione peccatorum in Baptismo collata, ex sola lotione & inuocatione Trinitatis, sine ordine ad historiam institutionis, concipere? Cùm igitur Scotus ita contra D.Thomã disserat, intentionem non esse satis ad ordinandum verbum in talem effectum, sed ipsam formam orationis quatenus Sacramentalis est, debere significare effectum quem producit: dicendum est, Sacramẽta significare quidem, sed propriè fidelibus tantùm, qui priùs de veritate, institutione, & vsu rei sunt edocti: & eam instructionem quam Sacramenta continẽt, nõ esse primã doctrinã in fide, sed commonitionẽ posteriorem & particularem circa eas res quas antè cognouimus. In summa ergo, *Hoc est Corpus meum*, per se à sacerdote prolatum, præsuppositã intẽtione & vsu Ecclesiastico, non significat corpus sacerdotis, sed Christi. Præterea est validissimum argumentum contra hanc sententiam: quòd eisdem verbis nos cõsecremus, quibus olim Christus. At is vsus est tantùm suis verbis, & nõ Euãgelistarum. ergo solis verbis Christi cõsecramus. Reliquum est vnum argumentum Lutheranorum, quod arripuerunt ex Scholis. Nam est argumẽtum D.Thomę secundum, art.1.q.78. p.3. Cuius etiam solutionem si noluerũt admittere, cur saltem non eam doctè improbare curarunt? Argumentum ita habet: Saltem verba omnia Christi post acceptum panem, pertinere ad confectionem, si non Euangelistarum narratio tota requiratur. præsertim cùm Ambrosius & Emissenus locis antè commemoratis, his verbis Christi fieri Sacramentum tradant: *Accipite, & manducate, hoc est Corpus meum.* Ad responsionem, obseruanda sunt ista, Lutheranos hoc tantopere

vrgere,

vrgere, vt persuadeant, Sacramentum hoc in vsu consistere, sicut reliqua: verùm cùm aliàs passim non verbis actionem exprimentibus, sed ipsa comestione consecrari panem asserant; quomodò, obsecro, nunc sibi cõsentiunt? Secundò notandum, Christi sermonem post acceptum panem non fuisse tantùm operatorium, sed etiam narratorium, & instructorium. & ex ea parte qua instructorius fuit, multa à Seruatore dicta fuisse quæ ad vsum Sacramenti, nonnulla quæ ad effectus secundarios, aliqua quæ ad finem aliasq; circunstantias pertinebant. Hinc mandatum de comedendo & bibendo, de morte sua commemoranda, hinc in eadem sermonis complexione extat quoque commonitio, se non bibiturum amplius de genimine vitis, &c. Quæ tam diuersa licet vnica Christi sententia, etiam cùm tenebat Calicem in manibus, comprehendantur: tamen nec hæreticorum, nec Catholicorum quisquam dixit hæc omnia pertinere ad necessitatem Consecrationis. Ergo in hoc tam vario sermone partim operatorio, partim assertorio & instructorio, vnum ab altero, iudicio, ratione, atque communi sensu, & præcipuè instinctu Sp. sancti Ecclesia facilè distinguit; vt operatorium eum iudicet atque formam Sacramenti, qui directè referebatur ad panem, & super panem dicebatur: reliqua verò tanquam Apostolis dicta de pane, sed non super panem, ad consecrationem non necessariò pertinere doceat. Et quemadmodum in illo Christi sermone suprà commemorato. *Vade, filius tuus viuit*: facile est distinguere illud, *vade*, à reliquis verbis efficacibus: sic inter illud *bibite* Apostolis dictum, &, *hic est Sanguis meus*, ad ipsum calicem relatum, latissimum est discrimen. Et vt semel hoc finiam, est tertiò obseruandum, Christum multa fecisse illis verbis circa panem & Calicem, quæ nos nunc non facimus. Nos enim consecramus tantùm, ille simul & consecrauit, & instituit Sacramentum, & potestatem conficiendi Sacramenti alijs communicauit? Proinde vsus est ille multis verbis necessarijs ad institutionem, & potestatis communicationem,

ſicut illud, *Hoc facite*, quibus nobis non eſt neceſſariò vtendum, ad conſecrationem tantùm. Sicut in Sacramento Pœnitentiæ inſtituendo Seruator noſter quædam dixit ad poteſtatem remiſſionis tribuendam, vt, *Accipite Spiritum ſanctum*: quędam alia, vt formam remiſſionis inſinuaret Eccleſiæ, vt illud, *quorum remiſeritis peccata* &c. Iam verò ad Ambroſium & Euſebium, qui illud, *Accipite & comedite* quaſi ad verbum Chriſti conſecratorium pertinens recitarunt, reſpondet Thomas, eos illa verba commemoraſſe non ſolùm quæ ad primam perfectionem, id eſt, conſecrationem pertinebant, ſed etiam quæ exprimunt vſum Sacramenti, qui & ipſe aliquo modo, ad perfectionem, licet ſecundariam, cuiuſque rei facit. Atque hæc quidem ita ſunt.

Io.20.

Amb.
Emiſ.

In magna varietate formarum, quid à Chriſto, quidq́; ad conſecrationem neceſſarium ſit, oſtenditur. Item, de conuenientia formæ Calicis: &, de pronunciatione ſubmiſſa.

CAP. XIX.

IAm grauior exiſtit dubitatio, vtrùm omnia verba, quæ nunc habentur in formis ipſis eccleſiaſticis vtriuſque partis, pertineant ad eſſentiam & neceſſitatē conſecrationis. Sed ad hāc difficultatem clariùs explicandam aliquot concluſiones præmittendæ nobis ſunt. Prima eſt, Chriſtum ante Paſſionem ſemel tantùm conſecraſſe, ſemelque & vno tantùm modo ac formulâ loquendi verba conſecratoria protuliſſe. Secunda Concluſio: Euangeliſtas priores tres & Apoſtolum Paulum varijs modis pro ſuggeſtione Sp. ſancti, & ex parte alijs atque alijs verbis Chriſti ſermonem cōſecratorium ſingulos expreſſiſſe. Concluſio tertia: Chriſtus ipſe creditur poſt Reſurrectionem adminiſtraſſe Diſcipulis hoc Sacramentum. & veriſimile eſt, eum non ita obſeruaſſe eadem ipſa verba quibus vſus eſt cùm priùs inſtituit, vt in nulla particula planè immutaret. Hæc propoſitio non eſt perinde certa atque reliquę, ſed tamen probabi-

probabilis eſt quoad omnem partem. Concluſio quarta: Apoſtoli in illis initijs Religionis noſtræ, cùm adhuc pręciſè non eſſet conſtituta forma verborum per omnia, vſi ſunt (pro cuiuſque ſpiritu & voluntate) alia atque alia formula conſecrādi. Concluſio quinta: Eccleſiæ variæ iuxta traditionem ſui quæque Apoſtoli aut Euangeliſtæ, aut ex varijs Euangeliſtarum narrationibus in vnum congeſtis, aut ex Præpoſitorum ſuorum mandato habuerunt ſuas peculiares cōſecratorias formas nonnihil inter ſe diuerſas, & aliqua ex parte ab Euangelicis & Paulina, quæ ſcriptæ ſunt, diſtinctas. Hęc Concluſio eſt certiſſima ex perſpectis formulis Græcanicis & Latinis omnibus, quarum inter ſe ſemper eſt aliqua diuerſitas. Concluſio tādem ſexta ſit: Omnibus his formis verè poſſe conſecrari, ſiue qua vſus eſt Chriſtus ex narratione Matthæi, ſiue Marci, ſiue Lucę, ſiue Pauli, ſiue alia quacūque formula cuiuſcunque ritus probabilis, Græci aut Latini. Cuius propoſitionis ratio eſt, quia hi omnes Chriſti non ſolùm ſenſum omnino eundem exprimūt, ſed etiam veluti data opera, concepta verba penè eadem, pauciſſimis particulis & minimi (quoad ſententiam) momēti mutatis aut additis, conſectantur. adeò vt in priori forma conſecrationis panis, nihil quicquam in externis verbis aut ordine mutatum, aut diuerſum inſeratur, aut adimatur in omnibus Euangeliſtis, aut Paulo; aut in quacunque alia rituum Græcorum & Latinorum varietate, excepta particula *enim*, quæ adhibetur ſolùm in Latina forma ad benedictionem panis. Nam in conſecratione Calicis & apud Matthæum apponitur. Excepta etiam illa appendice, *quod pro vobis datur*, aut, *tradetur*, quam Lucas & Paulus ſoli ex Scriptoribus ſacris, Græcique ritus omnes apponunt, ſed Latina Eccleſia non habet. Nam quòd verbum ſubſtantiuum, *eſt*, in Paulina panis conſecratione, in quibuſdam exemplaribus Græcis non reperiatur, cùm Latina omnia habeant, & Græca plurima; & vbi deſit, neceſſariò intelligatur, nihil moramur: licet non ignorem, aliquos Hæreticos ex hac minima occaſione in forma conſectionis ad Calui-

nianam fidem factâ omisisse, *est*, ita proferentes, *Accipite, manducate, hoc Corpus meum.*

Forma Latinorum ad panem.

Vt propiùs ergo ad nostra accedamus, forma Consecrationis panis integra, qua nunc vtitur Ecclesia, est hæc: *Hoc est enim Corpus meum.* differens ab omnibus alijs partim adiectione cõiunctionis, *enim:* partim omissione illius clausulæ, *quod pro vobis datur.* quorum neutrum credimus esse necessarium, nec vllam partem formæ essentialem. quia credibile est vnumquenque Euangelistarum omnia protulisse verba quæ fuerint necessaria ad confectionem. Sed illud *enim* omittitur ab omnibus. & sine controuersia tantùm additum est ad coniunctionem sequentium cum præcedentibus, vt magis clarè videatur sacerdos in persona Christi facere. Et illud alterum *quod pro vobis datur* non nisi ab vno Euangelista dicitur, in cæteris omnino non habetur.

Luc. 22.

Forma consecrationis vini.

Forma verò nostræ Ecclesiæ ad Calicem, his verbis comprehenditur: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In qua est verborum maior quàm in priori mutatio, si ad narrationem Euangelicam respicias: & liberior quàm quæ ferè in Sacramentorum formis esse solet, additioque non parua, trium nempe significantiũ verborum, *Aeterni, Mysterium Fidei,* præter copulatiuas particulas. Et mutatio quidem eius generis est, vt partim ordo verborum sit varius, partim alio casu prolatus. Vt quæ ab Euangelistis obliquo, hic in recto dicantur, & contrà. Sed in hac re maximâ nulla potest hominis animo ingenerari offensio, si intelligat primò, nullam hîc prorsus fieri sensus mutationem, vel ex inuersione sermonis, vel ex adiectis particulis. Idem enim dixit Lucas, cùm ait: *Hic est Calix nouum Testamentum in meo Sanguine,* quod nostra forma ita effert, *Hic est enim Calix sanguinis mei,* Et illud, *Aeternum,* ac, *Mysterium fidei,* additum Euangelicis verbis, eorum sensum ac significationem non euertere, sed pleniorem facere constat. Nam *æternum* esse, noui Testamenti

est pro-

eſt proprium. Et *Myſterium fidei*, nouum arcanum ſummæ rei gerendæ atque efficiendæ mirificè exprimit. Si ſecundò intelligat, Euangeliſtas ea, quæ in commemoratione inſtitutionis ac conſecrationis Dominicæ protulerunt, non propoſuiſſe Eccleſijs pro formis definitis, ſed ad rei geſtæ narrationem ſcripſiſſe; quibus illud erat ſatis, vt ſinguli ſenſum Dominicorum verborum aliquo modo attingerent, licet ipſam ſententiæ formulam non ſeruarent. Si tertiò intelligat, multa Chriſtum feciſſe & dixiſſe, cùm in cæteris rebus Religionis, tùm maximè in Sacramentis inſtituẽdis, quorum præ alijs erat magis arcana doctrina, quæ Euangeliſtæ conſultò omiſerunt. Atque cæterorum quidem Sacramentorum ratio ac inſtitutio penè omnis eſt ab illis prætermiſſa, adeò vt verba quibus conficiantur, & actionis modũ ſola nobis Eccleſia accepta à Chriſto tradiderit. Quare minimè mirum eſt, ſi aliqua etiam verba, quibus Chriſtus vſus eſt circa huius Sacramẽti confectionem omiſerint.

Cùm igitur variè diſputetur de origine noſtræ formæ, ſentio equidem cum D. Thomã, licet multi reclamẽt, ab Apoſtolis Petro & Paulo eam eſſe profectam, & mandatam Eccleſiæ Romanæ, eoſque ab ipſo Chriſto (ſi & verba adiecta reſpicias) accepiſſe: maximè cùm accedat auctoritas Innocentij Pontificis cùm in lib. 4. de Myſterijs ca. 5. tùm in lib. Decretal. 3. tit. de celebratione Miſſarum. cap. *Cùm Marthæ*. & Eugenij quarti, qui Latinos ſacerdotes aſſerit eiſdem verbis conficere Corpus & Sanguinem, quibus Chriſtus: & cùm D. Dionyſius in fine Eccl. Hierarch doceat, formas Sacramentorũ occulta traditione contineri: & cùm hoc ipſum etiam Auguſtini regula de conſuetudine Eccleſiaſtica, quam tradit lib. 5. contra Donatiſtas cap. 23. confirmet: qua docet, *generalem conſuetudinem incertæ originis ad Apoſtolos eſſe referendam.* Cuius rationis vim intelliges magis, ſi aduertas, hanc formam noſtram, vt nunc conceptam, introductam fuiſſe vnà cum fide in omnes Eccleſias quæ Religionẽ à Rom. Eccleſia ſumpſerunt. Proinde licet

ante milleannos non extet huius formulæ præcisæ aliquod apud Patres testimonium aut exemplum, tamen non est ex eo consequens, eam non longè ante tempora Gregorij (vt quidam non verētur dicere) extitisse. Ego certè ita persuadeo mihi, nullam particulam post Apostolos mutatā aut additam fuisse. Nam si fuisset, certè eius mutationis auctor fuisset notatus multò magis, quàm propter adiectionem alicuius particulæ ad reliquam ceremoniam vel canonem. In q̃ua tamen re notanda tam fuerunt diligentes Maiores nostri, vt qui fuerint singularum partium vel auctores, vel restitutores, literis exactè mandauerint. Deinde verò vix credi potest, quenquam mortalium vel tantillum ausurum fuisse in semel ab Apostolis constituta forma, grauissima causa non intercedente, mutare: cùm eius rei semper fuerit nostrorum hominum summa religio, vt Aduersarij ipsi putent, nos in hoc genere penè ad superstitionem esse curiosos. Atque hæc quidem sententia nunc mihi propter vrgentes Hęreses & Sacramenti dignitatem videtur esse commodissima & tutissima. Quanquam nec eorum iudicium planè damnem, qui putant hæc verba postea accessisse ad rei explicationem, auctoritate Ecclesiæ: cùm non ignorem, huiusmodi additiones, modò sensus Christi non immutetur, admitti posse: & in cæterorum Sacramentorum formis sæpe reperiri, præsertim in forma Absolutionis. Atque hæc dicuntur à nobis propter ea verba, quæ apud Euangelistas non habentur. Nam reliquæ partes omnes licet nō ab vno aliquo Euangelista, vel non eodem ordine aut casu dicantur, tamen in Scripturis expressè reperiuntur. Nam quod dicitur, *Hic est Calix*, à D. Luca & Paulo testatum est: quod verò sequitur, *Sanguinis noui Testamenti*, à Matthæo. Deinde verò Matthæus dicit, *qui pro multis effundetur*: & Lucas, *pro vobis effundetur*, quod vtrunque Ecclesia in nostra forma coniungit, dicens, *qui pro vobis & pro multis effundetur*. Vltima particula, *in remissionem peccatorum*, à Matthæo prodita est.

His ita explicatis, redeo ad id quod quærebatur, Vtrùm hęc omnia

omnia quæ vel addita dicuntur, vel à Christo vsurpata leguntur, sint necessaria ad consecrationem. An nimirum sint singula ita de ipsa forma, vt concurrant tanquam pars instrumēti Diuini ad producendum effectum: aut an sint quædam aduentitiæ particulę, explicationis causa, aut alterius rei gratia, insertæ. Quæstio autem est de tota illa posteriori parte, à verbo *æterni* vsque ad finem. Nam de priori, *Hic est Calix Sāguinis mei*, nemo vnquam dubitauit. Neque est minus controuersiæ in illis, quæ certum est Christum dixisse circa consecrationem: quàm de alijs, de quibus, an à Christo vsurpata sint, ostendimus dubitari. Nam par est controuersia de hac particula, *qui pro vobis, & pro multis, &c.* & de ista, *Mysterium fidei*. Non enim omnia quæ Christus dixit circa illud tempus, cùm panem & calicem teneret in manibus, ad substantiam Sacramenti pertinent. Variæ ergo sunt Doctorum sententiæ. D. Thomas sicut omnia putat à Christo esse tradita, ita asserit, singula verba ad formæ substantiam pertinere. Quam sententiam ita interpretantur & tuentur huius Doctoris exacti sectatores, vt putent, singulas particulas, exceptis sermonis cōiunctionibus (de quibus etiam dubitant) ad essentiam formæ ita concurrere, vt, earum aliqua prætermissa, non fieret consecratio. Alia est sententia quorundam qui sequuntur Thomam etiam, sed liberiùs, qui omnia pertinere ad substantiam formæ, ita interpretantur, quasi diceret, omnia quidem de substantia esse, sed nō de essentia omnia. Et discrimen inter substantiam & essentiam hoc loco illud faciunt, quòd substantiæ partes omnes ad integritatem pertinere velint & perfectionem: sicut oculus & nasus dicuntur partes non quibus homo est, sed quibus homo integer est, & sine quibus integer nō est: licèt sine eis hominis essentiam habeat: Essentiæ autem partes non ad integritatem, sed ad ipsum esse necessarias iudicent. Vt ita hæc sit Thomæ sententia, omnia verba esse de integritate formæ, & ꝑinde operari ad effectum producendum, cùm adhibentur: sed non omnia esse de essentia, & propterea cùm absunt, non impedire consecrationem.

1.

2.

Et profectò probabilitate ſua non caret hæc ſententia, ſi ſeorſum defendatur. Sed certè D.Thomas, qui planè indifferenter vſus eſt nomine ſubſtantiæ (vt in Sacramentis ſemper) pro eſſentia, & pro eo omni quod eſt neceſſarium ad Conſecrationem, & qui data opera ſimpliciter contrarium docet, non debet nec poteſt in hanc pertrahi opinionem. Quod vidit Caietanus, & proinde eum deſerit planè in Com. ſuper art.1. q.78. p.3. Dominicus Soto tamen eam fuſiùs explicat, & ſuo modo peculiari tuetur.

Ac ſententia quidem prior, ſiue ea Thomę ſit, ſiue non ſit, nullo modo eſt cōcedenda. Nam ſi hæc omnia quę ſunt in Latina forma, eſſent neceſſaria ad ſubſtantiam ſeu eſſentiam, tum Patres Gręci, qui his omnibus vſi nō ſunt in ſuis Liturgijs antiquiſſimis & probatiſſimis, nunquam conſecraſſent, nec tenuiſſent quidem veram formam Sacramenti. ex quo multa indigniſſima ſequerentur, & ab homine Chriſtiano non admittenda. Deinde non eſt minor vis, minorque integritas in his verbis, *Hic eſt Sanguis meus*, ad conuerſionem vini: quàm in illis, *Hoc eſt Corpus meum*, ad permutationem panis. Et quo modo ſeſe habent hæc ſequentia quæ Chriſtus dixit, ad conſecrationem corporis ſui, nimirum, *quod pro vobis tradetur:* ita ſe habet ad conſecrationem Calicis, *qui pro vobis effundetur*: ſed illud prius non eſt omnino de ſubſtantia formæ, neque ad conſecrationem neceſſarium, cùm id noſtra forma non habeat: ergo neque ſimilis appendix erit neceſſaria ad confectionem Calicis. Maior eſt aperta, quia ſicut prioribus verbis determinatur prædicatum *Corpus*, ita hîc determinatur prædicatum *Sanguis*. Si igitur determinationes prædicati pertinerent ad integritatem locutionis, ſicut Thomas dixit: tum certè *quod pro vobis tradetur*, non minùs pertinebit ad integritatem formæ prioris, quàm *quod pro vobis effundetur*, ſpectabit ad integritatem poſterioris. Verùm non omne quod ſubſequitur prædicatum in enunciatione ad explicandum vel determinandum illud, de propoſitionis perfectione ſubſtantiali eſſe cenſetur: ni-

tur: nisi tale sit, vt ex eo sensus & significatio principalis partis pendeat: cuiusmodi est *meum* in vtriusque formæ enunciatione. Nam nisi illud adhiberetur vtrinque, non definiretur, cuius corpus aut sanguis esset. Sed sine alijs appendicibus quomodocunque determinantibus aut modificantibus prædicatum, sensus & sermo manet integer. Deinde vtcunque cætera tanquam determinantia prædicatum, aut ab eo dependentia videantur: tamen illud, *Mysterium fidei* per se veluti per parenthesin ponitur, separatumque est, nec sermonis contextum complens, nec ab eo quidem dependẽs, sed summæ tantùm rei admonitionem in ipsa actione pernecessariam continens.

Eædem quoque rationes, licèt nõ tam certò, valent tamen contra posteriorem quoque sententiam, qua asseritur, istam appendicem esse & operari in forma consecrationis per modum partis integralis, vt sine ea forma sit, sed perfecta aut integra non sit. Nam & ex eo hæc non tam magna, sed similia sequerentur absurda: Chrysostomum nimirum, Basilium, Iacobum, Græcosq; omnes, saltem nunquam habuisse completam formam, sed mancam & mutilam: sequereturque, illorum formam ad panem esse integram, quia addũt, *quod pro vobis tradetur*: & nostram esse imperfectam, quia illud desideramus. Nam hoc pro fundamento in hac re iacio, Si Christus dixerit non minùs ad priorem partem, *quod pro vobis tradetur*, quàm ad posteriorem, *qui pro vobis effundetur*, nullam esse causam, cur vnius defectus aut absentia imperfectionem in formam inducat, magis, quàm carentia alterius. Neque enim id quod hîc D. Thomas respondet, quicquam has rationes impedit: quòd nimirum propter expressiorem significationem Passionis & mortis per Sanguinem effusum, quàm per Corpus traditum, congruum sit potiùs apponere, *qui pro vobis effundetur*, in consecratione Sanguinis: quàm illud, *quod pro vobis tradetur*, in consecratione Corporis. Nam fatemur, summa congruitate & significationis cõmoditate singula vel apposita

vel omissa esse in forma Latina, præ omnibus alijs formis omnium aliarum Ecclesiarum:sed hoc admonemus, cõgruitatem abijciendæ vel resecandæ alicuius particulæ non facere ad integritatem substantialem Sacramẽti. Congrua enim sunt omnia quæ vel exemplo Christi, vel præcepto Ecclesiæ, sæpe apponuntur extrinsecè vel ad formas vel ad materias Sacramentorum;sed necessaria non sunt. Vnde ratiocinationem ex maiori vel minori congruitate,ad efficiendum id quod volunt,hîc non valere asserimus. Quanquam & id difficile dictu est, an, *Mysterium fidei*, addatur ad hanc posteriorem partem propter maiorem congruentiam: (cùm æqua videatur esse in Corpore ac in Sanguine Mysterij fideique ratio) & nõ potiùs hîc semel dicatur in posteriore consecratione, vt sit admonitio ad totam vtriusque partis sanctissimam actionem pertinens.Id autem,licet D Thomam plurimùm permouerit,tamen difficile nõ est, scilicet quòd appendix illa vno verborum tenore cum reliqua forma super calicem dicatur, & intentione sacerdotis quasi vnica continuaque pronuncietur. Illud enim fit, quia pars posterior in sensu & significatione enunciationisque modo, dependet à priore: & non contrà. cùm plena sit significatio prioris sine additione aut determinatione hac posteriore.& Christus consecrans panem, sine dubio eodem sermonis contextu dixit,*Hoc est Corpus meum*, & illud sequens, *quod pro vobis tradetur:* sine quo tamen (vt diximus) nostra forma manet integra. Quanquam si quis putet,totam hanc propositionem sine certa & curiosa designatione singularis operationis cuiusque partis efficere Sanguinem Christi,non impedio:modò tantùm de integritate dicat (iuxta secundam opinionem) & nõ de necessitate. Nam hîc fortasse Scoti sententia non tam abhorreret à ratione. qui noluit certò definire, quibus verbis Consecratio compleatur; modò ignorationis atque dubitationis concessio non pateret latiùs quàm ad eam enunciationem, quam nunc Ecclesia vno tenore verborum super panem aut calicem profert. Non enim existimo, teneri sacerdotem exactè scire, hæc

sola

ſola huius propoſitionis verba conuerſionem efficere, alia de integritate eſſe, alia ad coniunctionem vocum pertinere, nõnulla denique ad congruitatem doctrinæ atque explicationis apponi: ſed officio & rei vtcunque eſſe factum ſatis, ſi certa fide teneat, hac integra enunciatione conuerſionem Sacramentalem perfici. Vt autem ad totum canonem hanc dubitationem extendamus, Religio non ſinit, valdeque temeraria eſt aſſertio.

Tamen tertia ſententia quæ eſt Magiſtri Diſt. 8. lib. 4. & Alexandri, Durandi, Bonauenturæ, omniumque penè vetuſtiorum ſuper eandem Diſtinct. & quæ propterea communis eſt, mihi maximè placet, eiſdemque rationibus ſtabilitur, quibus priores refutantur, & Patrum deinde locis ante à nobis commemoratis; præcipuè teſtimonio D. Ambroſij ex lib. 4. de Sacrámenris, planè comprobatur. Hæc igitur ſententia tradit, nihil eſſe de ſubſtantia formæ niſi *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, vel quod idem valet, *Hic eſt Sanguis meus:* ſtatimque ad ea, antequam reliqua pronuncientur, Sanguinem exiſtere: & reliqua vel à Chriſto, vel ab Eccleſia, ad maiorem reuerentiam, inſtructionem, aut explicationem ſuperaddita, formæque veluti extrinſecus adiecta eſſe, ac eodem modo ſe habere quo illa, *quod pro vobis tradetur*, habuerunt ſe ad formam alterius partis cùm Chriſtus conſecrauit, aut nunc cùm Græci conſecrant, aut ſi nos eiſdem verbis adiectis conficeremus. Et hæc Sacramentalium verborum vno eodemque tempore à Chriſto ipſo & ſacerdotibus ſuper materiam ſubiectam æqualiter pronunciatorum tam exacta diſcretio, vt quædam dicantur de eſſentia formæ, alia non item, hoc nititur fundamento: quòd in Sacramentali verbo id tantùm ſit intrinſecum, neceſſarium, & ſubſtantiale, quod ſignificat propriè & perfectè effectum producendum, cùm in Sacramẽtis efficacia ſemper ſequatur ſignificationem. hoc enim illorum eſt proprium, id efficere quod ſignificant. Quare cum perſpicuũ ſit, ipſo D. Thoma cõfitente, conuerſionem vini in Sanguinem propriè & ſufficiẽter ſigni-

ficari per ea ſola verba, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, non minùs ritè quàm conuerſionem panis in Corpus per illa alia, *Hoc eſt Corpus meum*; neceſſariò efficitur, conſecrationem etiam vini verè compleri per illa ſola, *Hic eſt Calix Sanguinis mei.* Neque verò hîc momentum ponimus in illo, quod Dominicus Soto, dum Thomam tueri laborat, aſſerit, illis ſolis verbis conuerſionem in Sanguinem fieri, ſi illis, & non alijs, intendat ſacerdos conficere, vt ita alia vel prætermittat, vel non adhibeat animo conſecrandi per ea: ſin verò totam ſententiam iuxta ritum noſtræ Eccleſiæ ea intentione pronunciet qua debet, tum non perfici conſecrationem, donec tota enũciatio ſit prolata: Hoc (inquã) mihi nõ placet, niſi Eccleſiæ Dei placeat. Neque enim definimus, Sacramentorũ formas aut materias intentione Miniſtrorũ, ſed inſtitutione Chriſti ex propria ſignificatione verborum. Intentio enim eſt cõditio in Miniſtro, quæ poſsit opus aut effectum ſacramentalem promouere aut impedire, non rationem materiæ vel formæ mutare. Et exemplũ quod profert de Baptiſmo trinæ immerſionis, verum non eſt, & nihil efficit. Vult enim, baptiſmum fieri & cõpleri vnica immerſione, niſi intendat Miniſter trina baptizare. tunc enim ait Sacramẽtum non abſolui vſque dum intingatur tertiò. Sed hoc leue eſt: quia ſi verba omnia ſacramentalia proferantur ad primam, tũc quomodocunque intẽdat vel adhibeat plures immerſiones, Sacramentum in prima intinctione abſolutum extitit. Sin formam Baptiſmi ſic diſtinguat, vt per tres lotiones tres perſonæ Diuinæ (vt fit) nominẽtur: tum non fit Baptiſmus vſque ad vltimam lotionem, non quòd vltima immerſio expectetur, ſed quia vltimum verbum formæ eſſentialis deſideratur.

Nos ergo ex priori regula, qua omnia exigimus ad ſenſum & ſignificationem verborum, ita diſcernimus verba ſacri Calicis, vt illa priora, quorum ſenſus per ſe perfectus eſt & in omnibus ritibus inuariabilis, ad conuerſionem efficiendam pertineãt: reliqua adiecta (plura in noſtra, pauciora in alijs Liturgiis) ſignificent conditiones quaſdam, & modum exiſtẽdi, vnà cum

effectu

effectu Passionis vel Sacramenti. Et si hîc objiciatur, in Baptismo non sola ea, quibus ablutio & remissio exprimitur (cuiusmodi tantùm sunt, *Ego te baptizo*) ad essentiam formæ esse necessaria, sed etiam inuocationem S. Trinitatis, quomodo & in Sacramento Cõfirmationis, omnium penè iudicio: respondetur, in his duobus S. Trinitatis inuocationem pertinere ad significationem peculiaris & proximi effectus sacramẽtalis, non minùs quàm *Ego te baptizo*, vel, *consigno*: cùm Baptismo homines dedicentur atq; inaugurentur Trinitati, illisq; incorporentur qui Trinitatis professione in Ecclesiã coalescunt. cuius cõfessionis expressa corroboratio in altero etiã Sacramẽto significatur. idq; efficit, vt Trinitatis compellatio ad vtriusq; substãtiam pertineat. cùm ea ipsa inuocatio ad cęterorũ sacramentorum formas sæpe adhibita, de perfectione essentiali nõ existat. Si quis postremò obijciat, nomen Calicis quod est in priori parte formæ, non esse de substantia si hanc rationem sequamur, cùm Græci illud non habeant, nec Euangelistæ omnes; & cùm sine eo consecrari vinum in Sanguinem queat; cùm denique Sanguini vinoque accidat tantùm, in Calice contineri vel non contineri: Deinde (quod grauius est) quædam in posteriori parte sententiæ, vt in nostra forma, fuerunt in priori, vt in verbis Consecrationis Christi secundùm Lucam: nam ita dicit, *Calix nouum Testamentum in Sanguine meo*: cùm igitur hîc ante verbum vltimum, id est, *Sanguinis*, non consecretur: videri, reliqua antecedentia omnia de substantia esse, licèt in nostra forma eadem verba consequentia completam significationem conuersionis, ex priori regula aduentitia & extrinseca esse dicantur. His ita respondemus: primò, nos non negare, quædam verba interiecta esse ipsis partibus essentialibus formæ, quę tamen non habentur pro necessarijs, licèt in media forma existant: sicuti illud *enim* in vtroque verbo Sacramentali. quare & in his quoque nos omnia ad significationem & sensum exigimus. Nam in quacunque parte propositionis reperiantur, si nõ pertineant necessariò ad effectus expressionem,

aliena

aliena à Sacramenti substantia esse iudicamus. Secundò dicimus, atque obseruari cupimus, quædam verba pro diuersa conceptione aut compositione enunciationis nunc esse de substãtiali parte formæ, nunc non esse. In causa hoc est, quòd idem sensus principalis potest exprimi varijs formis dicẽdi. & quandocunque aliquod verbum verè concurrit ad faciendum talem sensum, tunc illud verbum est substantialis pars formæ, & efficax est, non per se sed cum reliquis, ad effectum producendum. Sic vbi in nostra forma, & in narratione Lucæ *Sanguis* exprimitur in obliquo, nõ potuit fieri completæ significationis sermo, nisi adderetur, *Calix Sanguinis*, vel, *nouum Testamẽtum in meo Sanguine*, vel, aliquid simile. Cum tamen illa verba, *Calix & nouum Testamentum* per se nõ essent hoc modo significatiua: cum in narratione Marci, vbi Sanguis ponitur in recto, in simplici propositionis affirmantis forma, hunc in modum, *Hic est Sanguis meus*, sensus integer sit sine vtroque. Vt omnia ergo vno verbo complectar, sic sentio: omne illud, sine quo non est perfectus sensus respectu effectus Sacramentalis, concurrere ad consecrationem: reliqua in quacunque parte sermonis sita sint ad essentiam aut integritatem non pertinere. Atque hæc quidem hactenus disseruimus ita, vt si quid erratum sit in re omnium longè sanctissima explicanda, culpam omnem à Christo & Ecclesia humillimè deprecemur.

Conuenientia formæ Calicis.

Reliqua autem de formis pręceptio facilior est, & Sacerdotibus magis necessaria: vt intelligant singula, siue quę ad sensus perfectionem, siue quę reuerentię & explicationis gratia, in hanc formam congesta sunt, summa sapientia & maxima congruitate adiecta esse; & omnia ferè ab ipsis Euangelistis atque Paulo non quidem sumpta (aliam enim eorum originem suprà notaui) sed tamen esse testata. In qua forma, cum potuisset commodè exprimi conuersio vini in Sanguinem per verba Matthęi, quę verisimile est illum hausisse ab ipso ore Christi conficientis, hęc scilicet, *Hic est Sanguis meus*: tamen voluit Spiritus sanctus eundem sensum à nobis exprimi potius verbis

Lucę

Lucæ & Pauli per nomina *Calix Sanguinis*, quæ rationem Sacramenti magis declarant, dum vinum in Sanguinem potabilem cõuerti significatur ex verbo *Calicis* apposito. præterquam quòd eâdem etiam *Calicis* vsurpatione in Sanguine consecrando, Passionis mysterium annotari oportuit, iuxta illud Mat. 26. *Transeat à me Calix iste.* Iam verò cùm Lucas obscurè & figuratiuè ita dicat, *Hic Calix nouum Testamentum in meo Sanguine*, sapienter habet nostra traditio, eodem sensu, iuxta Matthæum & Marcum, magis clarè & propriè, *Hic est Calix Sanguinis mei noui Testamenti.* Christi enim Sanguis propriè est Sanguis noui Testamenti, hoc est, quo nouum Testamentum dedicatur. vt per ea verba nostrum Testamentum confirmatum Sanguine Christi, comparatum veteri Testamẽto sanguine victimarum dedicato, agnoscamus. Quod etiam vocabulum *æterni*, nouo Testamento appositum, valdè illustrat, æternitatemq; sacerdotij Christiani, quoad hunc ipsum ritum Ecclesiæ, commodissimè demonstrat. *Mysterium* verò *fidei* interiectum, optimum, maximum, occultissimum, & sola fide penetrabile, solísque fidelibus communicabile Religionis opus, in ipsa media actione, opportunissimo loco insinuat. Deinde illud totum quod sequitur, *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, aptissimè ad hanc partem Sacramenti accommodatum est, vbi propter rationem cruoris, qui violenta morte sæpe effundi solet, Passionis luculentior fit recordatio. Ergo ex hac particula, & verum esse Sanguinem Seruatoris agnoscimus, cùm idem sit qui postridie effundendus erat: & modum ac conditionem, quam habet in Sacramento, intelligimus: illic nempe existere tanquam separatum atque effusum de reliquo corpore, & per modum hostiæ pro peccato. Sapientissimèq; deinde *remissionis peccatorum* vt maximi fructus Passionis Dominicæ; eorumque ad quos illud beneficium pertineat, fit commemoratio. Illa enim *pro vobis, & pro multis*, à Matthæo & Luca, singula à singulis (vt antè diximus) contestata, ad spem & consolationem communicantium spe-

ctant, cùm audiant illum bibi Sanguinem qui pro ipsis recipientibus effundatur. & *pro vobis*, quia ad præsentes maximè refertur, dulcius ac grátius est, ac animos Apostolorum tunc recipientium, sicut omnium postea communicantium, mirificè debuit inflammare. sed illud *pro multis* expositionis gratia additum est, vt non solùm ad tum præsentes, sed ad multos significaretur Passionis vtilitas peruentura. Licèt enim Sanguis effusus sit pro omnibus, tamen eius fructus non peruenit ad omnes, sed ad certos, licèt eos valdè multos. Quare cùm hoc loco tantummodo de fructibus Passionis sermo esset, quæ electis tantum salutis fructum attulit: rectè factum est, vt *pro multis*, & non *pro vniuersis*, diceretur. Simile enim est quod Hebr. 9. habetur, *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Quanquam illud, *pro vobis*, potest accipi generaliter, & non indiuiduè tantùm. vt idem sit, *pro vobis*, ac si *pro hominibus* dixisset. itemque illud, *multi*, Scripturæ quoq; vsu pro omnibus rectè intelligitur: vt ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatores constitutos esse multos*, id est, omnes, dixit Paulus.

Ex his intelligimus, omnia quæ ad verba Sacramentalia pertinent, sanctissimè & appositissimè esse constituta. Ex quo illud efficitur, nullum hominem priuatum ea posse vel minimùm violare, omnesque peccare in Christum & in Ecclesiam grauiter, qui his quicquam addunt, detrahunt, immutant, licèt etiam sensus seruetur. Ac delictum est quidem, si vel negligentia, vel incogitantia aliquid hìc committatur. grauius est, si sciens & prudens feceris. at si ex contemptu fiat, scelus est. Est autem (vt id quoque intelligas) crimen hoc omne in genere Sacrilegij, cùm sit violatio & corruptio rei summo vsui diuino sanctissimá obseruantia dedicatæ. essetque fortasse longè minus, mille Calices profanare, aut altaria frangere, quàm verba Calicis sacri semel contemnendo corrumpere. Ergo sanctè hìc cauendum est ab omni permutatione, sed inprimis de ea qua sensus mutatur, & Sacramentum corrumpitur, aut

de qua

de qua probabiliter suspicari poteris quòd sensum immutaret. Vt si dicas, *hac est Caro mea*, pro, *hoc est Corpus meum*. Nec minor debet esse cautio in his particulis quæ possunt hæresin inducere. Nam si Zuinglianus diceret, *hoc est quodammodo Corpus meum*: vel si Lutheranus sic, *hic panis est Corpus meum*: & summum sacrilegium committerent, & nihil facerent. Studendum præterea est, vt hoc loco sacra verba distinctè, grauiter, & expressè pronuncientur: non quòd ex omissa aliqua finali litera, vel permutatione, vitio linguæ, deficiat Sacramentum: sed quòd negligentia hic sæpè habeat periculum, & nunquam careat irreuerentia.

Verba consecrationis submissè dicenda.

Postremò mos & traditio Maiorum effecit, vt Ecclesia Latina submissa voce verba sacra pronunciet. Id olim Dionys. Areop. probat in fine Eccl. Hier. cùm prohibet, *ne quis in publicum preces efficientes Consecrationem proferat*. Et nuper Conc. Tridentinum eos damnauit, qui morem Ecclesiæ in eo improbant. sess. 6. can. 9. Cui obseruationi causas dedit verborum summa maiestas, atque Deo dicata sanctitas. quæ si clara pronunciatione apud plebem innotescerent, varijs modis ex vulgata recitatione non tantùm profanarentur, sed nonnunquam etiam traducerentur ad horrendas superstitiones, aut actiones ludicras. Vnde grauia quædam olim secuta esse narrat Innocent. 3. lib. 3. ca. 1. de Mysterio Missæ, & alij qui huius ceremoniæ rationem reddunt. Atque illud ipsum altum silentium in sancta actione summam rei sacrę reuerentiam & auctoritatem conciliat. æquumque est, vt quod à Ministro ore profano recitari non debet, nec ab alijs aure communi audiatur. Nec magis iustæ sunt causæ, cur plebs à tactu consecratarum rerum, quàm ab auditione sacratissimorum verborum prohibeatur.

Quæstiones de verborum sensu, & de reali præsentia, esse coniunctas.

CAP. XX.

QVARTVS articulus, qui erit de verborum ſacramentalium ſenſu, habet ſibi coniunctam controuerſiam illam celebrem de vera & reali pręſentia Corporis & ſanguinis Dominici in ſancto Sacramento. Et Eccleſia quidem Catholica quæſtionis aientem partem non tantùm vt rem fidei, ſed vt articulum fidei, & caput Religionis tale, ſine cuius cognitione nec ruſticus quidem ſaluari queat, ſemper tenuit. licèt ſub qua parte Symboli propriè contineatur, non facilè dixerim: cùm alij ad duos diuerſos articulos pertinere velint, vt D. Thomas, qui quatenus Sacramentum eſt, ad articulum de *Eccleſia*: quo modo verò Chriſtum præſentem comprehendit, ad *omnipotentiam* refert: Thomas V valdenſis ad *Sanctorum communionem* reducit: Alij ad *Eccleſiæ* articulum, totius huius Myſterij fidem reijciunt. Id vtcunque ſit, ſub eo genere rerum credibilium comprehenditur, quo reliqua omnia capita Symboli Apoſtolici: vtpote cuius ignoratio non maiorem adferat infidelitatis excuſationem, quàm Incarnationis aut Trinitatis ignoratio. Nititur autem iſta ſumma veritas, verborum Sacramentalium propriâ, apertâ, literali, genuina, & ſenſui communi congrua interpretatione. Et ſicut Eccleſia Dei ad Euchariſtiæ perfectam exiſtentiam requirit & profitetur non imaginem, figuram, aut ſignum Corporis, ſed verum & naturale Corpus: ita à verborum ſacramentalium interpretatione dicendi figuras omnes, quibus indignè corrumpitur tanti Myſterij veritas, diligentiſſimè ſemper repulit. Contrà verò Hæretici Sacramentarij ad vnum omnes (exceptis Neſtorianis & Lutheranis, de quibus poſtea) partem negantem corporalem præſentiam Chriſti totis viribus defendunt. Licèt enim varijs modis, ſibique & alijs diſcrepantibus verbis, illorum quique ſe ſuamque ſententiam ita explicent, vt ſinguli videantur habere peculiare dogma: imò licet eorum quidam mirum in modum Catholica verba ſimiarum more imitentur, nec à nobis quicquam diſcrepare videantur (quod genus perniciofæ

niciosæ simulationis in Ario, & Pelagio, & alijs penè omnibus Hæreticis Maiores nostri notarunt) tamen illę palàm deprehenditur esse sensus & sententia omnium, aliud nihil esse in hoc Sacramento, præter elementum & nudum signum Corporis absentis. Id vt tueantur, verba Sacramētalia impijs commentationibus corrumpunt, accersunt vndique ex grammatica & Rhetorica raras dicendi phrases, varias figuras & loquendi tropos, Synecdochen & Metonymiam, Allegorias, Metaphoras, Parabolas, omnesque sermonis abusiones quas Græci κατα χρήσεις appellant, in vnum breuissimum, sanctissimum, & simplicissimum Christi verbum, *Hoc est Corpus meum.* Hìc ergo tibi alius, *est* pro *significat*: alius, *corpus* pro *figura corporis* exponit: illinc ab exemplo parabolarum, hinc à Metonymia, vnde signo nomen signati attribuitur, præsidium petentes. Hinc ex Scripturis similes phrases passim arripiuntur: vt, *Semen est verbum Dei, Christus est ostium, Ioānes est Elias, Columba est Sp. sanctus.* illinc ex Theologis vetustioribus, si quid vel obscuriùs, vel incommodiùs, vel aliorsum dicitur, studiosè conquiritur. Et postquam insaniri cœptum est, vt intelligas quanta sit Hæreseos stupiditas, videas aliquos (quod in Bibliorum quorundam Geneuensium scholijs nos ipsi deprehendimus) *Corpus* pro *Ecclesia*, id est, corpore mystico interpretari: alios commentarium constituere in verbo *meum*, vt ad possessionem, & non ad naturæ proprietatem referant, vt hic sit sensus, Accipite & comedite hanc corpoream substantiam panis quam ego possideo. Quidam verò Antonius Personus pseudomartyr, inter Hæreticos clarus, omnem sermonem quem Christus habuit de accipiendo & comedendo Corpore suo, non alium habere sensum vult, quàm vt Apostoli Scripturas comedant, ruminent, hoc est, euoluant sedulò & diuidant populo. Nescio an his adhuc illud sit magis ineptum & impium, quod Andreas Carolstadius attulit, locutum Christum non de eo quod habebat in manibus, sed de Corpore ad mensam sedente, cùm dixit, *Hoc est Corpus meum.* Sed illud omnem impietatem superat, quod

Hæreticorū varij sensus super, Hoc est Corpus meum.

Cap.17. Coubrigius quidam (teste Alano copo dialog.6.contra Flac.) ita peruertit verba sacra vt dixerit, *hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur*, ita intelligendum, *hoc est Corpus meum in quo populus circumuenietur.* Quæ verò verborum portenta,quas profanas vocum nouitates ad has absurdissimas interpretationes defendendas in summum Mysterium inuexerint, pudet referre. In quo omnes suos facilè superat Caluinus: putidum enim isti, figuræ, Sacramenti, signi, symboli nomen: ab hoc artifice noua cuduntur. Eucharistia iam est *pignus*, est *instrumentum, energia, vis, & substantia etiam Corporis*, est *confirmatio diuinarum promissionum in corpore*, est *veritas coniuncta signo per fidem*, est *signaculum eorum beneficiorum quæ nobis ex Christi corpore proueniunt*. Is porrò primus hanc inuenit viam, vt *substantia panis præsens & corpus absens fiant vnum symbolum, mirificè coniuncta per fidem.* Hic te docebit, quo modo fide rem quamlibet longissimè absentem realiter tibi præsentem sistas: quo modo viciſſim fide & in cœlum, & in Corpus Christi per hoc Sacramentum te transferas. Deinde verò qua vocum varietate ludit ad exprimendam manducationem huic fictitiæ existentiæ consentaneam? *pendère ex ore concionatoris explicantis institutionem Cœnæ*, esse, *corpore Christi pasci: credere* esse *edere: manducare* esse *fide, spiritu, mente haurire gratiam ex corpore Christi: corpus Christi* esse *alimentum animæ, non corporis*: Sacramentum *spiritu, non corpore, manducari*: Et huius generis infinitis verborum præstigijs suos mirificè ludificatur. His tamen inuentis ita hic homo gloriatur, vt non solùm Catholicos vt *crassos comestores, anthropomorphitas, literales magistros*, sed etiam reliquos Sacramentarios omnes, vt nimis humiliter de hoc mysterio sapientes præ se contemnat, audeatque porrò iactare, *suam sententiam & explicationem verborum Dominicorum tam esse excelsam & miraculi plenam, vt sua difficultate excellat omnem captum humanum.* Ita ille lib.4. Institut. cap.17. part. 24.

Histo-

Historia Sacramentariorum & condemnationis eorum ab initio repetitur.

CAP. XXI.

SED quia Ecclesiasticæ historiæ cognitio ad veritatem indagandam iuuat plurimum, adeoque etiam sufficit omnibus non nimium obduratis: de origine huius mali, progressuque & Ecclesiasticorum contradictione, pauca dicemus. Cœpit ergo hæc immanis hæresis, sed moderatè & timidè, vt in initijs fit, postquam contraria fides & Religio stetisset iam 800. annis, cùm Ecclesia esset vtcunque adepta pacem ab Arianismo & cæteris antiquis Hæresibus. Primus enim malè sensisse ac scripsisse de hac re dicitur Ioãnes quidam cognomento Scotus, Caroli Magni præceptor, Alcuini æqualis. Huius liber de Eucharistia cõdemnatus fuit (teste Lanfranco) in Concilio Vercellensi. Paulò pòst Bertramus presbyter, vir doctus & disertus, ad hanc hæresin animũ applicuit, & scripsit opus, offensionis & falsitatis plenũ, ad Carolum Crassum, De Sacramento Corporis Dominici, docẽs subobscurè & callidè, ipsum Corpus quod natum est de Virgine, nõ esse in Eucharistia. Qui liber meritò damnatur in Indice Tridentino. Ab hoc auctore prodijsse puto illam Triplicis corporis Christi distinctionem, scilicet *veri, mystici,* & *Sacramentalis*, cuius meminit Paschasius in fine Epistolæ, De Corpore & Sanguine Domini, his verbis: *Ad vltimum, quæso, ne sequaris ineptias de Tripartito corpore, neque salem aut mel in eo admisceas, quod quidam voluerunt.* Quibus temporibus hãc hæresin sparsam fuisse latiùs, apparet ex cõtrarijs Catholicorũ scriptis. Nam nõ tantũ fuerũt qui integris libris editis se opponerent, vt S. Paschasius, Rabanus, & alij, qui contra istos ex professo doctissimè scripserunt, sed omnes illius temporis Scriptores, Græci & Latini, indubiè propter errorẽ tum nascentẽ, cœperunt cautiùs & pressiùs loqui de Sacramẽto, quàm vnquam antea, omnemq; amouere figuram ab interpretatione verborum Sacramentalium. Ea enim res fecit Theophylactum eius temporis Scriptorem,

Io. Scotus.

Bertramus.

tùm in

tùm in Comment. ſuper 26. Matth. tùm in 11.cap.1. Cor. admonere bis, *Chriſtum non dixiſſe, Hoc eſt figura Corporis mei, ſed, Hoc eſt Corpus meum.* Idem fecit eodem tempore Damaſcenus lib.4.de orth.fide.ca.14. Eadem quoque tempeſtate Nicenum Conc.2m.act.6. propter hæreſin pullulaſcentem,dicit: *Sacrificium noſtrum à Chriſto aut Apoſtolis nunquam vocatum fuiſſe imaginem aut ſimilitudinem,ſed ipſum Corpus & Sanguinem.* In ſumma, poſt ea tempora poſteritas tota & illorũ temporũ Scriptores illuſtres, Alcuinus, Haymo, Amalarius, aliiq́ue omnes locuti ſunt de præſentia Corporis Chriſti diſtinctiùs. Hîc ergo faciat ſibi veritatis ſtudioſus talem ex certiſſima regula ſyllogiſmum: Omnis in Religione ſententia, quæ(primùm ac nata atque audita eſt) notatur & refutatur ab ijs qui in pace Eccleſiæ eodem tempore viuunt,certiſſimè eſt erronea in fide. Sed ſententia contra veram præſentiam corporis Chriſti, ſtatim atq; audita eſt,admiratione eſt ſuſcepta, & reprobata Catholicorũ ſcriptis qui tum Eccleſiæ præſidebant:ergo eſt in fide erronea. Ratio maioris eſt, quia ſi fuiſſet vera,tunc non fuiſſet noua: ſi fuiſſet communis,nõ peperiſſet admirationem:ſi fuiſſet vetus, nemo ſe oppoſuiſſet. Huic regulæ coniuncta eſt obſeruatio & nominatio perſonarum & temporum,in quibus opinio aliqua communi ſententiæ aduerſa initium capit. Et ad hoc examen exigit Irenæus Valentinum & Cerdonem lib 3. ca.4.Epiphanius Aërium in Anacephal. Tertullianus atq; Vincentius Lyrin. omnes hæreticos, in libellis quos contra hæreſes in communi ſcripſerunt.

Regula dignoſcendæ hæreſis.

Sed vt pergamus, hæc nunc Patrum diligentia aliquandiu repreſſit errorem,præſertim cùm auctores quos nominauimus non viderentur in Eccleſiam contumelioſi, nec contentioſi multùm. Longo poſt tempore Armenos hanc hæreſim ſuſcepiſſe,eiusq́ue primos auctores fuiſſe, ſcribit Guido hær.16.ſed malè,cùm in cæteris iſtorum erroribus Conciliorum Decretis condemnatis,hic omnino nõ numeretur. Sed illud eſt omnium iudicio certũ, poſt 200.annos maiore molimine & contentio-

Armeni.

tentione, quàm vnquam antea, rursum excitatam fuisse à Berengario Presbytero & Archidiacono Andegauensi, circa annum Do.1060. Hic ergo cùm hæresim ex libro illius Ioannis Scoti, cuius summus fuit admirator, imbibisset, atque animi pertinaciam adiunxisset, clandestinis colloquijs primùm imperitorum animos in suam sentẽtiam traxit, tum egenos quosque scholares, præsertim Theologiæ studiosos, quotidiana stipe, cùm opulentus esset, ita solicitauit, vt eorum opera omnis penè Gallia ac vicinæ gentes eo malo quàm citissimè laborarent. Quem adhuc iuuenem D. Fulbertus iam moriturus, Spiritu diuino permotus, prædixit futurum veteris disciplinæ & Religionis immanem perturbatorem, atque à conspectu suo vt cacodæmonem arceri iubebat. Istum primus admonuit Adelmannus Episcopus Brixiensis doctissima Epistola ad eum de Eucharistia scripta, rogans per Christum & veterem familiaritatem, communisque pręceptoris sanctissimam memoriã, ne rebus nouis tantopere studeat, vtque desinat sibi ipsi & Ecclesiæ matri perniciem parare: obtestaturque vt de Arij, Manichæi, & similium pestium horribili exitu & execrabili memoria pertimescat. At Berengarius his non permotus, sed scelere & superbia inflammatus iam doctissimos quosque Episcopos ad certamen prouocat, de affulgente sibi luce veritatis gloriatur, sanctissimosque viros, Humbertum, Paschasium, Lanfrancum, errore & stupiditate vulgi teneri clamat: cùm ipse artium optimarum & ignarus & osor adeò importunus fuerit, vt eius opera in Gallia disciplinæ penè omnes iacẽrent. Admonitus deinde iterum Hugonis Lingonensis, cuius auctoritas apud illum plurimum ponderis habitura putabatur, grauissimis, cõsilijque ac doctrinæ plenis literis, quibus & eius opinionem potenter expugnat, & Catholicã de præsentia Corporis Christi sententiam præclarè confirmat: Priuatisque & publicis cõgressibus ab eruditissimis viris sæpè superatus, cùm adhuc non desisteret, sed ad schisma & seditionem accenderetur magis, adeò vt iam sibi pulpitum in Ecclesia peculiare, valdè eminens

Berengarius

& ſublimitate conſpicuũ, vnde hęc noua oracula maiori ſplendore & plebis admiratione funderet, conſtitueit: parant tum contra eum doctiſſima ſcripta Lanfrancus & Guitmundus, ille Cantuarienſis in Anglia, hic Auerſanus in Apulia Epiſcopus, & paulò pòſt Algerus. quæ adhuc extant omnia, & ita in hoc argumento excellunt, & præcipuè Algeri opus, doctiſſimi Monachi, vt neſciam an quicquam poſſit ſcribi elegãtius, doctius, ſanctius. Certè impiam ſententiam ita confutant, & realem pręſentiam ſic conuincunt, vt impietatis magiſter omnibus praui dogmatis præſidijs deſtitutus, etiam diſcipulis caruiſſet, niſi homines impij, qui peccatorum potiùs quàm rationum pondere ruunt præcipites in hæreſin, eum adhuc magis magiſque inſanientem conſectati eſſent: Soli (inquam) ſcelerati, vt auctor eſt D. Guitmundus in initio. 1. lib. de Sacramẽto, qui nolebant tam ſanctam & diuinam rem eſſe in Euchariſtiæ cõmunione, quam vel more, vel præcepto Eccleſiæ debebant ſæpe percipere, vnde deterrerentur, aut à flagitijs cohiberẽtur: vt ita Berengarij de Sacramẽto ſentẽtia ad ſcelerũ licentiã cõficta eſſe videatur. Ergo cùm hunc in modum proficeret in peius, errans & in errorem mittens, cumque res ad manifeſtum ſchiſma ſpectare videretur, delata eſt ad Sedem Apoſtolicam, vt ibi ſumma quæ in terris poteſt eſſe auctoritate vel damnaretur, vel probaretur. Damnatur ergo Berengarius de hæreſi Sacramentali à ſeptem ordine Pontificibus, Leone, Victore, Stephano, Benedicto, Nicolao, Alexandro, Gregorio: & ab hoc vltimo (qui Hildebrãdus ante Pontificatum vocabatur) diſputatione etiam publica, habita Turone, tempore Leonis conuictus erat. Nam ſub his omnibus Pontificibus vixit & Eccleſiæ rebellis fuit. Sed nec ſummo iudicio quicquam cedens, etiam in ordinem ſanctiſſimum ita contumelioſus fuit, vt iſtos non tam Pontifices, quàm pompifices & pulpifices ſcurrilis hæreticus appellandos diceret. Denique ne extremum quoque remedium ita inſanienti Hæretico, & præter hæreſin Sacramentariam alias quoq; iam cõtra Baptiſmũ & coniugium cudenti,

deeſſe

deesse videretur: Leo nonus celebrem Synodum Vercellis cõgregat, cui ipse præsidet, in qua diligentissimè disputatum est de verbo Sacramentali, deq; præsentia Corporis & Sanguinis Domini. Quo cùm vocatus Berengarius venire renuisset, vnà cum peruersa sententia sua, suisque sequacibus omnibus anathemate percussus est. Sed cùm adhuc persisteret, & iam in Pontificem & totum Concilium petulanter debaccharetur, mortuo Leone, aliud Concilium Turone iussu Victoris Papæ coit. Cui præsidebat Hildebrandus Pontificis Maximi Legatus. Vbi iam pręsens auditus Berengarius, cùm conuictus nihil planè posset respondere, tandem Catholicam Confessionem à sacro cõcilio conceptã complexus est, & iureiurãdo per sanctã & homoüsiam Trinitatem se nunquã in posterũ aliter docturum, publicè promisit. Sed nec inconstantię notam, nec Sacramenti præstiti religionem moratus, à conspectu Concilij vix discessit, cùm relabitur, partim causatus coactionem, partim ambiguitatem verborum, partim alium sensum quem sibi sua cogitatione finxerat. Quare cùm indies propagaretur Hęresis, & vnus homuncio ita insultaret toti Christiano orbi, iterum Romam vocatur à Nicolao 2°. vbi hac maximè causa generale Concilium celebratum est 113. Episcoporum. Ibi rursus, cùm vtrinque disputatum fuisset acriter, aliquot etiam Episcopis totum triduum aduersariam sectam defendentibus, tandem cum sua parte Berengarius veritati cessit, ibique corã tota Synodo, præsente Pontifice Nicolao, sua manu libros quos de hæresi scripserat, cremauit, priusque iuramentum renouauit, & formulam fidei paulò clariùs iam expressam confessus est, quæ & nunc extat de Consf.dist.2. *Ego Berengarius*. Sed adhuc tertiò relapsus, & iam non tam (vt ita dicam) abiurus, quàm periurus, quarto & vltimò vocatur Romam ad alterum Concilium à Gregorio.7.celebratum. Vbi tandem Scripturarum, Conciliorum, Ecclesiarum omnium auctoritate, ratione, ipsoque pudore, & æterni supplicij metu, ingrauescente iam ætate, superatus, dicitur verè & ex animo deposuisse hæresin,

 supplex-

supplexque à Pontifice petijsse,& obtinuisse veniam, sanctéq; promisisse, se omnibus modis laboraturum, vt à se decepti ad fidem mansuetissimæ matris Ecclesiæ reuocentur.quo tempore hanc bonam & simplicem formam fidei confessus est: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum conuerti in veram ac propriam & viuificatricem Carnem ac Sanguinem Do. nostri Iesu Christi: & post consecrationem esse verum Corpus quod natum est de Virgine, & verum Sanguinem Christi qui de latere effluxit: non tantùm per signum & virtutem Sacramenti, sed etiam in proprietate naturæ & veritate substantiæ: sicut in hoc breui continetur, & sicut ego lego, & sicut vos intelligitis, &c.* Denique (vt Gaguinus refert in vita Henrici, & Gulielmus Bibliothecarius Malmesburiensis lib.3.de gestis Anglorum) mortuus est pœnitens (quod hæresiarchæ vlli alij nescio an unquam accidit) bona sua in pauperes distribuens,ipsoque die Epiphaniȩ agens animam, & ex recordatione grandis schismatis & deceptionis multorum,alta ducens suspiria: *Hodie*, inquit,*in die Apparitionis suæ apparebit etiam mihi Dominus meus Iesus Christus, propter pœnitentiam (vt spero) ad gloriam, vel propter alios (vt timeo) ad pœnam æternam. Nos iam sanè credimus, post benedictionem illa mysteria esse verum Corpus & Sanguinem Saluatoris: adducti & veteris Ecclesiæ auctoritate, & multis nouiter ostensis miraculis.*

Confessio Berengarij.

Ex hac ergo historia hæc facilè commoditas capiatur, vt impudentissimus error, ita natus, ita propagatus, ita superatus, ita desertus certissimè habeatur pro hæresi. Quæ est enim Hęresis, si non ista, quæ contradictionem à tota Ecclesia passa est, quæ à doctis viris refutata est, quam summi sacerdotes septem anathemate percusserunt, quam quatuor Concilia reprobarunt, quam qui tenuit, ter fuit proprio iudicio & iuramento pro Hæretico damnatus; fuit miraculo antè cognitus, & prædictione prophetica veluti designatus ad futuram Ecclesiæ calamitatem; qui sic vixit, etiam iuuenis, vt & magistros suos & communem studiorum ac disciplinarum viam contemneret; qui sectam pretio constituit; qui sectatores solos sceleratos habuit;

buit; qui alias sectas perditionis adiunxit; qui duplicem habuit suæ hæreseos sententiam, vnam domi pro suis, alteram pro externis foris; qui denique & Religionis & potestatis omnis à Deo constitutæ contemptor & irrisor extitit?

His ergo modis cùm esset ab auctore deserta hæresis, & omni iudicio damnata, refrixit, at planè sublata non est. Delitescebat enim adhuc in quibusdam Impanatoribus, Henricianis, Petrobrussianis, Apostolicis, Vvaldensibus, Albigensibus. quæ res effecit, vt sequens etiam ætas in Catholicæ sententiæ corroborationem diligentiùs incumberet. In quo genere laudis excelluerunt tùm Petrus Abbas Cluniacensis, Bernardus Clareuallensis, Hugo Victorinus, Anselmus Cantuariensis, Innocentius. 3us. aliíque complures. Eademque tempestate cœptum est etiam passim à magistratu Ciuili in hoc genus hominum gladio & ignibus animaduerti. Etenim nunc primùm Ioannes Rex Anglorum flammæ nonnullos tradidit: & paulò pòst circa annum Do. 1155. aliquot Germani Londini iussu Henrici. 2. combusti sunt, alij candenti ferro ad æternam infamiam in frõtibus notati. Hac ergo omnium ordinum diligentia vel extincta, vel oppressa, ducentis penè consequentibus annis iacuit. Quo maximè tempore Scholastica Theologia, quæ via quadam & ratione res Diuinas tradit, coli cœpta est, & exculta multùm per Albertum, Thomam, Bonauenturam, aliosque complures excelso ingenio viros, qui hanc quoque veritatis partem mirificè illustrarunt, & expeditissimè defenderunt. Tandem verò ad annum Dom. 1380. Ioannes Vvicleffus Anglus magno ingenio, subtiliorum artium cognitione, & hac ipsa Scholastica facultate penè supra hominem superbus, tertiò iam maioribus viribus quàm vnquam antea infaustum renouat de corporali præsentia certamen, aliquot alias impudentissimas assertiones contra Ecclesię fidem adiungens: vt ludum dicas fuisse conatum Berengarij, præ ut huius rabies quæ dedit. Cùm enim maiora essent in hoc homine quàm in altero naturæ & doctrinæ adiumenta, opportunitas etiam sceleratæ

Sacramentarij post Berengarium.

Initiũ Scholasticæ Theologiæ.

Io. Vvicleffus.

sectæ amplificandæ deploranda fuit. Incidit enim in illud immane schisma, cum Ecclesia ipsa studiaque Principum ac Prælatorum omnium totius orbis in varias partes diuisa essent, tribus magnæ potentiæ & gratiæ viris se pro summis Pontificibus simul gerentibus. Ergo scribendo expeditè, acerrimè disputando, & (vt illa tempora tulerunt) suauissimè etiam dicendo, sexaginta annis penè impunè & liberè hæresin disseminauit, librorum voluminibus ducentis (vt scribit Æneas Syluius de origine Bohemorum, ca. 35.) editis. quibus tantum profecit, vt ad singulare certamen eius ætatis Theologos omnes superbissimis vocibus sæpè prouocaret, propositis thesibus de Eucharistia & Papæ antichristianismo, paucissimique resisterent, se dederent plurimi, vacillarent docti, stuperent omnes. iamque effectum est, vt non solùm sententia multi in Religione errarent, sed etiam vt Sacramentorum ritus administratioque mutaretur: eoque impietatis deuentum est, vt summum Sacramentum muri, bufoni, araneę, blasphemo ore conferrent. Habebat sententiam de præsentia Corporis Christi non aliam quàm Berengarius, verbis tamen subdolis ita conceptam & variegatam, vt vix cognoscas eandem esse. quem vt parùm doctum, & multiplici condemnatione infamem, noluit agnoscere magistrum: se verò cum Patribus primi millenarij sentire: suamque sententiam magis mysticam & diuinam iactabat, quàm vt à Prælatis Cæsareis intelligatur (ita enim Catholicos appellabat Episcopos) rectèq; primos post Christum mille annos de hoc Sacramento sensisse. quod totum tempus vocabat millenarium Christi: at proximum millenarium vsque ad finem seculi, Diaboli esse, nec quicquam in omni religione rectè sapere contendit. Res ergo ita ad summam fidei defectionem spectabat; & paulò pòst, seriùs quàm solet, occursum est. Restitit tamen huic malo iam nascenti Academia Oxoniensis, Theologorumque iudicio pestilentem hominem vt hæreticum condemnauit, dogmaque explosit. Sed cùm eo accenderetur magis, iussu Gregorij Pontificis senten-

Vvicleffi duo millenarij.

tiam

tiam ſecundam Theologi in eum & omnes ſequaces ferunt, iuſiurandumque exigunt à ſuis, ne impias theſes numero 160. tueantur aut ſequantur. Idem poſtea fecerunt Pariſienſis & Pragenſis Academiæ. Tum verò ad Synodum nationalem omnium Epiſcoporum illius gentis deductus eſt Londinum, anno Dom. 1382. vbi ſolenni omnium Prælatorum iudicio damnatus, ſed non emendatus, dimittitur. Deinde eius rurſus ſententia profligatur in alio Concilio Romano, vbi & libri omnes de hac hæreſi conſcripti cremari iubentur. Viguit tamen adhuc hæreſis, nec in auctorem viuum quicquam grauius ſtatuitur.

Venerunt his temporibus ſtudiorum cauſa Oxonium Hieronymus Pragenſis, & alius ex familia Piſciputrianorum nobilis Bohem', teſte Aenea Syluio. qui ipſi ex hoc impuro fonte hauſerunt venenum, & in patriam vnà cum libris iſtius hæreſiarchæ ad alios detulerunt. ibique communicatis rebus nouis cum flagitioſo ſacerdote Ioãne Huſſo, totam gentem Bohemicam inſanabili & (vt videtur) æterno vulnere percuſſerunt. Ibi ſtatim venerabilem Euchariſtiam conculcauerunt, grandemque panem palo in Corporis Chriſti contumeliam affixerunt, vt ab omni plebe conſpiceretur, vt mimica actione adoraretur, & reſiſtentes Doctores 12. ſanctitate & doctrina claros in fornace calcis ardentis ſuffocarunt, grauiſſimeque in omnes Catholicos ſæuierunt. Tandem verò ſumma Dei clementia, colligente ſe Eccleſia, quæ diu iam trium Pontificum ſchiſmate laborauerat, Concilium Generale Conſtantiæ cogitur, in quo damnatur Vvicleffi iam mortui memoria; diligentique examine perſpecta eius impœnitentia, oſſa exhumari & cremari iubentur; præcipui articuli 45. (quorum tres primi ſunt contra realem præſentiam) anathematizantur ſeſſ. 8. Viuus deinde exuritur Huſſus, & paulò pòſt Hieronymus. Quo iuſtiſſimo exemplo Catholici Principes omnes Sacramentariorum furorem ſanctiſſimis legibus & exquiſitis ſupplicijs repreſſerunt.

Hieronymus Pragenſis.

Ioan. Huſſ.

Matti-

Martinus verò Quintus postea ne quicquam ad impietatem opprimendam deesset, grauissima auctoritate Sedis Apostolicæ istorum articulorum condemnationem ratam esse voluit. Quo etiam tempore floruerunt & optimam operam nauarũt præstanti doctrina viri Ioannes de Turrecremata, Io. Gerson, Andreas Brodus, Æneas Syluius, & longè omnibus in hac Religionis palæstra excellens Tho. Vvaldensis Carmelita, totius Ordinis Prouincialis in Anglia. Qui vir cùm omnem antiquitatem teneret, & Scholasticam disciplinam ita exactè nosset, vt in vtraque facultate penè par esse videatur: hanc sectam Sacramentariam tribus Doctrinalis sui voluminibus (sic enim illud diuinum Opus appellat) tam potenter expugnat, vt nihil suprà desiderari posit. Scripserunt etiam circa hęc tempora in Græcia contra hanc hæresin ad assertionem communisimæ fidei omnium Ecclesiarum, Nicolaus Methonensis, Germanus Constantinopolitanus Episcopus, Nicolaus Cabasilas, Marcus Ephesinus, & doctissimus Bessarion, alijque plurimi recentiores Græci: etiam tum cum ea Ecclesia infelici schismate se à nostra separasset. Licèt enim in quibusdam alijs pręcipuis Religionis capitibus à nostra dissenserit, & circa hoc ipsum Sacramentũ contentiosè egerit: tamẽ de pręsentia veri Corporis & Sanguinis, re vna apud omnes gẽtes Christianas notisima, vt vnquam dubitaret, noluit committere. Quare non tantùm scriptis hominum singulorum, sed etiam communi consensu omnium Ecclesiarum fides hęc in illo maximo Florentino Concilio per Eugenium Quartum ita demum approbata & explicata est: *Substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in Sanguinem conuertitur, veréq; totus Christus continetur sub specie panis, idemq; totus sub specie vini.* Ita Conciliũ. Accesserunt his ad opprimendam hęresin Coloniensis & Louaniensis Academię doctę tunc temporis & sanctę (vt in Bulla Leonis decimi cõtinetur) Vvicleffistarũ confutationes: multaq; prouincialia Concilia, quibus in omnib⁹ Regnis & Rebuspub. impia de Sacramento sententia religiosisimè retundebatur.

Tho. Vvaldensis.

Græci contra Sacramentarios.

Quare

Quare cùm centum annis & ampliùs inter Husſitas tantùm deliteſceret in Bohemia, tandem noſtra ætate Andreas Carolſtadius, Germanus, impius & inſanus homo infandam ſectam reſuſcitauit, anno Do. 1522. Deinde Io. Oecolampadius Brigittanus Apoſtata, & Vdalricus Zuinglius confirmarunt. Poſtremò Martinus Bucerus, Apoſtata Dominicanus, Petrus Martyr ex Canonico regulari irregularis Apoſtata, Italus: Philippus Melanchthon Germanorum Dauus appellatus, Ioannes Caluinus Picardus, Theodorus Beza Burgundus, furore & infinita libidine inſani homines multas Europæ perſonas & prouincias onuſtas peccatis eiuſdem erroris ſpiritui ſubiugarunt. Quibus ſe ſtatim adiunxerunt omnes Anabaptiſtæ, Trinitarij, Athei, omnesq; omnium Gentium facinoroſi homines, præter adoleſcẽtulorum, & grammaticulorum turbam ingentem. Se his primo quoque tempore oppoſuerunt Eckius, Cochlæus, Pighius, Eraſmus etiam, & his omnibus eruditione ac ſanctitate longè præſtans Roffenſis martyr: cuius diuinum contra Oecolampadium de Corpore & Sanguine Domini opus ipſi Hæretici pertimeſcunt. poſtea Gropperi, Stephani Vvintonienſis, Ioannis Heſſels, aliorumque eruditiſſimorum virorũ prodierunt multa grauiter & ſubtiliter ſcripta contra Caluinum: vt nulla pars totius Religionis ſit magis nunc explicata, quàm hic articulus de Præſentia. Nec hîc ſuo muneri defuerunt ſummi Pontifices, qui ordine ac numero vndecim, à Leone decimo ad hunc Gregorium decimumtertium, grauiſſimis ſententijs nefariam ſententiam condemnarunt, eiusque auctores & ſectatores excommunicarunt. Deinde verò contra eam multa in Germania & alibi congregata ſunt Prouincialia Concilia, vt Senenſe, Colonienſe, Treuirenſe, Moguntinum, Auguſtanum, aliaque plurima. Reſtiterunt etiam per ſententias Academicas nobiliſſimæ Vniuerſitates totius Italiæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, & Galliæ. Nec defuerunt qui proprio ſanguine fuſo contra hanc impietatem dicerent teſtimonium. Et (quod caput eſt) coëgerunt tandem ſancti Ponti-

Sacramentarij noſtri temporu.

Roffenſis.

fices summi Conciliũ generale Tridenti, quo nullum vnquam fuit doctius aut sanctius, loco & tempore valde necessarijs, quod & reliquit ad iudicium & æternam damnationem Hæreticorum, & nostræ fidei testimonium, hũc canonem sess. 13ᵃ. primum: *Si quis negauerit, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter, Corpus & Sanguinem, vnà cum anima & Diuinitate Dom. nostri Iesu Christi, sed dixerit, tãtummodo esse in eo vt in signo, vel figura, anathema sit.* Ex quo factum postea est, vt in sanctissimo ac celeberrimo orbis loco, in ipso die institutionis Sacramenti, singulis annis, voce Cardinalis plena maiestatis & horroris, in Bulla quam vocant cænæ Dominicæ, summo Pastore præsente, tota Ecclesia applaudente, Sacramentarij omnes (sic enim isti propriè appellantur) terribili anathemate æternùm damnentur. Et hoc Canone, cæterisque à me notatis, alijsque plurimis apud Iurisconsultos extantibus cap. *Firmiter, de summa Trinit.* & cap. *Ad abolendum, de hæreticis*: & Clement. *Vnica, de reliquijs & veneratione Sanctorum*: & de consec. dist. secunda frequentissimis Decretis, omnes Sacramentarij quos hactenus nominauimus, quacunque verborum vmbra se callidè contegant, ipseque inprimis Caluinus, vtcunque tergiuersetur, ictus ac perculsus est. Nec diffiteri potest in Antid. Conc. Trid. quin ea verba citati Canonis illum & suos designent. Imò quòd etiã in VVicleffo & Berengario fuerit ipse percussus, habebitis agnoscẽtem reum in admonit. ad VVestphalum Lutheranum. *Mihi* (inquit) *adeò molestum non est in Conc. Romano, cui præfuit Nicolaus Secundus: & Vercellensi, quod auspicijs Gregorij Septimi coactum est* (ita enim fallitur ex ignoratione historiæ) *damnatam fuisse quam sequor doctrinam, vt mihi eo nomine plurimum gratuler, quòd manifestis Dei hostibus & Antichristis semper exosam fuisse video. Certè Pontificum eorum & Conciliorum approbatio mihi meam sententiam suspectam redderet.* Hæc ille. Ergo omnes isti, quibuscunque verbis ludant, sentiunt Corpus Christi & Sanguinem secundum non esse in Sacramento: adeò vt non puduerit Theodorum

Bulla Cænæ Dominicæ.

dorum Bezam in celebri colloquio Possiaco exclamare, *Christum tam longè abesse ab Eucharistia, quàm longè abest cælum à terra.*

Contra Sacramentarios omnes argumenta è Scripturis sacris, propriè, non figuratiuè loquentibus.

CAP. XXII.

IGITVR contra omnes simul argumentabimur; & primò ex apertis Scripturis ac verbis Christi planissimis. Christus dixit, id quod habuit in manibus in cæna vltima, *esse Corpus suum*, teste Matthæo cap. 26. Marco 14. Luca 22. Paulo 1. Cor. 11. eisdemque locis notissimis, cùm haberet calicem in manibus, asseuerauit *eum esse poculum Sanguinis sui*. Præterea adiunxit verba determinantia & explicantia, quod Corpus & qui Sanguis esset: *quod pro vobis tradetur, quod pro vobis datur: qui pro multis effundetur, Sanguis noui Testamenti* &c. Quæ additiones posteriores tollunt omnem suspicionem impropriæ locutionis. Rursus Ioan. 6. sermonem habens de hoc Sacramento, non minùs planè & propriè, & cum simili determinatione exprimit hanc veritatem: *Panis* (inquit) *quem ego dabo, caro mea est.* & addit, *pro mundi vita*. Et ne quicquam deesset, talia adiecit, quæ vel curiosissimo satisfacere possunt. *Caro mea* (inquit) *verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Adde illam repetitam assertionem, *Amen amen*, hoc est, certè certè, reuera reuera, *dico vobis, nisi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Rursus probatur ex D. Paulo, loco allegato, hoc argumento: Comedens Sacramentum hoc in peccato mortali, fit reus Corporis Domini indignè manducati, & non discreti à cæteris cibis. sed hoc non potest esse, nisi reuera percipiatur Corpus: ergo. Item eadem Epistola cap. 10. instituens Corinthios, quantum præstet illud quod accipiunt in mensa Domini, ijs rebus quibus vescuntur in idolorum cultura,

Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

1. Cor. 10. ſignanter dicit: *Fugite ab idolorum cultura: vt prudentibus loquor, vos ipſi iudicate: Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? &c.* Atque hæc quidem inexpugnabilia ſunt. Leuius eſt illud, ſed probabile tamen, quòd Dominus Mat 28. dixit Diſcipulis ſuis iam in cœlum aſcenſurus, Mat. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Qui locus licet de virtuali aut ſpirituali pręſentia & protectione exponi poſſit, tamen quia à S. Germano lib. de rerum Eccleſiaſticarum Theoria, & à Conc. Viennenſi, atque Baſilienſi ſeſſ. 30. alijsque plurimis auctoribus ad pręſentiam Chriſti in Euchariſtia refertur, annotare voluimus. Et certè videtur Seruator hîc aliquid ſingulare promiſiſſe Diſcipulis, & maius quàm protectionem aut aſſiſtentiam ſpiritualem, quo modo etiam veteribus Patribus adfuiſſe conſtat. Sed reſpondent Hæretici, hæc ita quidem dici, vt nihil planius: præſertim, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*: ſed impropriè dici, figuratiuè, abuſiuè, τροπικῶς, quomodo alia multa in Scripturis. Nos quidem non negamus, multa in Scripturis figuratiuè dici & accipi, ſed nō omnia, nec hoc ipſum quo de agitur, nec quicquam aliud cuius proprius & literalis ſenſus non habeat Deo, Religioni, vitæque ac moribus Chriſtianis aliquid aduerſum. Quomodo D. Aug. lib. 8. de Geneſ. ad lit. cap. 2. & 3. de doct. Chriſt. ca. 15. docet. qui & hoc genus hominum eodem lib. ca. 10. ita pulcherrimè depingit, dicens: *Si animum praeoccupauit alicuius erroris opinio, quicquid aliter aſſeruerit ſcriptura, figuratum homines arbitrantur.* Hæc ille. Nec enim eſt quiſquam iſtorum qui rogatus, cur, cùm tam multa in Scripturis ſint quæ propriè intelligantur, ponant in numero figuratiuè dictorum verbum Sacramentale; poſſit aliam cauſam reddere, niſi quòd nolit credere præſentiam: vt ita incredulitas fiat regula ad interpretationem ſacræ Scripturæ, quo nihil poteſt eſſe abſurdius. Quare hic, ſi vnquam aliàs, contra iſtos præſcriptionis iure agendum eſſet, omniumque & temporum, & hominum, & Conciliorū, & iudi-

Hæreticorū per figuras euaſio.

Aug.

& iudiciorum auctoritate essent à Scripturis arcendi. Sed agemus cum eis liberalius, acsi in cæteris essent nobis pares, ac vtrique parti libera foret verbi interpretatio.

Contra Hæreticos, ex loci circumstantijs.

Age ergo, Circunstantiæ (vt placet Augustino lib. 83. quęst. q. 69.) demonstrant, an sententia sit figuratiua, vel propria. Ac circunstantię quidem sunt, materia de qua agitur, persona quæ loquitur, quę postea narrat vel scribit, & quę audit vel legit, item tempus, locus, adiuncta, consequentia, comparata, & huius generis alia. Probatur ex prima circunstantia, id est, materia subiecta, quòd non patiatur figuram, varijs modis: Sermo sacramentalis habet adiunctam visibilem actionem, ac pręceptum circa rem agendam. ergo non est figuratiuus. Explico sic: inter colloquendum, concionādum, hortandum, deterrendum, instruendum, Christus vti potuit varijs orationum flosculis & dicendi figuris. Potuit dicere communi loquendi vsu, se esse *viam, ostium, vitem.* At si accepisset in manus certam vitis particulam, & cum magna sacra soléni cęremonia instituisset actionem super eam, & pręterea iussisset vt idem facerem⁹; tunc non fuisset figuratiua locutio. Potuit enim dicere figuratiuè, *ego sum ostium:* sed vt Apostoli tale ostium facerent, iubere non potuit. Secundò probatur: materia subiecta est institutio Sacramenti. sed non potuit rectè institui Sacramentum per verba impropria vel figuratiua: ergo. Percurre omnia Sacramenta veteris Legis, & cogita, quę perturbatio Religionis, & omnium rerum incertitudo foret, si pręceptio circa Sacramenta non esset plana & genuina. Iubetur Abraham circuncidere pręputium: iubentur Israëlitę tollere Agnum: pręcipitur Moysi variorum animalium oblatio: mandatur Apostolis baptizatio in aqua: in his omnibus quę potest esse suspicio figurę? Iubentur illi ea obseruare & docere suos in generationes perpetuas: Apostolis mandatur vt hoc etiam faciant vsque ad aduentum. In summa, nulla vnquam cęremonia, nullum sacrificium, nullum sacramentum vnquam institutum aut pręceptum fuit per locutiōes tropicas. Hic locus etiā latiùs tractari

potest, si id quoque adiungas, nullum solenne mandatum proponi hominibus à Deo, nisi perspicuis verbis. Tertiò probatur, ꝙ materia subiecta cõtinet fundationem atq; traditionem summi dogmatis in Religione Christiana, hoc est, cõtinet magnum fidei articulum, qualis est Incarnationis, Passionis, & Trinitatis. quod omnes Patres asserunt, nec Hæretici negant. Nam apud illos etiam est summum mysterium. Sed non est admittenda aliena & impropria locutio ad exprimendum necessarium fidei Mysterium. Nec Christus vnquam iecit fundamentum dogmatis in abusiua phrasi, & semper detestata est Ecclesia Manichæos qui illud, *Verbum caro factum est*, in quo sita est Incarnationis veritas, aliorsum detorserunt ad imaginariam carnem constituendam. Nestorianos etiam & Arianos meritò damnauit, quòd illud, *Hic est Filius meus dilectus*, in quo Patris & Filij consubstantialitas sincerè & planè explicabatur, detorserint ad significandum, Christum non substantialiter & verè esse Filium Dei, sed nuncupatiuè duntaxat, ac per quandam copulationem cum Dei Filio. Sic ergo ratiocinamur: Vnicus locus, in quo traditur summum Religionis Mysterium, non debuit oratione figuratiua exprimi, ne infinitus error consequeretur. sed verbo Sacramentali solo (secundùm Aduersarios nostros. 6. cap. Io. eòdem pertinere nolentes) hoc summum dogma traditur: ergo non est figuratiuum. Quartò probatur: In hoc verbo est noui Testamenti institutio, item fœdus atq; pactum cum Ecclesia initum: sed ea nunquam fiunt nisi apertis, genuinis, & sinceris verbis: Ergo. Vide varia Dei cum Patribus inita fœdera, & de illo colendo pacta conuenta apertis verbis & aspectabilibus rebus constituta, vide Testamentum vetus, an non apertissimis signis, Sacramentis, & verbis Moysi & filijs Israel tradatur. Superat ergo omne scelus, dicere, quòd in verbis dedicatorijs noui & æterni Testamenti nihil apertè, sincerè & simpliciter geratur aut dicatur. Essemus profectò miserabiliores omnibus hominibus, si cum suis hîc in re tanti momen-

momenti pro verborum ſono Chriſtus perſpicuè non egiſſet.

Hinc quintò ex ſecunda circunſtantia, ſcilicet ex perſona Chriſti loquentis, facilè conuinces, verbum hoc non eſſe figuratiuum. Non enim fuiſſet congruum ſummæ ſapientiæ ſuæ, qua cuncta futura ſcandala circa hoc præcipuum Sacramentum & vltimam voluntatem ſuam cernebat; nec bonitati & amori, quo dilexit fideles vſque in finem: dediſſe ineuitabilem occaſionem falſæ ſententiæ & perpetuæ idololatriæ. Nam ex hac tam aperta & minimè ſuſpicioſa ſententia, vbi nullum extat ſignum vel indicium figuratiuæ dictionis, inducta eſt inuincibiliter tota Eccleſia ad credendum & adorandum Chriſtum in Sacramento. quod non fieret ſine ſacrilegio, ſi verbum Sacramentale figuratiuum tantùm ſit. & per conſequens Chriſtus ipſe (horribile dictu) datâ operâ, in ſummo amoris ſui pignore, in vltimo Teſtamento ſuo conſtituiſſet damnationem maximæ parti fidelium. 2.

Sexto loco idem probatur ex perſonis Euangeliſtarum ac Apoſtolorum eum Chriſti ſermonem repetentium aut narrantium. Hi ergo omnes cùm varijs temporibus ſcripſerint, cùm eorum quidam inſtitutioni adfuiſſent, & Chriſtũ loquentem audiuiſſent, alij ab ijs qui interfuerunt accepiſſent, alij à Chriſto poſt aſcenſionem didiciſſent, poſtquam omnes vidiſſent praxin Apoſtolorum circa hoc Sacramentum, & audiuiſſent etiam ipſos indubiè diſſerentes & docentes fideles ac exponentes verbũ illud Sacramentale, cùm deniq; ipſi haberent ſpiritũ intelligendi: tamen vnanimiter conſpirãt in ſimplicem & vnam illam ſententiam, *Hoc eſt Corpus meum.* Cùm aliàs ſoleant non ſolùm Chriſti verba paulò obſcuriùs dicta interpretari planiùs, ſed ſeipſos etiã mutuò explicare. Exempla: Chriſt⁹ dixit Ioã. 2. *Soluite templũ hoc, & in tribus diebus reædificabo illud.* quod Euãgeliſta, ne ſicut Iudęi, ita fideles etiã malè interpretarẽtur de Æde Salomonis, addit: *ille aũt dicebat de tẽplo Corporis ſui.* Ita quod in vno Euãgeliſta obſcurè dictũ legim⁹, *Si ego in digito Dei eijcio dæmonia:* in alio clarè, *Si ego in ſpiritu Dei eijcio dæmonia* 3. Luc. 11. Mat. 12.

Alibi

Alibi Christus inuitat sitientes vt veniant & bibant ab ipso abundanter aquam viuentem: Ioannes illud exponit sic, *Hoc autem dicebat de spiritu quem accepturi erant credentes.* Et hæ quidem ac similes sunt minùs graues causę, in his minus periculi, minor abusus sermonis, explicatio facilior. At in verbo Sacramentali, vbi summa cura esse debuit, nihil tale fit. Quin imò omnia quę à Christo, ab Euangelistis diuersis, vel à Paulo postea adduntur, augent fidem de veritate rei & proprietate locutionis.

Ioan 7.

4. Septimo à personis audientium Apostolorum. Si fuisset figuratiua dictio per quam cõmendauit tam admirabilem rem, tam diuturnam, tam communem fidelibus, tanto desiderio desideratam à Christo, nunquam omisissent Apostoli pręsentes interrogare quid esset, quod verbis maximè insuetis, tam vehementer tantoque cum affectu, iam moriens proponeret. Pręsertim cùm ipsi audiuissent antea ac vidissẽt ex Discipulis multos similibus verbis in eâdem causa ita offensos, vt Christum Dominum miseri desererent. Io.6. Id aliàs fecerunt sępè, cùm esset obscurè aut tropicè locutus: *Edissere nobis parabolam zizaniorum,* Matth.13.& Petrus Matth.15. *Edissere nobis parabolam istam.* & aliàs, *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Aliàs interrogabant Dominum in difficili quęstione circa matrimonium & diuortium Mat.19. Nunc interrogat Petrus, nunc Thomas, nunc Philippus, nunc Iudas Iacobi: aliquando plures *ex eis dicunt ad inuicem, nescimus quid loquitur: & volebãt eum interrogare.* Io.16. At non ita ad hoc verbum Sacramentale, quia indubiè erant veritatem Corporis docti diuinitus, vt non stuperent quasi ad insolens, nouum, & nũquam auditum orationis genus. De qua re vide pulcherrima apud Chrysostomum Hom.83. in Matth.& apud Cyrillum cap.14. lib.4. in Ioannem. quomodo fide tantùm instructi ita venerũt ad mensam insuetam, vt tamen nunquam dubitarent de re aut de verbis propositis. Octauò ex personis eorum Discipulorũ Capharnaitarum, qui Io.6. ad duritiem sermonis offensi causam

apostа-

apostasię acceperant. Hi ergo intelligebāt, quòd Christus propriè loquebatur de carne sua reuera comedenda. Cùm enim dubitare cœpissent, quomodo fieret vt præberet carnem manducabilem, ipse se ac sermonem priorem non explicuit aut excusauit per varios loquendi tropos aut figuratiuas phrases, sed asseruit eisdem verbis vehementiùs, asseuerandoq; eadem repetiuit: de modo tantùm manducandi pauca ad eorum instructionem adijciens. Nec vnquam isti parabolis, & Christi vsu & gentis suę more, satis assueti, abijssent à Christo propter vllam phrasin inusitatam, sicut nō ad illam cùm diceret, se esse *ostiū, petram*, aut *vitem*: sed sola incredulitate defectionem faciebāt, quia nolebant credere, Christum manducabilem aut potabilem esse. Hoc enim diuinissimè ostendit Dominus cùm inquit, *Sunt quidam ex vobis qui non credunt.* sicut & illud plurimùm in Christi verbis est ad hanc disputationem obseruandum, quòd dicat, magnam gratiam & vehementiorem *à Patre tractum* requiri, vt homines acquiescant tam admirabili verbo & veritati de cibo Carnis & Sanguinis sui. Et propterea cùm ab initio illius sermonis admonuisset, *neminem posse venire nisi Pater traxerit illum*, nunc rursus abeuntibus istis ad duritiem sermonis, aperit Apostolis se propter horum incredulitatem iam antè admonuisse, *neminem posse venire ad se, nisi Pater traxerit illum.* rogatque deinde duodecim, nunquid & illi offensi ad hoc verbum vellent abire? Cui Petrus suo & reliquorum nomine, discessuros negauit: & causam addit: *quia* (inquit) *tu habes verba vitæ æternæ. & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Non dixerunt Apostoli sic: non offendunt hæc verba quia figuratiua sunt, & scimus quia tu hæc non loqueris de vera carne comedenda: sed contrà, sunt *verba vitæ*, *& nos credimus.* Quomodo & Christ⁹ per emphasin prædixerat de eisdem verbis, *Verba* (inquit) *quæ ego loquor, spiritus & vita sunt.* Quo dicto auxit stuporem Capharnaitis, insinuans eum sermonem non esse vulgarem, sed *vitam*, hoc est, vim & virtutem continere. Quomodo Paulus ad Hebr. 4. cùm voluit efficaciam

Zz verbi

verbi Dei exprimere, *sermonem Dei viuum* dixit. Sed de hoc
Infrà,ca.31. aliàs.

5. Nonò argumentari possis à personis audientium vel legentium hæc verba in proximè subsequentibus sęculis,& in omni reliqua posteritate,qui nunquã fuerũt decepti circa Christum accipiendis verbis tropicis & improprijs pro genuinis ac simplicibus. Dicant enim Hæretici si queant, in omni hominum memoria fuisse quenquam tam ineptum vt putarit,Christũ reuera esse ostiũ materiale,agnũ, lapidem,aut leonem: aut quòd vnquã tam insulsè errarit Ecclesia, vt falsum dogma inuexerit ex mala intelligentia locutionis tropicæ pro vera & propria.

6. Decimò ex loco Cœnæ, quem deligebat Dominus valdè secretum, ad quem externos non admittebat, nec cæteram etiam turbam fidelium, sed duodecim tantùm, quibus datum fuit cognoscere,& ad quos Mysteriorum sacrorum intelligentia maximè pertinebat, iuxta illud Luc. 8. *Vobis datum est nosse Mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant.* Ergo in hac secretissima Apostolorum schola, vbi tradendum esset summum fidei caput,loquebatur sincerè,simpliciter,apertè,& non per figuras.

7. Deniq; ne longiores simus,in vndecimũ & vltimum locum adiuncta,consequentia,cõparata, reiq; euentũ cumulando cõgerimus: vbi si omnem cæremoniã apparatumq; antecedentẽ ac consequentẽ institutionem & sacrorũ verborũ prolationẽ animaduertamus,si ad cętera Sacramẽta noui & veteris Testamenti cõparauerimus: si lotionẽ pedum,si desideriũ peragendi Mysterij,si pręparationẽ loci secreti,si coniectos oculos in cœlum,si applicationẽ verborum ad materiam,si separatã vtriusq; elemẽti benedictionem,si fractionem,dationem,& ad nouam cœnam inuitationem, si comedentem ipsum Dominum ac deinde cęteris eius vsum mandantem, si consequentem sermonem sanctissimum apud Ioan. cap. 14. 15. 16. 17. aliaque multa adiuncta consideremus: quis vnquam suspicetur in re tam seria lusum esse phrasibus ac figuris? adeoque & illusum

ſum turpiter ſacratiſſimis verbis vniuerſum Orbem omni memoria Chriſtianum: in quo ſemper à principio in hunc vſque diem, qui cultus, quæ Religio, quæ obſeruantia, quàm ampla cæremonia, quàm magnum ſacrificium, circa hoc Sacramentum ex his verbis extiterint, & res ipſa, & omnium ætatum teſtimonia ſcripta loquuntur.

Et hæc quidem quæ hactenus diſputauimus, valent indifferenter contra Caluini metonymian, cõtra Oecolampadij *eſt* ꝑ *ſignificat*, cõtra Metaphoras, parabolas, omnesq; alias Sacramẽtalis verbi ſacrilegas corruptiones. Sed hæ vltimæ proprijs etiã locis refutantur. Nam ſi verbum Sacramenti compares metaphoricis locutionibus quales ſunt, *Vos eſtis ſal terræ*, *Ioannes eſt Elias*, nihil ſimile reperies. Nam hîc diſparatum prędicatur de diſparato, quorũ neutrũ poteſt, ne per potentiã Dei quidẽ, idẽ eſſe quod alterũ. Deinde ſemper attribuitur aliquid vulgare natura & proprietate omnibus notum, ad illuſtrãdum aut denotandum id quod minùs eſt perſpicuũ nobis aut naturę. Sic proprietas ſalis cùm vulgatiſſima ſit, eius appellatio eſt ꝓpter condimentũ accõmodata Apoſtolis: nomẽ columnę ita ꝓpter firmitatẽ attribuitur Eccleſię: appellatio lapidis, leonis, ſimiliumque, Chriſto. vbi ſemper prędicatũ quod attribuitur, eſt in ea cauſa, ꝓpter quã attribuitur, noti⁹ quàm ſubiectũ cui attribuitur. vt Sal, quàm Apoſtoli, in cõdiendo; lapis, quàm Chriſt⁹, in ædificãdo: vt inepta eſſet Metaphora, ſi contrà diceres ꝑ lapide Chriſtũ in ædificãdo; aut ꝑ ſale Apoſtolũ in cõdiendo. Tertiò, Metaphorę omnes ducũtur ferè à cõmunibus & generalib⁹, vt à lapide, ſerpẽte, leone, non ab hoc vel illo certo atq; ſingulari, aut ſaltẽ ab ijs, quę cùm ſingularia ſint, tamẽ ꝓpter notitiã vulgatiſſimã ꝑ cõmunibus habẽtur, vt ab Elia, Adamo, Iob. vt cũ nudũ & afflictũ, Iobũ appellamus: cum Ioannem pręcurſorem Domini, Eliam vocamus. hæc, inquam, eſt natura Metaphoræ. Sed in Sacramentali verbo nihil iſtorum reperitur. Neque enim ſunt duo termini diſparati, cũ dicitur, *Hoc eſt Corpus meũ*. Et vtrinq; etiã omnia ſunt ſingularia & demõſtratione notata:

Verbum Sacramentale non eſſe metaphoricum.

idq́; etiamsi ita interpretari velint, Hic panis est Corpus meū. Vbi insuper posterior terminus magis obscur⁹ est quàm prior: ita vt, si vlla esset metaphoræ ratio, panis affirmaretur potiùs de Corpore, hunc in modum, Corpus meum est panis. Quòd autem non sit parabolica locutio, qualis est, *ager est mundus, Semen est verbum Dei*, & priori argumento, & hoc altero planum esse potest: quia huiusmodi nusquam locum habent nisi in explicatione parabolarum præcedentium, qualis nulla hîc ante institutionem Sacramenti extitit. Sed harum figurarum assertores nec à doctioribus probantur Hæreticis, qui consistunt & inhærent maximè cum Caluino suo in Metonymia, per quam volunt nomen Corporis ac Sanguinis tribui signo, Sacramento, virtuti, vel effectui corporis.

Non esse parabolicum.

Contra figuratores omnes, 4. classes argumentorum indicantur: quarum duæ deinceps tractabuntur.

CAP. XXIII.

PRoinde contra istos & reliquos figuratores omnes, pro veritate verborum & reali pręsentia corporis, qui velit expeditè solideque disserere, constituat sibi ex omni antiquitate in re infinita has classes. Colligat primùm loca omnia Scripturarum, Patrum, Pontificum, ac Conciliorum, vbi simpliciter asseueratur veritas Corporis Christi; sicut in Scripturis quidem nunc partim fecimus. In secundo ordine disponat loca ex eisdem fontibus quæ habent præterea coniunctum argumentum aut rationem: quę eius generis sunt, vt præter simplex veritatis testimonium habeant quiddam annexum, ex quo euidentissimè deducatur, de vera præsentia sermonem esse: maximeque si est talis disputatio, ad quam veritas Corporis præsupponitur. Exempli causa: D. Paulus præter id quod asserit veritatem corporis, ex ea præterea fundat multiplicem disputationem de præparatione ad eius manducationem; de genere peccati quo peccant indignè accedentes, nimirum quòd sit reatus corporis Dominici; de iudicio æterno & temporali, de mor-

1. *2.* *1.Cor.11.*

de morbis varijs, & quorundam etiam morte propter indignā Sacramenti perceptionem. Vnde præter simplicem Pauli assertionem, quæ à contentiosis hominibus ad absurdas dicendi figuras peruerti possit, habebit nunc argumentum, si rectè tractetur, quod tam facilè euerti non possit. In tertia classe collocabit omnia loca, quæ pręter assertionem & argumentum, habent adiunctam praxin ac vsum omnium veterum, ac antiquissimæ cuiusque Ecclesiæ circa Eucharistiam. Vt verbi gratia, si quis adorauerit diuino cultu, si illi preces ac vota fecerit, si Altaria, Templa, festa dedicauerit, &c. quo nihil potest esse vrgētius in hoc genere. In quarto ordine poterit Patrum, Pontificum, Conciliorum, Vniuersitatum iudiciarias sententias collocare. Qui locus licet per se sit, & apud Catholicos omnes haberi debeat, firmissimus: tamen Hæreticos, quia hoc ipso quòd Hæretici sunt, iudicia legitima ac dominationē spernūt, non ita conuincit. Eumque nos satis paulò antè tractauimus, cum de auctoribus & origine sectæ disseruimus. Loca autem simplicis asseuerationis, quæ primum ordinem occupant, cum per se obuia sunt & à plęrisque Communium Locorum collectoribus, vt Groppero, Garetzio, Hofmeistero, abundè annotata, tum eâdem facilitate qua Scripturæ, & maiore audacia, figurarum causatione peruertuntur. Nam pręter cęteras audēt isti hîc etiam hyperbolen Patrum verbis affingere, si quid luculentiùs aut apertiùs pro reali præsentia dictū videatur. Hunc ergo locum, vt & à nobis suprà, ex Scripturis quidem, non intactum; & ab alijs satis explicatum, de cætero prætermittam: vt alia duo quæ continent Argumenta & Praxin, vnde vehementissimè Hęretici conuincuntur, latiùs persequar & pertractem.

3.

4.

Ep. Iude.

Cap. 21.

Locus 1. argumentosus: à miraculosa, & hypostatica Christi in hoc Sacramento existentia.

Loca argumentosa decem.

CAP. XXIIII.

IGITVR in locis argumentosis primus contra istos figuratiuos verborum tractatores sit ab existentia seu præsentia

 Christi

Miraculosæ existentiæ capita.

Christi in Eucharistia. & est valde multiplex, ad quem innumeras Patrum sententias accommodare queamus. Tractabimus autem commodè, si comparemus præsentiam in Sacramento ad prǽsentiã naturalẽ in cœlo vel in terra, ex eoq; ostẽdamus, in pluribus locis esse. Si doceamus deinde talem esse existentiã, vt idem corpus integrũ esse dicatur in varijs Altaribus, siue eodem, siue diuersis temporibus. Si ostẽdamus porrò talem esse existentiã, vt per eã Christus seipsum totum & integrum suis portauerit manibus, seipsum sacrificauerit, seipsum comederit. Si rursus ad nostram comestionem cõparemus, docentes, integrũ ab omnibus sumi, dentibus nõ diuidi, totius orbis mãducatione nõ imminui aut cõsumi: à digestione, mutatione, secessu, ac omni corruptiõe & cõuersione immunẽ esse. Deniq; si doceamus, hãc Sacramentalẽ existẽdi rationẽ, & hęc omnia adiũcta nõ posse esse sine ingẽti miraculo. Nam planè efficiemus ex his contra Hæreticos, verba Christi propriè esse intelligenda, & Corpus Christi verè ac substantialiter esse in Sacramento. Præsentia enim figuratiua aut in signo, nullum prorsus requirit miraculum: nec talis est vt propter eam res vna cum stupore dicatur esse in diuersis locis: non est tanta, vt cum admiratione asseratur, idem se portare, comedere, offerre, aut quicquam simile. Sed ad hæc omnia notemus nonnulla Patrum loca.

1. Chrysost.

Chrysostomus lib.3.de Sacerdotio, ad admirabilem Christi existentiam in cœlo & in Sacramento, ita exclamat: *O miraculum, qui cum Patre sursum sedet, eodem temporis articulo omniũ manibus pertractatur.* Et Hom.2.ad pop.Antiochenũ: *Christus* (inquit) *ascendens in cœlum, carnem suam & nobis reliquit, & ipsam ascendens habet.* Et Hom. de diuitijs & paupertate: *Elias vestem ouillam dimisit discipulo; Filius hominis ascẽdens suam ipsius carnem reliquit, &c.* Et hũc locũ prolixè & diuinitus tractat D.Bernardus ser.de Cœ.Do. Deinde eandem miraculosam prǽsentiã respectu pluriũ Altariũ, in eodẽ scilicet genere existentiæ Sacramẽtalis, exprimit D.Chrysostom⁹ Hom.24.in 10.ca.1.Cor.

Bern.

Ar.

Chrys.

item

item Hom.17.in Ep.ad Hebręos,his verbis: *In multis locis offertur,nõ plures Christi,sed vnus vbique Christus,hic & illic plenus existens,vnũ Corpus,& nõ multa Corpora.* Idem prorsus dixit & ijsdem verbis Ambrosius in ca.10. Hebr.Et clarissimè Primasius, horũ penè æqualis,ad eundẽ locũ 10.cap.ad Hebr. *Est* (inquit) *vnum corpus Christi cũ illo quod suscepit de vtero Virginali,nõ multa corpora: nec nunc quidem alind magnũ,aliud minus:aliud hodie,aliud cras:sed ipsum idem semper,æquam magnitudinem habens.* Hæc ille. Propter hanc etiam singularem existentiam docuit D. Augustinus, Christum manibus tenentem Sacramentum, seipsum portasse, Conc.1. in tit.præfixum Psal.33. dicens: *se non intelligere quomodo in Dauid vel alio quocunque mortalium illud impleatur* quod legebat iuxta Septuaginta, *& ferebatur in manibus suis:cùm non à seipsis,sed ab alijs homines portētur. At in Christo,*inquit, *inuenio. Ferebatur enim in manib⁹ suis,quãdo cõmendãs ipsum Corpus suum,ait:hoc est corpus meum.* Et inferiùs Cõc.2. *hoc solùm fideles nosse,*ait.Quod si existentia hęc fuisset solùm in figura ac signo, ista Augustini philosophia futilis. Nemo est enim omnium qui non possit sui corporis memoriale signum portare. Propter eandem admirabilem & veram pręsentiam Dominus noster dicitur seipsum comedisse, suumq; Sanguinem bibisse. Ita Chrysosto.Hom.83.in Matth. *Ne turbarentur*(inquit)*Apostoli,primùm ipse suum Sanguinem bibit.* ita D.Hieronymus ad q. 2 Hedibiæ.*Non Moyses*(inquit)*dedit nobis panem verum,sed Dominus Iesus ipse conuiua & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.*Et Gregorius Nyssenus sic dicit: *Dominus praeoccupans impetum Iudaeorum, seipsum victimã offert,idẽ simul sacerdos & agnus. Hoc autem accidit, cum suum Corpus ad comedendum & Sanguinem ad bibendum familiaribus prabuit.* Ita ille Orat.1. in diem 3. festi Paschę. Iam verò si Corporis existẽtia referatur ad nostram comestionem,in summis miraculis ducitur,q̃ à nobis perceptũ nõ consumitur,nõ digeritur,nõ egeritur,nõ imminuitur,diuiditur,aut corrumpitur.Hinc D.Andreas Apostolus ad crucem ductus,ita dixisse fertur: *Immaculatum Agnum in Altari offero,* cuius

Amb. Primas. Aug. 3. 4. Chrys. Hier. Greg.Nyss. 5. S.Andreas.

cuius carnem postquam omnis populus credentium manducauerit, Agnus integer perseuerat & viuus. Ita Presbyteri & Diaconi Achaiæ Apostolum Aegeo Proconsuli respondentem audiuerunt. Sed hanc partem elegātissimè explicat D. Cyprianus ser. de cœn. Do. appellans *inconsumptibilem cibum: quo vtique cōsumpto* (inquit) *interiret omnis Religio.* & paulò pòst: *Perpes est hic panis, semper permanens holocaustum. Nulla enim panem hunc multitudo consumit, nulla antiquitate veterascit.* Idem docet Augustinus, porroque ostendit, quòd totus existat, integerque percipiatur in singulis Sacramenti particulis nō minùs quàm in toto: Ser. de verb. Euang. (vt citat Beda in 1. Cor. 10.) his verbis: *Non timeamus, fratres, manducare istum panem, ne fortè finiamus aut consumamus illum, & postea non inueniamus quod manducemus. Quando enim manducatur in Sacramento, de illo non facimus partes. Norunt enim fideles, quomodo carnem Christi manducent. Vnusquisque partem suam accipit, & integer manet, totus in corde tuo, & totus in cœlo.* Item Euseb. Emissenus Hom. 5. de Pascha. *Corpus Christi* (inquit) *tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto. quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in vniuersis, sic integrum in singulis. totus vnus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiūt.* Ita ille.

Cyp.

Aug.

Emis.

6. Cyr. Hie.

Quòd verò non corrumpatur aut mutetur in substantiam comedētis, D. Cyrillus Hierosolymitanus mystagogica. 5. ita dicit: *Panis hic non in ventrem descendit, aut in secessum mittitur, sed per te totum ad corporis & animæ vtilitatem distribuitur.*

7. Ad hunc locum vberiùs tractandum & corroborādum ea omnia referri possunt, quæ veram existentiam ita præsupponunt, vt doceant, Christum latêre sub aliena specie: eundemq; occultè percipi in Sacramento, qui conspicuè videtur in cœlo: itemque ea quæ causas reddūt, cur voluerit Dominus seipsum potiùs velatum, quàm aspectabilem præbere: & in vniuersum omnia loca, in quibus comparatur Christus existens in Sacramento ad species panis & vini, aut ad sensum nostrum, aut ad existentiam quam habet in cœlo. *Gratulare* (inquit Bernardus ser. de Cœn. Do.) *Sponsum in terra habes in Sacramento, in cælis habitura*

Bern.

habitura es sine velamento. & hic, & ibi veritas: sed hic palliata, ibi manifestata. Augustinus etiam ser. ad infantes (ex citatione Bedæ vbi suprà) *Quod* (inquit) *videtis in Altari Dei, etiam transacta nocte vidistis. Panis quidem est ac Calix quod oculi vestri renunciãt: sed quod fides postulat, panis est Corpus Christi, calix Sanguis. At potest* (inquit) *in animo cuiusquam talis oboriri cogitatio: nouimus vnde Dominus accepit carnem, nimirum de Virgine: infans lactatus est, venit ad iuuenilem ætatem, postea passus est, mortuus, sepultus: & deinde leuauit corpus suum in cœlum, & ibi nunc sedet ad dexteram Patris. Quomodo ergo panis Corpus eius?* Respondet: *ista sunt Sacramenta (fratres) quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur, &c.* Vide etiam cap. 10. lib. 3. de Trinit. Quomodo infantes tanta grauitate doceantur, Corpus ac Sanguinem esse sub his speciebus, *vt facile inducantur ad credendum, in illis solis formis apparuisse Dominum.* Præclarus est locus Epiphanij in Ancorat. *Saluator* (inquit) *surrexit in cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egisset, dicit: hoc meum est, hoc & hoc. & videmus quòd non æquale est, neque simile. Hoc enim est rotundæ figuræ & insensibile quantum ad potentiam: & tamen voluit per gratiam dicere, hoc meum est, hoc & hoc, & nemo non fidem habet sermoni.* Et Chrysostomus Hom. 83. in Matth. *O quot modò dicunt, vellem formam & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre. at ipsum vides, ipsum comedis, ipsum tangis: & non vt videas solùm, sed vt in te ipso habeas. Nemo igitur nauseans accedat.* Hæc ille. Item Ambros. lib. 4. de Sacrament. cap. 4. & apud Gratianum de Conf. dist. 2. cap. *Omnia: Licet* (inquit) *figura panis & vini videatur, nihil tamẽ aliud quàm Caro & Sanguis, credendum est.* Et in eodem loco inferiùs: Causantibus multis quòd nõ videant Carnis & Sanguinis speciem, respõdet, id fieri *dispensante Domino, ne horror cruoris esset.* D. etiam Cyrillus iuxta allegationem Thomæ in 22. Luc. eandem causam, cur hic existat Christus sub aliena specie, reddit dicens: *ne Carnem & Sanguinem apposita sacris Altaribus horreremus, condescendens Deus nostræ fragilitati, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ Carnis ac Sanguinis.* Postremò

Aug.

Epiphan.

Chrys.

Amb.

Cyril.

Theophylactus in 14. Marc. *Caro* (inquit) *Christi non videtur propter nostram infirmitatem. cernere enim non sustineremus. Propter hoc Dominus condescendens infirmitati nostræ, species panis & vini conseruat, sed panem ac vinum in veritatem Corporis ac Sanguinis conuertit, &c.* Iam quis non videt, omnem hanc Veterum, de propria & aliena specie; de causis cur se occultauerit; deq; dubitatione aut desiderio plebis eum visibiliter cõspiciendi, disputationem esse vanissimam, si non aliam quàm figuratiuam præsentiam ac significatiuam intellexerint.

Hypostatica existentia capitis. L.

Præterea, alia est huius loci tractatio valde illustris, ex eo q Patres laborarunt docere, quæ, qualis, quibusque naturis constaret persona existens in hoc Sacramento. Vnde colligimus contra imaginariam pręsentiam, planè hypostaticam variarum naturarum Christi subsistentiam in Eucharistia. Ita sacrosanctum Conc. Ephesinum definiuit contra Nestorium in synodica Epist. ad eundem, damnans eum quòd diceret, sanctificati tantùm puri hominis communem carnem esse in Eucharistia, & non carnem ipsius Dei, quam debebat confiteri viuificam & ipsius Verbi propriam factam, & pretiosum Sanguinem nõ puri hominis, sed Christi Redemptoris omnium nostrûm. Idem habetur ex eodem Conc. anathematismo. 11. & in Cyrilli declaratione ad eundem anathematismum: *Non est* (inquit) *in Eucharistia hominis alicuius similis nobis, & communis, Corpus (communis enim caro non viuificaret) sed ipsius Verbi, quod ex Deo* Patre *est, proprium factum. Nestorius autem huius Mysterij virtutem dissoluit, humanam tantùm carnem asserens esse in Sacramento.* Ita quoque Theodoretus Dialog. 2. docet, in Eucharistia ipsam personam duplici natura constantem existere. *Panis* (inquit) *vitæ nominatur Corpus Dominicum, diuinum, & viuificum, & non commune alicuius hominis, sed Domini nostri Iesu Christi, qui est Deus & homo.* Idem in dialog. *impatibili.* qui est. 3. coarguit, ex verbis D. Ignatij & notissima veritate Eucharistiæ, negantes alteram, hoc est, veræ Carnis naturam in Christo. *Eucharistias* (inquit) *& oblationes non admittunt,*

Ephes. Con. — *Cyril.* — *Theodoret.* — *Ignat.*

mittunt, quòd non confitentur, Eucharistiam esse carnem Seruatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, & quam Pater sua benignitate suscitauit. Theophylactus etiam pulchrè expressit hanc hypostaticam Christi existentiam in Sacramento, dicens in cap. 6. Ioan. *Non enim purum Deum comedimus: impalpabilis enim est & incorporeus. Neque etiam hominis puri carnem manducamus, quæ non possit proficere: sed carnem viuificatricem manducamus, quam Deus sibi vniuit, hoc est,* (inquit) *carnem Verbi Dei, &c.* Cui rursus simile est quod habet D. Cyrillus lib. de fid. ad Theodosium: *Non est* (inquit) *esibile verbum, nisi secundùm dispensatiuam vnionem naturarum.* Et in lib. de recta fide ad Reginas: *Si* (inquit) *homo seorsim intelligeretur, quomodo esset viuificum Corpus eius? Deus igitur Christus, & sic erit viuificum Corpus Christi.* Lege eiusdem cap. 15. lib. 4. in Ioan. quomodo idem sit, *Ego resuscitabo eum, &, Corpus quod comedetur, resuscitabit eum, in nouissima die.* Exprimit Hilarius hanc hypostasin plenissimè vnico verbo lib. 8. de Trinit. *Verè,* inquit, *Verbum caro factum est, & nos verè carnem Verbum cibo Dominico sumimus.* Huius loci tractatio erit plenior, si ea insuper obseruentur loca, in quibus non tantùm naturæ aut partes Christi, secundùm quas significatio Sacramentalis propriè reperitur, vt Corpus, Caro, Sanguis, dicantur esse in Eucharistia: sed etiã vbi pręsens ipse Christus exprimitur per nomina hypostatica, quæ habent manifestiorem veræ existentiæ probationem, & minùs pertinent ad conceptiones figuratiuas aut significatiuas, non re & actu, sed mente & intelligentia tantùm consistentes. In hoc genere, Bernardo *Sponsus Ecclesiæ:* Chrysostomo *Christus, Crucifixus, Sursum sedens, quod summum est in terra, Dominus, Redemptor, Sanctum sanctorum:* Augustino *ipse Iesus, pretium nostrum, is qui deleuit Chirographum decreti, pecus, ouis noui Testamenti:* Cyrillo *Emmanuel, Verbum caro factum:* Cypriano & Prospero *Sanctum Domini, Sanctũ Dei nostri:* Basilio *Agnus Dei:* toti deniq; Ecclesię *Deus & Homo* est in Sacramẽto. Addę huic, ꝙ quędã Corpori & Sanguini Domini

Theoph. Cyrill. Hilar. 2. 3.

ab antiquitate tribuuntur, quæ non congruunt ipsis nisi ratione veræ, corporalis, ac hypostaticæ existentiæ in Eucharistia: vt cùm illis locus, variorumque ad motum, situm, & vsum veluti instrumentorũ commoditas accommodatur. Hinc Optato Mileuitano, *Altare est sedes Corporis Domini, Calices portatores Sanguinis:* Ambrosio, *inuoluitur in Orario*, id est, stola: Hieronymo, Corpus est *in vimineo canistro, Sanguis portatur in vitro:* Cypriano, *iacet in arca, contrectatur manibus, concluditur puellæ visceribus:* toti denique Ecclesię, seruatur in pixide. Ex quibus omnibus & similibus diligenter inter legendum annotatis, facilè quisque concipiet, qualem Christi pręsentiam Patres semper agnouerint.

Opt. lib. 5. f. 61. Amb. or. de Sat. Hier. ad Rust. Cyp. de Lap.

Locus 2. argumentosus: ab omnipotentia Dei, & fide nostra.

CAP. XXV.

RVRSVS alius locus est amplissimus de modo quo fit & existit Corpus Christi in Eucharistia, ex parte Dei; & de modo quo percipitur ab hominibus, à parte nostra.

1\. Quod ad primum: habetur eius existentia omnibus modis miraculosa, procedens à sola omnipotentia Dei, quæ ad significatiuam existentiam non requiritur. Et totum argumentum tractatur egregiè à D. Ambrosio ca. 9. lib. de his qui myst. init. Vbi adducit maxima quæque miracula veteris & noui Testamenti, vt conuincat Christũ omnipotentia sua potuisse se nobis præsentem sistere. *Quantis* (inquit) *vtimur exemplis, non esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit. De totius mundi operibus legistis, quia ipse dixit & facta sunt. Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt mutare in id quod non erant? Liquet quòd præter ordinem naturæ semel Virgo generauit, & hoc quod facimus Corpus ex Virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi Corpore, cuius partus fuit ex Virgine supra naturæ ordinem?* Et Iustinus Martyr in 2. Apolog. comparans hoc miraculum Incarnationi, affirmat *eodem verbo Domini*

Amb. Iustin.

mini incarnatum Christum, & panem fieri carnem Christi. Cyrillus Hierosol. his verbis eleganter miraculum expressit: *Aquam* (inquit) *aliquando mutauit in vinum, quod est Sanguini propinquum: & non erit dignum cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutauerit?* Sic ait Catech.5.mystag. Cyprianus ser. de Cœn. *ineffabiliter infundi diuinam essentiam, & omnipotētia verbi factam Carnem* profitetur. Chrysost. Hom.83. in Matth. *Non sunt* (inquit) *virtutis humanæ hæc opera quæ in Cœna Christus fecit, &c.* Sed optimè D. Irenæus lib.4.ca 34. probat cōtra Valentinum, quòd Deus Creator mundi sit pater Christi, hoc ipso fundamento, quòd Christus fecerit Carnem suam ex pane, ita dicens: *Quomodo cōstabit eis* (scilicet Valentini sectatoribus) *illum panem in quo gratiæ actæ sunt, esse Carnem Domini sui, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicāt, id est, verbum eius per quod lignum fructificat, & defluunt fontes?* Tandem vide totam Hom.5. Emisseni de Pascha: & egregium locum ex Damasc. li.4. ca.14. de orth. fide.

Cyr. Hie. — Cyp. — Chrysost. — Irenæus. — Eus. Em. Damasc.

Iam verò ex parte intelligentiæ nostræ qua apprehendimus hoc stupendum miraculum, validissima fit ratiocinatio, si ea loca congeramus, in quibus Patres circa veritatem hanc occultam fideles instruxerūt. Maximè autem laborant in eo, vt omnes hîc suis sensibus diffidant, soli Christo affirmanti fidant: omnem incredulitatem longè amoueant, dubitationemque ac vel tantillam hæsitationem circa Mysteria prorsus abijciāt. Vbi vehementer inculcant, Dominum nō posse mentiri, longeque abesse ab obediētia & professione Christianorum, perspicuam Domini asseuerationem ambiguam facere aut aliorsum trahere quàm ipse dixit. Hæc omnia vno penè verbo complectitur sanctus Cyrillus mystago.4. *Quamuis sensus tibi suggerat panem, tamen Corpus est secundùm ipsius verba. Fides te confirmet, ex sensu ne iudices; nulla tibi post Domini verba subeat dubitatio, &c.* Et Epiphanius in Ancor. *Qui non credit esse verum sicut dixit, is excidit à gratia & salute.* Chrysosto. Hom.83. in Matth. *Credamus vbique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi cogitationi absur-*

2. — Fidei non sensibus standum. — Cyr. Hie. — Epiph. — Chrysost.

dum esse videatur, superetq; & sensum & rationem nostram. Nam verbis eius defraudari nō possumus, nec falsa esse possunt. at sensus deceptu est facillimus. Quia ergo ille dixit, Hoc est Corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, fratres. Hæc ille. D. Hilarius. 8. lib. de Trinit. sic: *Dominus ait, Caro mea verè est esca, & Sanguis meus verè est potus. De veritate ergo carnis & Sanguinis non est relictus ambigendi locus. Ipsius enim Domini professione, & fide nostra, verè Caro est & Sanguis. Anne hoc veritas est? Contingat planè ijs verum non esse, qui Iesum Christum verum Deum esse negant.* Hæc ille. Augustinus Ser. 2. de verbis Apost. ita ait: *Audiuimus veracem Magistrum commendantem nobis pretium nostrum Sanguinem suum: Sacramentum fidelium agnoscant fideles. Commendans ergo talem escam, dixit: Nisi manducaueritis carnem, &c. non habebitis vitam in vobis. Hoc de vita dixit, qui erat ipse vita, erit autem illi hominis mors, non vita, qui putauerit mendacem vitam.* D. Leo ser. 6. de ieiunio septimi mensis: *Quia Dominus dicit, Nisi manducaueritis Carnem, non habebitis vitam in vobis, sic sacra mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate Corporis & Sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur quod fide creditur, & frustra, Amen, ab illis respondetur, à quibus contra id quod accipitur disputatur.* Quanto autem studio D. Cyrillus Alexand. omnem dubitationem amoueat circa veram existentiam, vel illud demonstrat, quòd illud infidelitatis verbum *Quomodo* ab hoc inprimis Mysterio moneat abigendum, lib 4. ca. 13. in Ioan. *Non venit illis in mentem* (inquit) *nihil esse impossibile apud Deum, qui impiè dixerunt olim, quomodo potest hic nobis dare Carnem? Nos verò magnum profectum faciemus ex eorum peccato: & fidem Mysterijs adhibentes, nunquam in sublimibus rebus illud, Quomodo, aut proferamus, aut cogitemus. Iudaicum enim verbum est, & extremi supplicij causa.* Ita etiam Damasc. lib. 4. ca. 14. *Si modum quæris, sit tibi idem responsum, quod factum est Virgini, quoniam ex Sp. sancto, &c.* Atq; hæc quidem clarissima sunt.

Hil. | Aug. | Leo. | Cyril. Al. | Damasc.

Locus 3. arg. à Miraculis.

CAP.

CAP. XXVI.

HVIC vicinus locus est à Miraculis, quæ Deus varijs Ecclesiæ temporibus ad fidei nostræ confirmationem, & huius excelsæ veritatis probationem operatus est: vt cōstat, ijs præsertim temporibus quibus vehementiùs dubitatum est de reali præsentia. Apud Cyprianum ergo ser. 5. de lapsis, sacratus Sanguis de ore infantis & visceribus gentilitijs sacrificijs pollutis mirabiliter erumpit: maiorem natu puellam ad furorem & mortem adigit: Alteri indignè accedenti sacra hostia mirabiliter inflammatur: Alteri propter consimile scelus vertitur in Cinerem. Apud Petrum Diaconum in vita Gregorij Magni, dubitanti fœminæ mutatur in lapidem, ipso Gregorio administrante. Idem accidit mulieri sectæ Macedonianæ, sub Chrysostomo, vt scribunt Sozomenus lib. 8. cap. 5. & Nicephorus lib. 13. cap. 7. Histor. Ecclesiast. Contrà verò, apud Ambrosium fit Satyro fratri in sacra hostia collo appensa salutare miraculum. Apud Prosperum lib. 4. prædictionum ca. 6. perceptus sacer Sanguis puellam immundo spiritu liberat. Reliqua antiquissima prætermitto. Posteriora verò, quæ post contrariam hæresin in Ecclesia exortam & populi maiorem dubitationem à Deo ostensa sunt, longum esset enarrare. Sed legite ca. 14. D. Paschasij de Corpore & Sanguine Domini: & videbitis quid acciderit Plegillo Presbytero celebranti Missam ad corpus Sancti Nini Confessoris. Legite item apud Guitmundum lib. 3. & Algerum lib. 1. ca. 13. quibus miraculis Berengarius fuerit conuictus. Postea verò temporibus Vvicleffi, cùm maior hîc extaret perfidia, illustribus miraculis eandem veritatem comprobauit Deus. Ex multis placet vnum commemorare ex Tho. Vvaldensi Tom. 2. Doctrinalis cap. 63. quod cùm fieret, optimus ipse & fidelissimus vir oculis suis aspexit. Referam illius verbis quia auctor rarus est. *Historiam* (inquit) *refero, quam ego præsens vidi oculis carnis meæ in Cathedrali Ecclesia S. Pauli Londoniæ, vbi venerandus Antistes Cantuariensis, Thomas Arundelius, illustris-*

Cyp. | Pet. Diac. | Sozom. | Amb. | Prosp. | Pasch. | Guit. Alger. | Tho. Vvald.

illustrissimorum Comitum filius & frater, pro loco iudicij sedens, assistente sibi Præsule Noruicensi, & astante illustri Principe Thoma, Exoniensi Duce, Regni Cancellario, iubet sibi quendam VVicleffistam sisti: qui cùm iuberetur profiteri fidem de Eucharistia, pariterq́ adorare, respondet blasphemus: *Verè* (inquit) *dignior est aranea reuereri. Hæc vbi dixit, statim de alto culmine tecti descendens ingens & horrida visu aranea, ad os blasphemi directo filo peruenit, & vt intraret per polluta labia mirum in modum laborauit, & multorum manibus vix potuit prohiberi.* Hæc ille.

Locus 4. arg. à Comparatione Eucharistiæ cum figuris, & cæteris Sacramentis.

CAP. XXVII.

Est alius locus à comparatione nostri Sacramenti vel ad figuras quibus olim prænunciatum fuit in veteri Lege, vel ad alia etiam Sacramenta nouę Legis. quorum ab Eucharistia maximum discrimen, siue confectionem, siue appellationem, siue dignitatem, siue vsum consideres, planè conuincet hoc quod volumus. Loca Patrum suppeditabit ea pars institutionis nostræ, vbi de Manna, panibus Propositionis, subcineritio, cæterisque figuris Eucharistiæ prolixè egimus. itemq; illa, vbi de eius differentia à cæteris Sacramentis pertractauimus. Ratiocinationem autem & tractationem multiplicem ac facilem continent, in hunc modum: Si verè Corpus Domini non sit in Eucharistia nisi in signo, tunc figuræ non fuissent inferiores veritate: Manna non minoris efficaciæ, quàm panis quem dedit Dominus; panis Heliæ, fortior cibo Christi; esca Moysis non minus vera, quàm panis Patris Cœlestis: quod omnibus Patribus & Scripturis planè repugnat. Rursus, nulla esset causa, cur panis aut Vinum Sacramentale diceretur Corpus aut Sanguis potiùs quàm materia alterius cuiuslibet Sacramēti. Si enim ob eā solā causam hac diuina appellatiōe donarētur ista, quòd vim ac virtutem Passionis, Corporis ac Sāguinis Dominici repræsentent, aut nobis etiam tribuant: certè eâdem ratione

Sup. cap. 7. & 3.

ratione aqua Baptismi verè diceretur Sanguis Domini: eodem modo oleum & cætera quæque ad tam amplam significationem & efficacem operationem assumpta: cùm tamen eorum nullum vel à Christo ipso, vel ab Euangelistis, vel à quoquam vspiam Theologorum Corpus aut Sanguis Christi nominetur. tantum abest vt solenni consecratione, sicut Eucharistia, ac diuina appellatione veluti initientur. Neque est quisquam qui ita dicat, nos lauari Sanguine & non aqua, cùm baptizamur, sicut bibere Sanguinem aut ipsum crucifixum, cùm communicamus. Ita enim locutus est Augustinus Psal. 33. *Iudæi* (inquit) *de crucifixo obtenebrati sunt: Christiani comedendo & bibendo Crucifixum, illuminantur.* Et alibi hortans Iudæos ad pœnitentiam, *Bibant* (inquit) *Sanguinem quem fuderunt.* Vnde D. Thomas lib. 4. cont. Gentiles, & hoc proprium esse Eucharistiæ docet, vt præ cæteris Sacramentis verè sit & vocetur Corpus Domini: & sapientissimam rationem reddit, cur in Baptismo tantùm virtus Christi, in Eucharistia verò ipse Christus præsens existit. Ita autem eleganter dicit: *Aliter generans generato coniungitur, aliter nutrimentum nutrito. Generans nõ secundùm substantiam generato coniungi oportet, sed solùm secundùm virtutem & similitudinem: sed alimẽtum oportet nutrito secundùm substantiam coniungi. Ergo aliter Verbum incarnatum iungitur nobis in Baptismo, qui est spiritalis regeneratio: aliter in Eucharistia, quod est spiritale alimentum. Illic enim in virtute tantùm, hîc etiam secundùm veritatem.* Ita ille.

Aug.

Cap. 61.

Locus 5. argum. à corporali vnione nostri cum Christo & Deo, interq́ nos, per Eucharistiæ sumptionem; eademq́ resurrectionis nostrorum corporum effectiua.

CAP. XXVIII.

SEQVITVR iam alter argumentosus locus, vnde expeditissimè realem præsentiam dèmonstrare queas: habẽs præterea in se vtilem & pernecessariam summæ rei coniunctam doctrinam. Est autem à mirabili effectu huius Sacramẽti

respectu ipsius corporis & animi humani, hoc est, totius hominis, qui ita dum percipit Eucharistiã, coagmentatur in Corpus Christi, & vicissim illud sibi verè, naturaliter, ac corporaliter vnit, conglutinat, ac commiscet, vt cum Christo vna caro & vnum corpus planè fiat & dicatur: non propter solam spiritus, voluntatum, animorum vnionem (sicut in vehementer se amantibus fit) sed propter carnalem vtriusque corporis permixtionem. Et quia eadem numero Caro idemq; Sanguis me atq; te reliquosq; omnes nutrit (neque enim vnus hac parte, alter alia vescitur, sed vno & toto Christo corporaliter omnes quotquot participamus) necessum est, vt sicut quisque coalescit in vnam carnem cum Christo ex hac comestione, ita etiam omnes connutriti aut conuescentes eâdem numero esca, similiter inter se propter hoc tertium in quo conueniunt, vnum corpus & caro verè existant. Hæc autem arctissima vnio est diuina & præcelsa via, qua Deus efficit, vt non solùm homines inter se & Christo capiti per communis naturę coniunctionem (quod in Incarnatione contigit) sed etiam in indiuiduæ naturæ copulatione, realiter, verè, ac carnaliter, sed mirificè, colligentur. Hæc item coniunctissima vnio est quæ facit, vt Ecclesia dicatur *Corpus Christi, Sponsa Christi, & nos membra corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius.* Item hæc naturalis coniunctio quæ inter Christum & communicantes intercedit, est, cuius, non minùs quàm alterius cuiuscunque, imò (audacter dico) & magis, Sacramentum, Mysterium, seu signum appellatur coniugium fidelium, ad Ephes. 5. Repręsentat enim viri & vxoris carnalis corporũ commixtio in opere maritali consimilem corporũ adunationẽ in Sacramẽti perceptione. Coniuges enim (vt Saluator ait Matth. 19.) sunt *vna caro.* Et Paulus. 1. Cor. 6. id fieri dicit maximè ob commixtionem: ostendens etiam scortatorem fieri membrum meretricis & vnum cum ea corpus propter eandem realem cõmixtionem corporum. Hîc tamen cùm audis, nos aut Ecclesiam Dei fieri vnũ corpus naturaliter cũ Christo, sicut necessariò debes

intelli-

intelligere carnalem adunationem & approximationẽ vtriusque: ita caue putes, noſtrum corpus mutari in corpus Chriſti, aut contrà; aut vnum numero cum illo fieri, ſicut eſt vna numero natura Diuina in tribus Perſonis; aut nos vnã perſonam cum Chriſto conſtituere. Senſus enim hic tantùm eſt, nos copulari, atq; corporaliter Chriſti carni coniungi, quo modo duo diſtincta corpora maris & fœminæ, permanentia in ſua indiuidua natura & hypoſtaſi diſtincta, propter intimam mixtionem & contactum ad generationem vnius prolis, dicuntur vnum & idem corpus: aut quo modo ferrum & ſtannum in vnam maſſam coacta, vel ligna diuerſa clauis coniuncta, & ſimilia, propter firmam ex contactu aut permixtione contiguitatem, vnum eſſe dicũtur: aut qualis inter infantem & nutricem, dum ita ille iſtam attingit corporaliter, vt eius natiuo & interno humore nutriatur, eſt ſocietas & coniunctio. Sed corporum humanorum ad ſobolem procreandam intimo naturæ voluntatiſque vinculo initus contactus atq; coniunctio eſt planè ſimillima: niſi quòd noſtra hæc Euchariſtica cum Chriſto copulatio tantò arctior eſt, & naturę magis intima, quantò maior exiſtit vnio cibi & eo veſcentis, quàm eorum qui procreationis cauſa commiſcentur. Hæc coniunctio (inquit Cyprianus de Cœn. Do.) ſeu *vnitas* ex Euchariſtia, *non quidem vſq; ad conſubſtantialitatem Chriſti, ſed tamen vſque ad germaniſſimam quandam ſocietatem peruenit.* Ita Cyprianus. Cyp.

Si cui autem ſuboriatur dubitatio de ijs qui nunquam perceperũt Corpus Chriſti, quomodo illi dicantur vnũ corpus cũ Chriſto, ſicut & alij tum cùm actu non recipiunt Sacramentũ hoc: aut deinde de ijs qui indignè idem Sacramentum percipiunt, qui non videntur coüniri corporaliter Chriſto: hoc totum prius Pauli exemplum expediet facilè. Coniuges enim ꝓpter legitimum ius & intẽtionem permixtionis mutuæ jam tum dicũtur vna caro, cùm primùm alter alteri eſt ante carnalem copulam ſola cõiugali copula ſociat². Qui verò accedit ad Corpus Chriſti indignè, eandẽ ille quidẽ carnis coniunctionẽ

actu init;sed sicut raptor,qui vi inuolat in castum virginis corpus,cum illa sit vna & eadem caro.

Hæc ergo quæ sic ad huius amplissimi loci commodiorem tractationem explicauimus, D. Paulus tradit, cùm in ijs locis omnibus vbi Christi & Fidelium coniunctionem comparat copulæ coniugali, tùm maximè & ex proposito, 1.Cor.10. docens hunc ipsum quem diximus esse proprium effectum huius Sacramẽti: *Calix*,inquit,*benedictionis cui benedicimus,nónne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis,quem frãgimus,nónne participatio Corporis Christi est?quoniam vnus panis,vnum corpus,multi sumus omnes qui de vno pane participamus*, *&c.* Cuius loci in hunc planè,quem dicimus, sensum præclarissimus est commẽtarius peruetusti Scriptoris Haymonis: ad quẽ remitto lectorem. Nam omnia referre, perlongum est. Ex his potiùs nunc formemus hoc argumentum: cùm comedimus Eucharistiam, non tantùm anima pascitur spiritu Christi,sed corpus Corpore Christi verè vescitur: ex qua manducatione per naturæ instrumenta realiter recipitur intra nos, atque substantiæ nostræ permiscetur, sicut cæteri cibi: nisi quòd mutationem in carnem nostram non patiatur.Sed hæc fieri non possunt per præsentiam figuratiuam. Ergo realiter est & exhibetur in Sacramento. Propositionis partes omnes ita probamus ex vetustissimis Theologis.Chrysost. Hom.45. in Ioan.ita differit: *Vnum corpus sumus & membra ex carne & ex ossibus eius. Vt enim non solum per dilectionem, sed reipsa in illam Carnem conuertamur, per cibum quem nobis largitus est Dominus,illud efficitur. Cùm enim suum in nos amorem indicare vellet, per Corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit.* Et paulò pòst: *Dominus vt maiori charitate nos sibi adstringeret, non se tantùm videri permisit, sed & tangi,& manducari,& dentes Carni suæ infigi,&c.* Audiamus deinde Cyrillum lib.10.in Io.ca.13. *Nullam* (inquit) *nobis coniunctionis rationem esse cum Christo secũdùm carnem prorsus negamus. Nam Scripturis diuinis contrarium est: quia secundùm carnem ille est vitis,& nos palmites,& omnes(*inquit Paulus*)vnum corpus sumus in*

Margin notes: 1.Cor.10. — Haymo. — Ratiocinatio. — Chrys. — Cyril.Alex.

mus in Christo, quia hoc vno pane omnes participamus. Ea enim est virtus mystica benedictionis, vt corporaliter faciat Christum per carnis communicationem in nobis habitare. Nescitis (inquit) quia membra vestra membra Christi sunt? Membra igitur Christi faciam membra meretricis? Absit. Vnde considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verùm etiam participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram aliæ ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum videatur: sic communicatione Corporis & Sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. 1. Cor. 6.

Plæclara sunt hæc quæ Cyrillus dicit, ex eisque mira conspicitur per Sacramentum hoc, fidelium cum Christo ac inter se corporalis cõsociatio. Sed adhuc sublimiorem Theologiam tradit S. Hilarius, conferens hanc arctissimam fidelium cum Christo vnionem Sacramentalem περιχωρήσει ineffabili, hoc est, immeationi ac mutuæ inexistentiæ Diuinarum personarum, quam Theologi nostri interpretantur *Circumincessionem. Per quam*(vti scriptum reliquit August. lib. 6. de Trinit. ca. vltimo) *singula existunt in singulis, & omnia in singulis, & omnia in omnibus, & vnum omnia.* Habet autem Perichorésis absoluta & distinctionem personarum & intimam coünationem essentię. Ac Christus quidem ipse Ioan. 6. tradit hanc mutuam coinexistentiam ipsius & nostrî ex hoc Sacramento, his verbis: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Deinde eandem intimam præsentiam vnà cum eius effectu, ita confert suæ & Patris communi vitæ & existentiæ secundùm Diuinitatem. *Sicut*(inquit)*misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, ipse viuet propter me.* Hæc ergo cùm sapientissimè considerasset Hilarius, non dubitauit accipere Eucharisticam Christi nobiscum coniunctionem ad similitudinem constituendam, per quam posset consubstantialitatem Patris & Filij & informare aliquo modo, & etiam contra Hæreticos tueri: vt hoc etiam exemplo perspicias, veritatem corporalis præsentiæ factam esse fundamentum Hilar. Ioan. 6.

solidiſſimum ad ſublimiſſimas quaſque Religiōis partes defendendas, & grauiſſimas Hæreſes refutandas. Legantur ergo illa omnia quæ in principio ferè 8. lib. de Trinit. diuinitus docet, appellans Euchariſtiam etiam *Sacramentum vnitatis Patris & Filij.* Interim pauca hæc ex illo referam. *Interrogo*(inquit)*iſtos, vtrùm per naturæ veritatem Chriſtus hodie in nobis ſit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè Verbum caro factum eſt, & verè cibo Dominico verbum carnem ſumimus, naturamq́; carnis ſuæ ſub Sacramento nobis admiſcuit: tunc vnum ſumus, quia & in Chriſto Pater, & Chriſtus in nobis eſt. Quiſquis ergo naturaliter Patrem in Chriſto negabit, neget priùs non naturaliter vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe. Si verè igitur ſub Myſterio carnem Corporis ſumimus, & per hoc vnum ſumus, quia Pater in eo eſt, & ille in nobis, cùm naturalis per Sacramentum proprietas ſit Sacramentum perfectæ vnitatis.* Et inferiùs. *Hæc* (inquit) *à nobis idcirco commemorata ſunt, quia Voluntatis tantùm inter Patrem & Filium vnitatem Hæretici mentientes, vnitatis noſtræ ad Deum vtebantur exemplo: quaſi nobis ad Filium, & per Filium ad Patrem voluntate tantùm Religionis vnitis, nulla per Sacramentum carnis, naturalis communionis proprietas indulgeretur, &c.*

Deinde verò ſequitur ex hoc cum Chriſto corporum noſtrorum commercio, totius hominis ad ipſum Verbum ac Diuinitatem naturalis quædam coniunctio, præter eam quæ ex gratia Sp. ſancti eſt. quandoquidem illud Corpus quo veſcimur, vnitum eſt hypoſtaticè ipſi Deo: ſimulq́ue cum eo propter communicationem idiomatum ipſe Deus eſt comeſtioni noſtræ ſubiectus, & huic miſcellæ cum corporibus noſtris verè coniunctus. Hoc voluit Damaſc. libr. 4. cap. 14. cum inquit: *Dicitur communio, & reuera ita eſt, quia per ipſam communicamus Chriſto, & participamus eius Carne ac Diuinitate, concorporati inuicem exiſtentes. Omni igitur virtute obſeruemus, ne participemus participatione Hæreticorum.* Ita ille. Et elegātiſſimè Greg. Nyſſenus in Tractatu quodam ſuper illud, *& continuò exiuit ſanguis & aqua: Paucæ ſiquidem guttæ ſanguinis to-*

Damaſc.

Greg. Nyſ.

nis totum mundum restaurantes fiunt hominibus quasi coagulum lacti, illos cogentes & coniungentes in vnum. ex quarum participatione & vsu nos cõsecrari ac Diuinitatẽ ipsam induere credimus, &c. Origenes vero hoc totum fieri studiosè admonuit, non aliquo vulgari cruore hominis aut vituli, sed Sanguine Dei. Illustre enim est eius dictum Hom. 9. in Leuit. *Non hæreas* (inquit) *in sanguine carnis, sed disce potius Sanguinem Verbi. Nouit autem qui Mysterijs imbutus est, esse aliquam carnem & Sanguinem Verbi: quia Dominus dixit, hic est Sanguis meus noui Testamenti, &c.* Quem locum Hæretici ineptè torquent ad prædicationem verbi.

Orig.

Atq; hæc fides tam fuit olim in Ecclesia certa, vt ex ea parte quatenus Corpus quod percipimus, non est cuiusuis hominis, sed ipsius Christi veri ac viui Dei, doceant porrò Veteres, nostras substantias illi in cõmunione sancta ita vt diximus concorporatas, donari vitæ diuinæ quodam quasi semine, vnde resuscitationis ac immortalitatis capaces fiant: illius nimirum sancti Corporis propria energia, quod propter vnitum Verbum priùs ad vitam excitatum est. Quam doctrinam fundarunt in eo Saluatoris, Io. 6. *Sicut ego viuo propter Patrem, ita qui manducat me, viuet propter me.* Et rursus: *Qui manducat carnem meam, ego resuscitabo eum.* Sic Hilarius loco citato: *Quomodo ipse viuit per Patrem, eodem modo nos viuimus per eius carnem.* Et Cyrillus: *Ego resuscitabo eum, hoc est* (inquit) *corpus quod comedet, resuscitabit eum.* Atq; hîc quidem tam clarè corporalem pręsentiã ad hunc vitæ effectum pręsupponit, vt non dubitet lib. 4. in Io. ca. 14. 15. & sequent. affirmare, Christum vti in hac re carne sua tanquam instrumento Diuinitatis, non aliter quàm fecit in resuscitatione filiæ principis Synagogę, Matth 9. aut vnici filij viduæ, Luc. 7. quos ex tactu sancti corporis sui ad vitam restituit. quam præclarissimam disputationẽ his verbis cõcludit: *Quamuis propter naturam carnis corruptibiles simus, tamen participatione vitæ ad vitæ proprietatẽ reformamur. Oportuit enim certè, vt non solùm anima per Sp. sanctum in beatam vitam ascenderet, verumetiam vt rude atq; terrestre hoc corpus cognato sibi gustu, tactu, ac cibo ad immor-*

Ioan. 6.

Hil.

Cyril. Alex.

immortalitatem reduceretur. Hæc ille. Quam doctrinam clarè etiam tradit Tertullianus lib. de resur. carnis, cùm inquit: *caro nostra Corpore & Sanguine Christi vescitur, vt & anima Deo saginetur. non possunt ergo separari in mercede* (hoc est, resurrectione) *quas opera coniungit, &c.* Huiusmodi testimonia Hæreticos planè confodiunt: qui pertimescentes hanc corporalem coniunctionem, negāt Eucharistiam esse cibum Corporis, comestionem omnem ad fidem & animum falsò referentes. Rursus igitur Gregor. Nyssenus in orat. Catechet. magna, prolixè & sapienter disserit, quomodo contra illud venenum mortis per primum peccatum in nos omnes intimè transfusum & infixū, hoc singulare medicamentum in ipsa viscera nostra traiectum, rursus vitam immortalem donet, mortemq; repellat. *Quemadmodum* (inquit) *parum fermenti (teste Apostolo) totam massam sibi similem reddit, sic Corpus illud viuificū in nostrū corpus ingrediēs, totū in se trāsfert atq; cōmutat, sibiq; simile & immortale reddit. Necessariū enim est, quoad eius fieri potest, vt natura nostra vim salutarē intra corpus admittat, & hac facultate vitæ solū Corpus gratia præditū est.* Deniq; vt hunc locum tandem cōcludamus, Irenæus hanc partem mirabili quoque sapientia aspexit, potenter conuincēs veteres Sadducæos, Valentinianos, & alios Hæreticos super carnis resurrectione, ex percepta corporaliter carne Christi, eiusque cum nostra substantia incorporatione. Sic enim ait lib. 4. ca. 34. *Quomodo dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à Corpore Domini & Sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram.* Item lib. 5. non longè ab initio: *Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ Sanguine & Corpore Christi nutritur, & membrum est eius (quemadmodum Apostolus ait) de carne eius & de ossibus eius. Non enim de spirituali aliquo homine loquitur aut inuisibili, sed de eo qui ex carne & ossibus ac neruis est, qui corpore ac Sanguine eius nutritur & augetur, &c.* Quam totam doctrinam elegan-

Tertul. | Greg. Nyss. | 1. Cor. 5. | Iren. | Eph. 5.

eleganti similitudine declaratam videre possunt, quibus locum placet inspicere.

Alia 5. loca argumentosa indicantur.

CAP. XXIX.

HIs adijci potest locus à firma & stabili existentia Corporis ac Sanguinis in Altari ac pixide, acquisita per consecrationem, extra omnẽ vsum & perceptionem. Itemque locus de indigna sumptione: quod genus peccati existat, & quantò grauius sit percipere hoc Sacramentum in peccato, quàm alia. Quem locum illustrabit Chrysostom Hom. 83. in Matth. & 45. in Io. & sæpè aliàs. Item Hesychius lib. 6. in Leuit. cap. 26. Ambrosius in 10. ca. ad Hebræos. Origenes in Psal. 37. Basilius cap. vltimo de Baptismo. Hieronymus contra Iouinianum lib. 2. & in cap. 1. Malach. denique Cyprianus Epist. 15. lib. 3. Cui vicinus est quoque alius locus, quòd mali etiam accipiant Corpus Christi. Qui locus tractati potest ex Augustino lib. 2. cont. lit. Petil. ca. 47. & Epist. 162. & contra Cresco. lib. 1. ca. 25. & post collationem ca. 7. Locus etiam de sacrificio huc referendus est, quod sicut omnes Theologi in hoc Sacramento ponunt, ita eius veram rationem soli Corpori Christi attribuunt: cùm non possit esse alia propriè dicta hostia noui Testamenti, quàm caro sacerdotis Christi. quod suo loco diligentiùs tractabimus. Postremus locus ab antithesi noui & veteris Testamenti: Vt, quòd illic prohibeatur sanguis bibi, hîc mandetur. Ita Aug. Epist. 88. ad Casula. & Cypr. ser. de Cœn. Do. *Noua est* (inquit) *huius Sacramenti doctrina, in schola Euangelica doctore Christo primùm hæc mundo innotuit disciplina, vt Christiani biberent sanguinem, cuius esum lex antiqua districtè prohibuit.* Hæc ille. Et de locis quæ habent coniunctam argumentationem, hactenus.

[Marginalia: 1. | 2. | Chrysost. | Isic. | Amb. | Orig. | Basil. | Hier. | Cyp. | 3. | Aug. | 4. | Inf. li. 2. ca. 6. 7. 8. | 5. | Aug. | Cyp.]

Praxis Ecclesiæ multiplex clarissimè testificans Realem præsentiam.

Loca varia Practica.

CAP. XXX.

NVnc de altero genere quod praxim & vſum Eccleſiæ complectitur, dicendum eſt. Quod genus eò eſt autoritate plenius genere ſuperiore, quò eſt maius totius populi fidelis, quàm cuiuſuis vel doctiſſimi hominis iudicium: eòque certius, quò orbis vniuerſi vſus & actio communis minùs torqueri, difficiliusque peruerti, quàm Theologorum dicta aut ſcripta poſſunt. Præterquam quòd generalis conſuetudo ſemper etiam fundatur in traditione Apoſtolica, teſte Auguſtino ad Ianuarium. Sit igitur prima in hoc practico genere irrefragabilis ratio à cultu qui exhibetur huic Sacramento & approbatur omnium Doctorum, omniumq; Eccleſiarũ vſu & iudicio. Antiquitus, inquam, quod eſt in Euchariſtia adorabatur ab omnibus cultu Latriæ. Probatur ex Auguſtino Epiſt. 116. vbi docet *Euchariſtiam diſcerni à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita.* Et Epiſt. 120. ad Honor. illud Pſalmi 21. *Manducauerunt & adorauerunt*, ad cultum Sacramenti refert. eandemq; interpretationem conſtanter ſequitur in commẽt. ad eundem Pſalmum. Idem habet ſuper Pſal. 38. in illud, *Adorate ſcabellum pedum eius:* dicens, inuentum eſſe quo modo adoretur ſcabellum pedum eius quod eſt terra, quia *Caro Chriſti ex terra eſt, & nemo eam manducat, niſi priùs adoret:* tantumq; abeſſe vt eo peccet aut idololatra ſit, *vt peccemus potiùs non adorando.* Didicit hoc ex Ambroſio Auguſtinus. Nam ille eãdem expoſitionem antè notauerat, lib. 3. de Spiritu ſancto, cap. 12. *Per ſcabellum terra* (inquit) *per terram Caro Chriſti intelligitur, quam hodie quoque in Myſterijs adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Ieſu adorauerunt. Neque enim diuiſus eſt Chriſtus.* Theodoretus etiam in *Polymorpho: Intelliguntur* (inquit) *myſtica ſymbola quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, tanquam ea exiſtentia quæ creduntur.* Cyryllus Hieroſolym. myſtag. 5. ita dicit: *Poſt communionẽ corporis Chriſti accede ad Calicem ſanguinis illius, non extendens manus, ſed pronus adorationis in modũ & venerationis, dicẽs cum accipis, Amen.* D. Chryſoſtomus verò populum ſuũ paulò negligẽtiorem in cultu

Marginalia: Adoratio Euchariſtiæ. — Aug. — Pſ. 21. — Pſ. 38. — Amb. — Theodoret. — Cyr. Hie. — Chryſoſt.

cultu Sacramenti ita hortatur Hom. 24. in 1. Ep. ad Cor. *Hoc Corpus* (inquit) *in præsepe reueriti sunt Magi, & barbari longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur saltē barbaros. illi in præsepe, tu verò nō in præsepe, sed in Altari, &c.* lib. verò sexto de Sacerdotio, summa fide narrat, cuidam diuino seni in visione concessum esse, vt oculis conspiceret *Angelorum multitudinē Christo in Mysterijs capita inclinantiū.* Et nos homunciones hoc nō faciemus? Sed maximè memorabilis est locus Gregorij Nazianzeni in epitaphio Gorgoniæ sororis. *Quæ* (inquit ille) *cùm graui morbo periclitaretur, ad medicum omniū mortalium confugit; cumq́, leuiùs aliquantulum morbus vrgeret, ad altare cū fide: eumq́, qui super illud colitur maximo clamore obtestans, omnibusq́, nominibus appellans, atque omnium rerum quas vnquam mirificè gesserat commonefaciens, &c.* Legatur locus, notetur miraculo restituta sanitas, obseruetur omnibus Dei nominibus Christus in Eucharistia compellatus, agnitusq́ue pro eo, qui omnia orbis miracula gesserat: Denique præter adorationem mente aut gestu exhibitam, etiam preces hîc factæ Eucharistiæ perpendantur. quod longè ante à Dionysio quoque antiquissimo factitatum legimus, lib. de Eccl. Hier. in theoria Synaxeos: *O* (inquit) *diuinissimum Sacramentum, perspicuè nobis fac appareas, reuelatis operimentis ænigmatum, quæ te symbolicè circundāt: & intelligentiæ nostræ oculos tuo lumine comple.* Hæc ille. Idem fit in Liturgijs Græcorū Basilij & Chrysostomi. Vbi Donū cōsecratum statim ostēditur populo, adoraturq́; à sacerdote & Diacono, & his verbis cōpellatur: *Deus propitius esto mihi peccatori:* simulq́; à tota circunstante plebe cū reuerētia adoratur. In eadem etiam Liturgia Chrysostomus Centurionis verbis Dominum in Eucharistia alloquitur, dicens: *Domine, non sum dignus vt intres sub tectū meū.* Quam sententiā accōmodat etiā Origenes ad cultū Eucharistiæ Hom. 5. in diuersos, &c. & Aug. Epist. ad Ianuarium. verè agnoscentes Dominum ingredi os corporis nostri, sicut olim intraturus erat domum Centurionis. Quomodo & illud de Zachæo dictum, *Et accepit illum gaudens in domum suam,*

Gre. Naz.

Inuocatio Eucharistiæ.

Dion. Are.

Liturgiæ Basil. Chrys.

Orig. Aug.

eidem rei applicatur. Et Centurionis quidem dictum postea in Missam etiam Latinam per orbem fidelem assumptum est. Omnes item Liturgiæ omnium Ecclesiarum ita pręsentē Dominum precantur: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere, dona pacem, dona requiem,* & huiusmodi. D. Basilius inter traditiones Apostolicas numerat inuocationē Eucharistiæ. lib. de Sp. sancto ca. 27. *Inuocationis verba* (inquit) *cum ostenditur panis Eucharistia & poculum Benedictionis, quis Sanctorum nobis in scripto reliquit?* Hæc ille. Sunt autem ea verba inuocationis (vt conijcio) quæ in Liturgia eiusdem Basilij commemorantur partim sacerdotis dicentis, dum proponit & exaltat panem consecratum, *Sancta sanctis:* partim populi respondentis, *Vnus sanctus, vnus Dominus, vnus Iesus Christus in gloria Dei Patris.* Item ad eandem eleuationem sæpiùs repetitam, κύριε ἐλέησον, &, *benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.* Quæ omnia apud antiquos ad ipsam Eucharistiam dicta paulò ante communionem, apud Latinos in priorem partem Missæ postea translata sunt. Quanquam apud nos etiam non obscurè significatur, ea maxima ex parte dici propter mox futurum præsentem Saluatorem.

Religiosus vius Eucharistiæ.

Aliud deinde copiosissimum extat argumentum huius diuini ac singularis cultûs ex summa in ea sumenda, contrectanda, conspicienda, nominanda, circunferenda, reseruanda, præ omnibus alijs rebus sacris, Religione. Propter hunc enim summum honorem Corporis Dominici factum est (teste Augustino ad Ianuarium) *vt non nisi à ieiunis accipiatur.* eademq; de causa eiusdem perceptionem (ex Pauli doctrina) præcedere debet *probatio* & examen conscientiæ. Hinc Exomologêsis huic Sacramento in veteri etiam Ecclesia semper præmissa, vt constat ex lib. de Eccl. dogm. cap. 53. & Cypriano, ser. de lapsis. tantumque antiquitus facinus habebatur aut homini peccatori ac indigno, aut non ieiuno hoc Sacramentum ministrasse, vt de hoc posteriori falsò accusatus Chrysostomus, ita pro se respondeat in Epist. ad Cyriacum quæ est tertia.

Religiosa sumptio.

1. Cor. 11.

Chrysost.

Confir-

Confingunt (inquit) *contra me, quòd ad communionem non ieiunos receperim. & si quidem hoc feci, expungatur nomen meum ex albo Episcoporum, & ex libro orthodoxæ fidei, & abijciat me etiam Christus à regno suo.* De altero verò, ne quis peccator non purgatus accedat, eam etiam curã idem adhibuit, vt Hom. 83. in Matth. omnibus palàm denunciet, *se effusurum sanguinem suum potiùs, quàm indignum aliquem ad Dominicum sanguinem admissurum.* generalemq; munditiem & animi & corporis exactam requirit, lib. 6. de Sacerdotio, cùm ait: *Quantam integritatem exigemus ab eo, qui communem Dominum manibus pertrectat, quales manus, qualem linguam, qualia verba, qualem animam esse oporteat?*

Et in contrectanda (Deus bone) quæ olim religio, etiam tum cùm adhuc laici in manus sumpserant? Quanta cura, ne aliquid sancti Sacramenti, scelere aut negligentia in terram caderet, aut ad Ethnicos perueniret, aut quouis modo profanaretur? Præclarus est D. Cyrilli locus in Catechesi paulò antè commemorata, ita recens baptizatos instituentis: *Accedens autem* (inquit) *ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quandam subijcias dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est: & concaua manu suscipe Corpus Christi. Caue autem ne quid tibi excidat. quod enim amittis, hoc tanquam ex proprio membro amiseris. Ne cadat ergo aliqua mica, diligenter prouideas: & cum adhuc est in ore tuo, manibus attingas & oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa consecra.* Sic ille. Ita etiam Origenes Hom. 13. in ca. 25. Exodi. *Nostis* (inquit) *qui diuinis Mysterijs interesse consuestis, quomodo cùm suscipitis Corpus Domini, cum omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur in terram. Reos enim vos creditis, si quid inde per negligentiam cadat.* &c. Vide etiam Aug. Hom. 26. lib. 50. Hom. & ser. 252. de tempore: quomodo mulieres nitidum exhiberent linteolum, in quod Corpus Christi exciperent.

Religiosa cõtrectatio.

Cyr. Hier.

Orig.

Aug.

Deinde verò quod facinus perpetratum putet Chrysostomus, quòd sacratissimus Cruor ab impio milite in Ecclesia Constan-

Religiosa custodia ab infidelibus.

Conſtantinopolitana & viſus, & effuſus, & in veſtes ac pauimenta aſperſus ſit, videbitis in Epiſt. priori ad Innocentium. Nam & Dionyſius Eccl. Hier. cap. 7. part. 3. & longo poſt tempore Thomas noſter. p. 3. q. 80. art. 4. ad 4m. ab impijs & Ethnicis ne conſpici quidem hoc Sacramentum ſine ſcelere poſſe docent. Apud Bedam verò lib. 2. cap. 5. hiſtoriæ gentis ſuæ, Laurentius Pontifex, Auguſtini Anglorum Apoſtoli æqualis, grauia paſſus ab impio & barbaro Tyranno, quòd nollet ipſi candidum illum panem, quem populo fideli in Eccleſijs impertiri audierat, conſpiciendum aut comedendum tribuere, tandem cùm id ſe facturum planè negaret, exilio mulctatur. Tharſitius acolûthus, cuius memoria celebratur 18. Cal. Septemb. portans in itinere (vt tum ſolebant) ſancta Sacramenta, cùm incidiſſet in Paganos, & ab eis quid circumgeſtaret interrogaretur, nec vllis ſupplicijs adduceretur vt rem ſanctam proderet, tandem fuſtibus ad necem contuſus, Martyrium glorioſum attigit. Ita Beda in Martyrologio. Vbi porrò narrat Corpus Domini quod ſollicitè exquiſierant, nec poſt mortem apud ſanctum virum repertum eſſe, cùm ſe profanationi ſubtraxiſſet. ſicut aliàs ad arguendum contaminantium facinus, nonnunquam verſum in lapidem, aliquando in cinerem, ſæpe in aſpectabilem cruorem, legimus. Vt & illud memoriæ proditum eſt, profanatores Iudæos continuò in furorem coniectos, aut emiſſo Sanguine ex hoſtia grauiter perculſos, aut erumpente flamma perterrefactos. Quæ omnia, ſicut alia plurima, ex antiquitate ad hoc argumentum copioſius tractandum peti poſſunt: & nos nonnulla in cap. de Miraculis attigimus.

Dion. Are. *Thom.* *Beda.* *Cap. 26.*

Religioſa cuſtodia etiā à Catechumenis.

Eadem fuit etiam Maiorum noſtrorum Religio ac cautela, ne vel à fidelibus non baptizatis cerneretur, tangeretur, imò ne illis auditione aut expreſſa doctrina vllo modo innoteſceret. Vnde illud Auguſtini memorabile dictum, *Aug.*

ctum, Tractat. 11. in Ioan. Corpus Christi esse *Manna absconditum* à Catechumenis, *quia Iesus* (inquit) *adhuc non se credit illis*. Hinc olim celebris distinctio inter Missam Catechumenorum, & Fidelium: cùm ab intimis sacris semper illi depellerentur. Hinc etiam locus in maximis & antiquissimis quibusque Templis actionibus Liturgicis separatim tributus. Hinc item occulti illi veterum, quando permixtim inter Ethnicos & fidei candidatos versandum erat, tùm in dicendo, tùm in scribendo sermones, rei secretissimæ & sanctissimæ non obscuri testes. Videlicet, *vt prudentibus loquor: Norunt fideles: Norunt qui Mysterijs imbuti sunt: Norunt qui initiati sunt. Norunt qui sacrorum doctrina digni sunt.* Et huiusmodi infinita. Hinc secretiora etiam nomina pro apertis Corporis & Sanguinis appellationibus olim apud Græcos & Latinos vsurpata, ne vnquam indignis tam excelsum dogma proderent. vt apud illos, ἀντίτυπα, σύμβολα, μυστήρια: apud nostros, signa, Sacramenta, figuræ. & hæc omnia antonomasticōs accepta. Hinc etiam illæ nonnullorum Patrum seu correctiones, seu ad infideles & Hæreticos accommodatæ expositiones. *Corpus, id est, signum Corporis. Corpus, id est, figura corporis.* & similia. Hinc denique in popularibus scriptis & sermonibus rarò exactè explicata institutio aut vsus Sacramenti, cùm esset *grandis sermo & ininterpretabilis ad dicendum*, populusque aut infidelis esset, aut imbecillis ad audiendum. Sed versabantur maximè populariter in spirituali per fidem acceptione ac manducatione: reliqua secretiori disciplinâ ad abditam Fidelium scholam ác institutionem reiecta. Quod cùm non animaduerterent Hæretici nostri, cùm in cæteris, tùm maximè in Augustini scriptis turpiter errauerunt.

1. Cor. 10.

Heb. 5.

Item eadem sacra huius Mysterij Religio ac singularis cultus effecit postea, ne Ecclesia Dei permitteret, sacram Hostiam aut in via passim à singulis circumferri, aut domum

Religiosa conseruatio ex Decreto Ecclesiæ.

priuatim deportari, aut in profanis ędibus vel confici, vel reseruari, aut nuda laicorum manu attingi, cùm ex illa promiscua tractatione consequentibus temporibus nefaria quædam facinora & maximæ profanationes extitissent. Totus ergo ille mos priuatim tractandi, vnà cum consuetudine seipsos communicandi, quam persecutio infidelium, occlusio templorum, & inopia ministrorum olim fecit (vt inquit Basilius) legitimã, sublatus est Cæsaraugustani, Toletani primi, Braccarensis tertij, Remensis, & Moguntini Conciliorum Decretis. Quibus etiam temporibus ad maiorem Sacramenti venerationem, tutiorem custodiam, populiq; necessitatem, primùm in Episcopio, hoc est, in oratorio ædium pontificiarũ, quæ tum semper ecclesijs quàm proximè coniunctæ erant: deinde in templi sacrario, postea super summum Altare, in firmiter conclusa arcula, iubente Conc. Lateranensi & alijs plurimis reseruata est. De qua re & vniuerso cultu sacræ Hostiæ extat Decretum Honorij tertij cap. *Sanè*, de celeb. Missarum. & de cons. dist. 2. cap. *Peruenit*.

In Epist. ad Cæsaream Patriciam.

Viaticum in Eucharistia.

Hîc etiam opportunè obseruatur, Sp. sanctum docuisse, & omnium Christianarum Gentium vsum confirmasse, in hoc vno Sacramẽto positum esse viaticum, id est, cibum itinerarium & subsidium corporum & animorum, non solùm in via huius vitæ, sed maximè in illo formidabili transitu & difficillimo itinere cùm emigramus in aliud seculum. quo pręcipuè tempore confirmandus est & erigẽdus totus homo ad immortalitatem beatam: vt discedens fidelis corroboratus hoc cibo, confidenter cum Ecclesia dicat, *Nihil potest mihi nocere, tali suscepto hospite:* vel cum Chrysostomo Hom. 24. in 1. ad Cor. *Propter hoc Corpus non ampliùs terra & cinis ego sum, propter hoc Corpus, cælum & quæ in eo bona sunt me accepturum spero.* &c. Qui & lib. 6. de sacerdotio narrat se audiuisse à sanctissimo viro qui ipse diuina benignitate viderat, quòd *qui de hac vita emigraturi sunt, si Corporis Christi purè participes fuerint, cum spiritum efflaturi sunt, ab Angelis eorum corpora more satellitum stipãtibus, propter huiusmodi Sacramen-*

Chrys.

Sacramentum assumptum, rectà hinc in cœlum abducantur. Hæc illle. Sed de hoc Viatico eiusque necessitate ac religione vide Dionys. Alexand. apud Euseb. lib. 6. cap. 34. Eccl. Histo. & sanctum Conc. Nicenum cap. 13. Vide etiam Paulinum in vita Ambrosij, quàm magno miraculo Deus effecerit, ne sine Viatico de hac vita suus Ambrosius discederet.

Dion. Al.

Rursus ad hunc eminentem cultum constituendum & probandum facit religio consecrationis Templorum, Altarium, vestium, linteorum, Calicum, Operimentorum, omniumque paramentorum quibus Ecclesia ad eius administrationem atque sacram actionem semper vsa est: Quæ etiam omnia (teste Hieron. ad Theoph. Alexand.) *propter consortium Corporis ac Sanguinis Domini magna veneratione coluntur*: & *contaminata* (vt auctor est Optatus lib. 6. cont. Parmenianum) *sacrilegos faciunt.* Et, quod caput est, ipsa sacerdotum ministrorumque omnium sanctificatio, inunctio, mandata castitas, ac totius vitę sanctitas, non ob aliam certè causam (vt S. Siricius Epist. ad Imer. cap. 7. eiusque æquales Hieronymus con. Iouin. & Ambrosius in 1. Tim. 3. tradunt) quàm vt sanctè tractēt sanctissima Sacramenta. qui & ipsi propter honorem Corporis Dominici, quod cōficiunt & tangunt, tantam maiestatem ac venerationem apud omnes gentes fideles consecuti sunt, vt nomine Sacerdotis in rebus humanis nihil sit melius, sanctius, augustius. *De his nihil audet sinistri dicere* Hieronymus, *quia Christi Corpus sacro ore conficiunt.* Epist. ad Heliod. Nazianzenus verò, propter hoc Corpus, suum sacerdotium asserit non tantùm hominibus, sed etiā ipsis Angelis esse formidabile. qui cùm vehementiùs intercedit apud Regem pro suis ciuibus Naziāzenis: *Ego* (inquit) *Princeps, fundo ad te preces has eodem ore quo per ago salutis meæ Mysteria.* Plura non addo: est enim communissimus locus, tam latè patens atque dignitas sacerdotalis, quæ ab omni antiquitate gloriosissimè commendatur.

Loca, vasa, vestes consecrantur propter Eucharistiam.

Sacerdotum consecratio & dignitas.

Siri. Hier. Amb.

Deinceps verò iuuat plurimum intueri, quo modo ab illo tempore, quo Hæresis & profanatio huius Sacramenti per Beren-

Cultus Eucharistiæ illu-

ſtrior ex hæreſi Berengariana.

Berengarium & poſteriores Hæreticos cœpta eſt, quantoque ſtudio & animi contentione Eccleſia vniuerſa ſe oppoſuerit, elaboraueritque, ne quicquam ſummi Sacramenti dignitati ac maieſtati decederet, quin potiùs (vt fit) ex contraria hæreſi aliquid etiam venerationis accederet. Ergo quod antea ſemper & confectione, & perceptione, & reſeruatione, & eleuatione, & priuata portatura, & in alimento vitæ, & in viatico migrationis, & miſſione ad abſentes vel honoris ac pacis communionisque Eccleſiaſticæ cauſa (quomodo olim teſte Euſebio lib. 5. cap. 24. deferebatur ad externos Epiſcopos Romam venientes) vel neceſſitatis gratia, vt ad ægrotos, ſummo ac planè diuino honore colebatur: idem nunc (rumpantur vt ilia Caluino & Sacramẽtarijs omnibus) circumgeſtatur in publico, vt olim Arca Teſtamenti (quæ huius rei tantùm ſignum extiterat vel potiùs continuerat) Ioſue 6. & 1. Reg. 4. deferturque per Templa & vicos ſolenni & religioſa pompa, ad memoriam ingreſſus Domini ouantis in Hieruſalem paulò ante paſſionem, & ad recordationem omnium beneficiorũ in illo corpore exhibitorum, ad pacem & miſericordiã procurandam, ad debitũ cultũ exhibendũ, ad proteſtationẽ fidei noſtræ omniumque Fidelium circa Euchariſtiam cõtra Hæreticos & perfidos Iudæos. Cœpitque (vt putatur) hęc res illuſtriter primùm fieri in ipſa vrbe Andegauenſi, vt ea Religionis publica obſeruantia cõfunderetur eiuſdem loci Archidiaconus Berengarius: ſicut hodie in Corporis Chriſti Feſto & eiuſdem ſacræ ſolennis Supplicationis maieſtate ac ſplendore, populique deuotione, illa Eccleſia longè omnibus dicitur antecellere.

Circũgeſtatio in proceſſionibus.

Feſtũ Corporis Chriſti.

Haud ita multò pòſt ab Vrbano 4. ad eundem cultum amplificandum & extinguendam Hæreſin inſtituitur feſtum Corporis Chriſti celeberrimum, miris gratijs donatum. Cuius Officium S. Thomas (qui & ipſe regnãs nunc cum Chriſto, per orbem fidelem colitur) eiuſdẽ Pontificis iuſſu ac Sp. ſancti afflatu cõſcripſit. quo nihil vnquam venit in ſacrum officium doctius, aut ſanctius. Tum paſſim ſancto Sacramẽto fiunt vota, erigun-

tur Al-

tur Altaria, applicantur donaria, accenduntur cerei, soluuntur orationum pensa diurna atque nocturna, exhibentur sacræ comœdiæ, instituuntur Collegia, dedicantur libri, & reliqua innumera pietatis officia constituuntur: vt planè videamus, omnem noui Testamẽti religionem corporis & Sanguinis Christi cultu maximè contineri.

Neque verò hic Sacramenti cultus ad Honorium Pontificem auctorem, sicut subdolè fingunt Hæretici; multo minùs ad Tridentinum Concilium, quia in eo clarum extat in adorationis hostes Anathema, referri potest: cùm tam illustris fuerit totius antiquitatis circa Eucharistiam religio, vt vel infantes, Augustini temporibus, Christiani parentes hoc primo in Deum obsequio imbuerent: illorum oculos (vt fit) dirigentes in Sacramentum, grauissima auctoritate indicantes, cuius Corpus & Sanguis esset. Vide Aug. lib. 3. Trin. cap. 10. Ad hãc rem licet memoria repetere Calicum, Ciboriorum, Monstrantium, fistularum, aliorumque instrumentorum aut solido auro aut argento confectorum varias formas ad tutiorem & honoratiorem Corporis ac Sanguinis asseruationem, ostensionem, & administrationem, vsque ad nostra penè tempora deductorum. Duo Ciboria argentea fecit Symmachus Pont. temporibus Anastasij Imp. in quibus asseruabatur Eucharistia super Altaria Siluestri & Andreæ Romæ. Alterum posuisse argenteum Gregorium primum super altare Apostolorum Petri & Pauli, narrat Petrus Diaconus in vita eiusdem Pontificis. Gregorius etiam Turonensis, in passione Polycarpi, turris argenteæ ad circumgestationem Eucharistiæ meminit: Ambrosius Calicis aurei lib. 2. de off. cap. 28. dicens, *infusum auro Sanguinem.* Qualis etiam relictus ante mille annos in Ecclesia Rhemensi à S. Remigio narratur, cum hac adscriptione, *hauriat hinc populus vitam de Sanguine sacro.* Denique in plurimis Germaniæ antiquissimis Monasterijs fatetur Rhenanus ipse aliàs parùm candidus, cannas seu fistulas aureas ac argenteas anti-

Antiquitas venerationis.

Sess. 13. can. 6.

Instrumenta antiquissima ad honorem Eucharistiæ.

Annot. in Tert. de Coro. mil.

antiquissimas adhuc extare, quibus è sacro Calice ad maiorem cautelam Sanguinem haurire solebant. Et vt reliqua quæ infinita sunt prætermittam, propter frequentissimum cultum exhibitum Eucharistiæ ingenerabatur quædam Religio (teste antiquissimo Tertulliano) animis Christianorum, *ne quid etiam vsitati panis aut calicis communis in terram laberetur*. Quam obseruantiam inter cæteras Christianas traditiones recenset & probat lib. de coron. militis. Sed huius singularis venerationis illud est luculentissimum testimonium, quòd Ethnici propter summum Religionis officium in hoc Sacramento collocatum in illis primis Ecclesię temporibus multa de nostris impia & falsa confingerent. Nam apud August. lib. 20. cont. Faustum ca. 13. Pagani ex panis & Calicis obseruantia inducebantur, vt crederent, Christianos Cererem & Bacchum colere. Gentilis verò Præfectus apud Prudentium in lib. cui titulum fecit περὶ στεφάνων, dum exprobrat D. Laurentio Christianorum sacra, sic ritum describit, vt facilè intelligas, tunc ab omnibus iudicatum esse, Fideles etiam Sanguine sacrificasse. Sic enim ait.

Hæc Traditio apud antiquos Catholicos etiã nostra memoria frequens erat.

Paganorum calumniæ.

Hunc esse vestris Orgijs	*Argenteis scyphis ferunt*
Moremq́, & artem proditum est,	*Fumare sacrum sanguinem,*
Hanc disciplinam fœderis,	*Auroq́, nocturnis sacris*
Bibant vt auro Antistites.	*Adstare fixos cereos.*

Ita Prudentius. Propter hunc etiam cultum insimulabantur Christiani infanticidij, vt testatur Tertull. cap. 7. Apologetici. *Dicimur* (inquit) *sceleratissimi de Sacramento infanticidij, & pabulo Iudæ: & post conuiuium, de incæstu, &c.* atque cap. 9. quòd panem intingãt fideles in sanguine occisi infantis. & lib. 2. ad vxorem: *Non sciet maritus* (inquit) *infidelis quid secretò ante omnem cibum gustes? aut dimittet coniugem sine suspicione ad conuiuium illud Dominicum quod homines passim ita infamant?* Hæc ille. Et apud Euseb lib. 5. cap. 1. Accusatis Christianis non solùm de Thyestæis conuiuijs & cæteris infandis ritibus, sed etiam de anthropophagia, pro eis & pro fide sua, in agone Martyrij constituta S.

Infanticidium & Anthropophagia.

Blan-

Blandina ita constanter respondit: *Multum erratis, ô viri, quòd putatis infantum visceribus vesci eos, qui ne mutorum quidem animalium carnibus vtantur.* Denique propter cultum huius Sacramenti apud fideles in primitiua Ecclesia sæpè noctu peracti, semper autem à Gentilibus occultati, tam graues horum aliorumque criminum suspiciones ortæ sunt apud Paganos, præsertim cùm obscurè in nostrorum hominū sacris libris aut sermonibus multa dici audirent de carne manducāda, de sanguine bibendo, de pane, de Corpore, de Calice: vt Iustinus Martyr, qui in colloquio cum Tryphone hæc scelera à Iudæis & Gentibus falsò affingi fidelibus ægrè ferebat, in fine Apologiæ posterioris, quam Imperatori Pagano pro Christianis suis obtulit, iudicauerit esse necessarium, religiosum ritum nostrū omnem clarè & breuiter (quod ante eum fecerat nemo) ipsis etiam profanis Principibus ac Gentibus indicare.

Possis huic loco à Praxi adiungere, si libuerit, quo modo Dæmones affectantes honorem diuinum, sæpè studuerint suis honoribus ritum Sacramēti huius applicare. quod ante etiam breuiter attigimus. Possis referre ex Augustino lib. 22. de Ciu. Dei ca. 8. quo modo vsa sit antiquitas huius Sacramenti oblatione & Diuina præsentia ad effugandos dæmones non solùm à personis, sed ab agris, ædibus, & fundis. Possis denique commemorare ex Gregorio Magno lib. 2. Dialog. ca. 24. quo modo D. Benedictus hoc Sacramento miracula quæque maxima operatus sit. & alia eius generis infinita. Et de locis ac testimonijs Patrum, quæ aut argumentationem, aut Praxim continent ad realem præsentiam constituendam, ita disseruimus hactenus, vt cuiuis perspicuum euadat, nihil esse in omni Religione Christiana à Maioribus nostris aut exactiùs traditum, aut firmiùs creditum, aut illustriùs explicatum.

Dæmones affectarunt coli in Eucharistia. *suprà, cap. 10.*

Ad obiectiones Hæreticorum è Scriptura petitas. vbi & Caput 6. Ioan. ad Sacramentum ostenditur pertinere.

CAP. XXXI.

Neqve verò quenquam illud permouere debet, quòd in Scripturis quædam, in ratione ac argumentatione nonnulla, in Patribus plurima reperiantur, quæ si verborum speciem spectes, nonnihil aduersa Catholico dogmati, his præsertim hominibus videantur, qui vel totos se contentioni dediderunt, vel ita ad id quod adest quodq; præsens est se accommodant, vt disputationum causas, progressus, antecessiones, consequentia, omnesque temporum ac personarum circunstantias considerare vel nolint, vel nō possint: cum nulla pars Theologiæ sit quæ vacet hac difficultate, nec quicquam in omni disciplina tam certò constitutum existat, quod contrarijs argumentis non impetatur. Quod à Pastoribus sæpe inculcandum est apud plebem, ne putet aliquid singulare esse, quòd circa dogma Eucharistiæ ambiguè aut obscurè quædam à Patribus dici audiant, aut propterea rem dubitabilem ac indifferentem esse: Doceantur esse quædam in eorundem scriptis, quæ specie tenus faciant pro Arianismo non minùs quàm pro Caluinismo: & Augustinum laborasse magis, vt vindicaret Chrysostomum, Ambrosium, & seipsum etiam à Pelagianismo, quàm nos nunc contendimus, vt sanctissimos viros liberemus à Zuinglianismo.

Obiectionū tris genera. Sed quid isti in vniuersum adferant, quo impiam contra realem præsentiam sententiam confirment, videamus. Omnis autem illorum impugnatio triplex est. Vnum genus est à testimonijs Scripturarum: alterum ab auctoritate Patrum: tertium argumentatione ac ratione nititur. *1m. è Scripturis.* Eorum quæ à Scripturis petunt, illud primum est & fortasse leuissimum, Verbum Sacramentale esse figuratiuum: proinde & falsum esse primum fundamentum nostrum iactum super eo quòd formæ Sacramentorum non essent tropicę locutiones, sed natiuæ: & ex eo corruere reliquam totius articuli structuram. Probant assumptum, quia in forma Consecrationis vini *Calix* pro re contenta per metonymiam ponitur, & *Testamentum* impro-

impropriè accommodatur tam verbo calicis, quàm verbo ſanguinis, cùm dicitur: *Hic Calix nouum Teſtamentum in meo Sanguine.* Luc. 22. Reſpondetur, primò, figuras non admitti in formas Sacramentales ad principales partes enunciationis, aut circa principale intentum, vt ita præcipuè intentus ſenſus ſit incertus: quod accideret, ſi tropus collocaretur in verbo *Eſt*, verbo *Sanguis*, aut *Corpus*. Secundò, quaſdam figuratiuas locutiones ita eſſe vſu tritas & vulgares, vt non generent incertitudinem in ſenſu loquentis, & proinde pro natiuis haberi, vt, *poculum aquæ dare aut bibere*, pro, *aquam è poculo*. Sic *Teſtamentum in ſanguine* Iudæis apertè & ſine figura, fœdus initum in ſanguine & cruore confirmatum ſignificat. Tertiò, etiam in his ſi quid ex narratione vnius obſcurè dicatur, eſt id ab alijs Euangeliſtis ſic explicatum, vt ex tropo errare non queas. Vt dum Matthæus & Marcus ſic genuinè efferunt, *Hic eſt Sanguis meus noui Teſtamenti.*

Alterum argumentum efficiunt ex eo, quod Paulus ſæpè vocet *panem* poſt Conſecrationem. cap. 10. & 11. primæ ad Corinth. Vt *Panis quem frangimus*. &, *Quotieſcunque manducabitis panem hunc*. Reſpondemus, primo ſic appellari, quia ex pane factum eſt: ſecundo, quia retinet omnes panis ſpecies & proprietates: tertio, quia *panis* nomen commune eſt omni ſolido alimento: quarto, quia Chriſtus ipſe in Scriptura dicitur *panis* propter vim nutriendi animas noſtras. Io. 6. quinto, quia eius præcipua figura Manna, etiam cùm non eſſet, tamen *panis* dicebatur: Sexto, non dicitur panis ſimpliciter vſquam, ſed cum additione. vt, *panem hunc*, *panis ſuperſubſtantialis*, *panis Angelorum*, *panis quem frangimus*, *panis vitæ æternæ, &c.* vt facilè intelligas per emphaſin & agnominationem iſtam, non vulgarem panem dici.

Argumentantur tertio ex 6. cap. Ioannis, *Spiritum eſſe qui viuificat*, *Carnem non prodeſſe quicquam*: & cùm non proſit, nec verè & realiter dari in Sacramentum. Reſpondemus, argumenta ex hoc capite petita vel contra realem præſentiam,

vel

vel cõtra alterius ſpeciei communionem laicam,per ſe ac ſimpliciter atque apud omnes non valere:& ab Hæreticis minimè omnium proponenda, qui conſtanter negant, quicquam hîc de ſacramentali manducatione tractari. In ipſis etiam Catholicis permulti ſunt,qui totum hũc Seruatoris ſermonem ad ſpiritualem referant comeſtionem, per quam fide & mentis auiditate Chriſtum incarnatum complectimur; & de Sacramento nihil hîc proponi cõtendant. In quo numero eſt Caietanus, & Ioannes Heſſels Louanienſis, & ante hos Gabriel Scholaſticus, qui Auguſtinum etiam in eam pertrahere ſe ſentẽtiam putãt. Quare qui hos ſequeretur,vno verbo expediret omnes difficultates. Sed non placet hæc via, & communis ſententia ſemper tutiſſima eſt,ſemper probabiliſſima;hîc verò etiam auctorum numero,antiquitate,& argumẽto præponderãs. Nam Græci & Latini omnes,quicunque hoc caput vel fuſiùs expoſuerunt, vel obiter attigerunt, Sacramento accommodarunt. Nec Auguſtinum excipio, qui 20.Tractatu in Ioãnem, & ſer. 2.de verbis Apoſtoli,expreſſè ſacramentaliter exponit. & niſi paſſim contra Pelagianos,præſertim lib.1.ca.10.de peccat.merit.vſurpans illud, *Niſi manducaueritis carnem Filÿ hominis, non habebitis vitam in vobis*, ad Sacramentum applicuiſſet, contra aduerſarios ſuos nihil planè ex eo confeciſſet. In Græcis ſunt hi:Orig.Hom.16.in Num.Baſilius in Regulis,reg. 21. Chryſoſtom. Hom.45.& 46. in Ioan. Emiſſenus Hom.5. de Paſcha. Theophilus Alexand.apud Hiero.lib.2. paſchali. Cyrillus per multa capita lib.4.in Ioan.Damaſcenus lib.4.ca.14.Theophylactus in hunc locum Ioan.& Theodoretus lib.4. hiſtor.ca 11. qui ex hoc capite rẽfutat Meſſalianos, negantes fructum aliquem percipi ex mãducatione Euchariſtiæ. In Latinis autem, Cyprianus lib.1.cont. Iudæos cap.21. hinc probat præceptum de ſumenda Euchariſtia.& in expoſ. orationis Dominicæ,propterea panem Euchariſtiæ vult ſuperſubſtantialem dici, quòd Chriſtus Io.6. afferat, *non moriturum qui manducat ex hoc pane.* Et lib.de Cœna,ex hoc ſolo capite oſtendit, quãtus ſit fructus perce-

Sextum Ioãnis ad Euchariſtiam pertinere. vide doctiſſimum hac de re Tractatum D. Nic.Sanderi.

Patres.

perceptæ Euchariſtiæ. Idem D. Leo ſer.7. de ieiunio. Et Hieron. in 1. Epheſ. & Rupertus, D. Thomas, omneſque auctores ſcholaſtici, idem ex hoc ſermone tradunt. Sed rationibus conuincemus.

Primùm, non habent aliud fundamentum Theologi ad ſummam ac celeberrimam diſputationem de vſu, finibus, fructibus, ac effectis communionis, quàm ex hoc capite. Aut enim nuſquam Seruator ac ſacri ſcriptores de commoditate huius ſummi Sacramenti tradunt, aut id hoc loco faciunt. Secundò, nec vſpiam extaret præceptum manducationis Sacramentalis, ſi hoc loco non extet. Tertiò, nec Ioannes Euangeliſta, qui diligetiùs quàm cæteri Myſteria quæque maxima perſecutus eſt, vnquam meminiſſet ſummi Myſterij (quod nõ eſt rationi conſentaneum) ſi hic non meminerit. Quartò, non eſt probabile, præceptum manducandi per fidem, hoc eſt, præceptum credendi, per ſe tam planum, & aliàs tam ſæpè inculcatum, tam operoſè tradi, tot verborum inuolucris, & tot metaphoris, tam alienis & tam duris ſermonibus inuolui, & tanta obſcuritate proponi, vt excitarentur tam graues offenſiones Diſcipulorum animis. Quintò, nunquam abijſſent retro Diſcipuli, ſi de ſpirituali manducatione, aut de credendo tantùm ſermo eſſet habitus. Sextò, neque illud leue eſt quòd Dominus hanc diſputationem inierit, vſus trãſitione à panum miraculo ad Manna, à Manna Moyſis ad panem Patris, à pane illo ad veram mãducationem Carnis ac Sanguinis ſui. Quæ omnia penè conuincunt, totum ſermonem illum, licet præciſè & punctim non ſit de Euchariſtia, tamen tendere ad Euchariſtiam, & tandem ad illa ſaltem verba, *panis quem ego dabo*, apertè deſinere in Euchariſtiam. Septimò, quòd & panes multiplicati, & maximè Manna figura eſſet, non manducationis ſpiritualis, ſed ſacramentalis, nec alius cibi ſacramentalis, quàm Euchariſtiæ. Octauò, De hac tranſitione ad Euchariſtiam minimè mirabitur is, qui meminerit, quomodo tertio præcedenti capite ordiatur ſimilem ſermonem Seruator cum Nicodemo de ſpirituali natiuitate,

Rationes

uitate, antequam vllum extaret de Baptiſmo præceptum. Nono, quod Sermo Domini tam inſtitutionem, quàm præceptionem rei ac manducationis adhuc futuræ cõtineat, manifeſtum eſt: quod non poſſit dici de manducatione per fidem, cùm id & Chriſti temporibus ante inſtitutum Sacramentum, & Patriarcharum etiam tempeſtate requireretur. Nam præceptum credendi omnium hominum & temporum erat: cùm hic aliquid ſingulare, peculiarisque efficientiæ præ cibo Patrum cõmendetur. Decimo, loquitur Chriſtus de ea perceptione Carnis & Sanguinis, in qua eſt cibi & potus diſtinctio: ſed in credendo vel manducando ſpiritualiter, caro & ſanguis non apprehenduntur ſub ratione cibi & potus diſtinctim, cùm in eo idem ſit manducare & bibere.

Magna ſunt auctoritatum & argumentorum momẽta quæ attulimus, ſed ſummum eſt illud, quod Epheſinũ Conc. illud, *Niſi manducaueritis, &c.* exponat contra Neſtorium de Sacramentali comeſtione: & Tridentinum ſeſſ. 13. ca. 2. id quoque, *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*; ad Sacramentum referat: Et Eccleſia Dei cùm haberet tria reliquorum Euangeliſtarum notiſſima loca de inſtitutione Euchariſtiæ, tamen ſelegerit ad Euangelium ipſius Officij Corporis Chriſti hunc inprimis 6. Ioan. ſermonem: ſicut antè etiam fecerat ad Miſſam mortuorum. Et hæc quidem ita ſunt.

Eccleſia.

Notandum tamen, non omnia quæ in illo toto ſermone diſſeruntur, ad Euchariſtiam directè, aut æquè ac illa poſteriora pertinere: cùm Euthymius, Chryſoſtomus, & alij complures, priora vſque ad, *panis quem ego dabo*, ad ſpiritualem: ſequentia vero, maximè ad Euchariſticam comeſtionem accommodent. Cùm igitur conſtet, ſub illis nominibus *panis, cibi, potus, manducationis*, aliquando pręceptum benè viuendi tradi, vt cùm ait, *Operamini cibum qui non perit*: aliquando fidem Incarnationis commendari, vt illic, *Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcẽdi*: aliquando inſtitutionem Sacramẽti prænunciari, vt, *panis quem ego dabo, &c.* tum hæc puncta ſunt ſedulò obſeruanda. Primùm,

Obſeruationes circa 6. Ioannis.

has cibi & manducationis metaphoras non temerè & fortuito arreptas fuisse ad exprimendam Incarnationis fidem, aut Christum ad animorum vitam ac sustentationem incorporatum, sed propterea accommodatas esse ad Filium Dei incarnatum, aut carnem Christi simpliciter, etiam extra Sacramentum, quia eadem caro reuera erat futura manducabilis sub specie panis in Sacramēto. sicut olim propter hanc causam Corpus Christi in Cruce simpliciter appellabatur *panis eius*. vt, *mittamus lignum in panem eius*. Sic propter Sacramentum Sanguinis, dicitur etiā Sanguis in cruce, *sanguis vuæ*, Gen.49. *lauabit in sanguine vuæ amictum suum*. Cùm ergo omnia in toto sermone hoc signanter sub panis & vini metaphoris studiosè tractentur, certè omnia etiā antecedentia possunt per applicationem, accommodationem, atque allusionem elegātissimam ad Eucharistiam referri. Neque id verò solùm propter originem huius Metaphoræ ab Eucharistia proficiscētem, sed etiā quòd ea ipsa quæ de Manna, de vitæ sinceritate, de tractu Dei, de necessitate credendi, de Incarnatione, de vita, de spiritu, ac similibus, hîc traduntur, maximè dicantur ad animorum præparationem, & intelligentiam eius sermonis difficillimi circa eandem Eucharistiam statim futuri. Præterea & de eo est cogitandum, non esse nouum apud sacros cōcionatores, varias res vni sermoni, modò aliqua inter ipsas naturarum analogia intercedat, Platonico more intexere: itaque captare rerum ac verborum similium commoditatem ad oratiōis mutationem, vt difficillimum sit homini vel sapienti & docto transitionem semper animaduertere. Disputat cum Samaritana de aqua Sichem Seruator, & statim transit ad aquam gratiæ viuam salientem in vitam æternam, Io.4. hoc est, ad aquam Baptismi, vt placet Cypriano lib.3. Epist.3. Aliàs de excidio vrbis Hierusalem differens, ad orbis euersionem transit, eodemque sermonis cōtextu indifferenter se accommodat ad vtrunque. Ita ordiuntur sæpè Prophetę orationem à ieiunio corporali, & desinunt in spirituale: incipiunt à sacrificio externo ac propriè dicto, &

Iere.11.

2. Obscura transitiones.

Mat.24.

ſtatim tranſeunt ad ſpiritale & internum. Hæc autem ferè non niſi tum (vt diximus) fiunt, quando ex vſu loquendi, verba vtrique generi ſunt communia, vt eorum facilis ſit & elegans, ac ad doctrinam vtilis tranſlatio: rerumque etiam ipſarum magna affinitas, aut dependentia, atque conſequutio. Tum autem maximè & diuiniſſimè fiunt, quando illa quæ intertexuntur, non ſolùm non ſunt diſparata aut repugnantia, ſed ita coniuncta vel natura, vel præcepto, vt vnum includat alterum. Sic Sacramentalis manducatio includit ſpiritualem; ieiunium Eccleſiæ includit ieiunium à peccatis; ſacrificium Corporis, ſacrificium cordis; Baptiſmus aquæ, baptiſmum Spiritus. Ex quo fit, vt in Scriptura, & in Doctoribus, maximè autem in Auguſtino moris ſacri ac Platonici ſummo ſectatore, trãſitiones fiant frequentes, & expoſitiones, pro opportunitate rerum ac perſonarum, vtriuſque generis planè indifferentes. Pręcipuè verò, vt id quod dicitur de Corporali officio quocunque religionis, transferant ad illud ſpirituale, quod ex pręcepto eſt connexum corporali, quodque eſt ex natura ſua magis præclarum & ſalutare, quàm alterum, vtpote cuius cauſa alterum inſtitutum eſt. Ergo non tantùm eodem loco & ſermone, ſed iiſdem verbis literaliter intellectis præcipitur & ſpiritualis & ſacramentalis manducatio, tanquam duo complentia perfectam & vtilem communionem, cuius fructus eſt vita æterna. Quia igitur ſacramentalis perceptio ex Chriſti præcepto habet alterã manducationem coniunctam, ſæpe Auguſtinus, vt lib. 21. de Ciu. cap. 25. & Tractat. 25. 26. & 27. in Ioan. ea verba Seruatoris ad vnitatẽ Eccleſiaſticam, incorporationem, manſionem in Chriſto, & fidem in ipſum æquè ac ad Sacramentum refert (nam ad Sacramentum quoq; pertinere his ipſis locis planiſſimè oſtendit.) imò quia principalius eſt illud ſpiritale, alterum quod eſt corporale, more ſacrorum Scriptorum ita aliquando deprimit, vt non omnino requiri aut neceſſarium eſſe dicere videatur. vt cum ait 25. Tract. citato, *Quid paras dentem & ventrem? crede, & manducaſti.* Et rurſus, *Qui manducat corde, non qui premit dente.*

dente. Vbi nihil aliud dicit, quàm in duabus rebus præceptis à Domino, Sacramentum externum multò inferius esse spirituali ac interno cordis officio. Simili phrasi dixit idem, Dominum Osee 6. locutum, cùm inquit: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Vbi non prohibet sacrificium externum, quod aliàs mandauit, sed prætulit misericordiam, hoc est, sacrificium internum. Sic exponit lib. 10. Ciu. Dei, ca. 5. Neque verò hæc ita tractat solùm ad verba 6. Ioan. sed ad spiritualem manducationem verba quoque Pauli 1. Cor. 11. quæ ad Sacramentum sine controuersia pertinent, accommodat Tract. 26. in Ioan. Quod Theophylactus ipsis quoque consecrationis verbis facit super Lucam cap. 22. Proinde multùm errant, qui propter hāc spiritalē commendatā vel ab Augustino, vel ab ipso Domino, denegari existimāt sacramentalē aut corporalē Christi māducationē. Et hæc quæ diximus constabūt magis, si cōsideremus, nō de qualibet vnitate, charitate, fide, aut incorporatione agi ab Augustino aut alijs cū hūc locū tractāt, sed de his vt sunt cōiūcta Sacramēto, aut effect' Sacramēti vel actu vel voto percepti.

3. Spiritalis manducatio quinq; modis.

Ad cuius rei maiorem lucem porrò obseruandum est, manducationem spiritalem quinq; modis accidere. Primus est per fidem veram Incarnationis, sine vllo respectu ad Eucharistiā, quomodo manducauerunt Iudæi & fideles omnes ante Sacramenti institutionem. Et hæc māducatio impropria est, & non intelligitur ab Augustino, cum aliquem locum tractat ad Eucharistiam pertinentem, nisi fortè per accommodationem aut verborum allusionem. Secundò manducatur spiritaliter, quando Caro eius realiter, sed non in carnis specie, verum sub aliena specie in Mysterio & Sacramento comeditur. Quæ manducatio licet sit vera & corporalis, tamen est spiritalis respectu modi manducationis quem Capharnaitæ sibi finxerunt. Et in hac acceptione non distinguitur spiritalis à Sacramentali, sed idem planè significāt. Tertius modus māducandi spiritualiter, est fide ac desiderio ferri in istud Sacramentum, ac per illud vel re, vel voto acceptum, incorporari Christo. quomodo fit,

cum vel digni percipimus ipsi, vel astamus & communicamus Sacerdoti ministranti in singulis Missis. Quartus modus, quãdo quis fertur in istud Sacramentum non voto explicito, sed implicito. Et sic percipitur ab infantibus in Baptismo, qui ex eo ius acquirunt ad verum Corpus Christi eiusque participationem naturalem, non aliter quàm maritus acquirit ius in corpus coniugis ex inito matrimonio, & non consummato. adeo vt hæc puerorum comestio non sit habenda merè spiritualis, & minimè pertinens ad Sacramentalem, sicut illa Iudæorum in prima acceptione: sed est eatenus Sacramentalis, quatenus continet votum Sacramenti Eucharistiæ, & ex eo ipsius Sacramenti fructum. Nam habent infantes ex Baptismo reuera votum ad Eucharistiam. Vnde & desiderant Corpus Christi verum, non aliter, nec minùs propriè, quàm credunt, & diligunt, & pœnitent. vt ita beneficium habeant non solùm Sacramenti Baptismi, sed etiam fructum ac rem spiritualem alterius consequentis Sacramenti, ac ipsius sacramentalis manducationis vt à voto Eucharistiæ proficiscentis. De qua re ita differuit Augustinus contra Pelagianos, vt Erasmo & alijs putaretur dicere, ipsam Eucharistiam actu percipiendam pueris ad salutem, quod est per se falsum, & à Trid. Concilio sess. 13. condemnatum, atque Augustini doctrinæ contrarium. Qui lib. 3. pec. merit. cap. 4. & ser. ad infantes à Beda citato in 10. cap. 1. Cor. expressè asserit, eos participare Carnem & Sanguinem Domini ad vitam in Baptismo: non quòd illud proficiscatur ex Baptismo, vt tali simpliciter: aut quòd sub præcepto manducandi Carnem & bibendi Sanguinem nil aliud iubeatur quàm Baptismus, quomodo in contrariam partem errant alij doctiores: sed quia (vt diximus) illud Sacramentum primùm ordinat infantem de spiritu Christi iam incipientem viuere, in Corporalem coniunctionem cum Christo, & votum Eucharistiæ in ipso implicitum inserit, vnde pascatur de Altari, non minùs quàm hi qui proprio desiderio in illud feruntur; & rem ac virtutem Eucharistiæ,

Infantes in Baptismo quo modo manducent Corpus Christi.

Duo errores circa Eucharistiam paruulorum.

vt talis

vt talis Sacramenti, consequatur, licet statim à Baptismo moriatur. Et hanc puto esse sententiam Augustini lib. 1. de pec. merit. cap. 20. Vbi & præceptum manducandi ac bibendi Sanguinem, ex hoc loco ad infantes pertinere, & esse aliud quàm mandatum de Baptismo, & denique propriè spectare ad Sacramentum sanctæ Mensæ, ad quod neminem dicit accedere nisi baptizatum, perspicuè tradit. In summa ergo, vbicunque fructus Sacramenti percipitur ex Sacramẽti voto, est quidem spiritalis perceptio, sed ad Sacramentum propriè pertinens, & commendatur nobis ijsdem locis quibus Sacramentum præcipitur. Quintus modus manducandi est solus Hæreticus, falsus, vanus, atq; Patribus incognitus: nimirũ quo fingunt isti, se in Sacramento fide comedere Christum absentem. Quod genus habere fortassis potuit aliquem locum in figuris veteris Testamenti, in nouo Sacramento nullum.

Ex his autem argumenta illa septem, quę doctissimus vir Io. Hessels contra id quod dicimus, Sermonem hunc Io. 6. pertinere ad Eucharistiam, fecit in lib. de com. sub vna specie, facilè soluuntur. Nam leuia sunt, & indigna propter quæ à communi sententia discedatur.

Nos igitur, vnde digressi sumus reuertamur, ad principale scilicet argumentum Hæreticorum. *Spiritus est* (inquiunt) *qui viuificat, Caro non prodest quicquam.* Respondemus, non illud locutum Christum de sua Carne, sed carnem appellasse, crassam, animalem, carnalem Capharnaitarum cogitationem, qua non poterant assurgere ad tanta Mysteria capessenda, & proinde ad tam diuinos sermones intelligendos opus esse spiritu. In quo ferè sensu hæc accipiuntur Matt. 26. *Spiritus promptus est, caro infirma.* &, *Quod natum est ex carne, caro est: quod ex spiritu, spiritus est.* Ioan. 3. & Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi.* Sic Tertullianus lib. de Resurr. respondet eis, qui ex hoc loco negabant carnis resurrectionem. Sic Origenes super illud, *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis Caro.* Sic Cyprian. ser. de Cœn. Domini. sic Chrysosto. Hom. 46. in Io-

Caro.

in Ioan. ſic denique Cyrillus Catech. Myſtago. 4. apud quos omnes, *Carnem non prodeſſe*, eſt, ſenſum hominis animalis inutilem eſſe ad Myſteria perſcrutanda, & proinde rationi & ſpiritui captiuandum. ita vt de vitio in illorum intelligentia loquatur, ſicut illud quoque probabile facit, quòd eos ibidem infidelitatis arguit, & quòd opponit carnali intelligentiæ verba ſua, quæ ſpiritus & vita ſunt, hoc eſt, plena Myſteriorum, vitalia, atque ſalutaria, non capienda ſecundùm occidentem literam, ſed viuificantem Spiritum. Eſt enim illud impium, quod Hæretici dicunt, Chriſti verba Spiritum & vitam appellari, quia ſunt figuratiua, & non propria. quo modo Bucolica Virgilij eſſent magis ſpiritualia & vitalia, quàm verba Chriſti. Ex hoc nunc infertur & ſecunda ſolutio, quòd de Carne etiam Chriſti dici queat, quòd non profit: eo ſcilicet modo carnali quo ipſi conceperunt. quæ eſt interpretatio Cypriani loco citato, dicentis, *Carnem Chriſti elixam aut aſſam non prodeſſe*. atque Auguſtini Tract. 27. in Ioan. & in Pſal 98. *Caro* (inquit) *non prodeſt quicquā, ſed quo modo illi intellexerūt, ſicut in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur*. Ita ille. Tertiò dicimus, quòd Caro ipſa etiam in Sacramento eatenus dici queat non prodeſſe, quatenus virtus Sacramentalis non procedit principaliter à carne, ſed à ſpiritu ac Diuinitate vnita. Nam ſecundaria aut inſtrumentalis comparata primariæ aut efficienti cauſæ, dicitur nihil facere. Et hunc ſenſum ſemper ferè ſequitur S. Cyrillus toto lib. 4. in Ioan. & Aug. lib. 10. ciu. ca. 24. & in Pſal. 38. Quo modo ſi diceres, aquam in Baptiſmo nō prodeſſe, ſed ſpiritum. In quibus omnibus vnà collectis habem⁹, nec carnalem intelligentiam, nec modum manducandi quem infideles conceperunt, nec ipſam per ſe Carnem ſine ſpiritu ac Diuinitate quicquam prodeſſe.

Illud autem quod Seruator priori ſententiæ præpoſuit, nimirum, *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videbitis Filium hominis aſcendentem vbi erat prius*: neque hoc facit quicquam pro Hæreticis, qui falſò ita interpretantur, ac ſi diceret, non hoc corpus come-

comedetis, quia illud mecum in cœlum deferam. Habet quidem & expositio Augustini, *Non hoc corpus comedetis, &c.* sed quatenus per id significatur, non in frusta dissecandam, dilaniandam, aut consumendam carnem, quam integram & non mutilam Filius hominis esset delaturus in cœlum. Quæ expositio eam in terris existentiam aut manducationem, quæ eius integræ Ascensioni nihil repugnaret, non impedit. Sed Chrysostomi in hunc locum commentarius melior est. is enim ita interpretatur. *Vos offensionem accepistis à meis verbis, quòd dixi me daturum vobis Carnem & Sanguinē. sed cùm hoc vos tantopere scandalizet, quid dicetis, quando videbitis Filium hominis ascendentem vbi erat prius?* Ita ille, duo hoc commentario innuens: & minùs mirum esse hoc quod dicit & facit in dando Corpore suo in cibum, quàm in ascendendo in cœlum: & Hæreticos atque infideles tunc magis offensos fore de præsentia Corporis in Eucharistia, cùm viderint totum Christum sublatum in cœlum. Vnde Hæretici in hunc vsque diem id sæpissimè habēt in ore: Ascendit in cœlum, ergo nō est in Altari. vt ita Dominus prophetice notet, perpetuum futurum perfidorum scādalum circa hoc Sacramentum, idque ex Ascensionis articulo hauriendum.

Postremò vt omnia sint nobis magis tuta ab Hæreticis circa ca.6. Ioan respondendum est Augustini celebri dicto lib.3. de doct. Christ. ca.16. vbi ad illa verba, *Nisi manducaueritis, &c.* *Flagitium vel facinus* (inquit) *videtur iubere. Figura ergo est, præcipiens Passioni Domini esse communicandum, & suauiter recondendum in memoria, quòd Caro eius pro nobis crucifixa sit.* Hæc ille. Vbi primò notandum, illam regulam intelligendi scripturas ac diuina mandata non esse vndique certam aut exactam. Cùm illud Domini præceptum ad Osee ca.1. *Sume tibi vxorem fornicationis & fac filios fornicationis*, flagitium videatur continere: quæ tamen an sit figuratiua locutio, incertum est. Et Genes. ca.22. extat præceptum Domini ad Abraham, iubentis eum occidere & offerre filium suum vnigenitum, quod erat facinorosum,

Ad illud Aug.

Facinus videtur iubere. figura ergo est.

rosum, & tamen non debuit Patriarcha concipere eius sermonis Dominici spiritalem aliquem sensum, quasi reuera non iussisset occisionem vnici filij sui. aliaque eius generis multa, quæ auctoritate iubentis creduntur licita, quę aliàs per se essent flagitiosa. Sed quia illud sępè accidit, vt figuratiui sint sermones huiusmodi, Augustinus voluit eam veluti regulam commendare, eiusque exemplum in verbis Christi circa hoc Sacramentum statuere. Et id certè iustissimè potuit, quia reuera sensus literalis & communis sententia illis subiecta, fuit ea quam Capharnaitę conceperunt, nec aliud potuit secundùm externum & vulgatum sonum vsumque verborum concipi, quàm Christum pręcisurum particulas de Carne sua, quas illis coctas aut crudas vnà cum cruore emisso prębiturus esset. Eatenus ergo verba sunt figuratiua, quatenus non habent sensum ex vi verborum (vt ita dicam) colligibilem, sed alium diuiniorem. Licet enim nullum sit eorum verborum quę in illa sententia comprehenduntur, quod non verè & propriè sit accipiendum respectu rei subiectę secundùm substantiam (nam & *manducare* habet proprium sensum, & *Caro*, & *Sanguis*) tamen quia modus actionis & conditio existentię, rerumque proprietates quę communiter sunt annexę, hîc non seruantur, nec intelliguntur ex verbis; sed alius modus manducandi ac bibendi suauissimus, quo Christi ac Passionis eius memoria vtiliter ac ineffabiliter colitur in Sacramēto, intelligitur sublimior quàm illa verba vulgaria ferāt: propterea (inquam) locutio hęc ab Augustino figuratiua dicitur. Et est elegans locus apud eum lib. 2. ca. 9. cont. aduers. Leg. & Proph. Vnde intelligas, horrorem horū verborum de comedenda carne ac sanguine humano non impedire ipsam rei veritatem, sed tantùm mysticum modū constituere. Sic ait: *Mediatorem Dei & hominū hominē Iesum Christum, ipsam Carnē suā nobis manducandam bibendumq́ Sanguinē dantem, fideli corde atq́ ore suscipimus, quamuis horribilius videatur humanam carnem mādùcare, quàm perimere: & humanum Sanguinem bibere, quàm fundere, &c.*

Idem

Idem habet in Leuit. q. 75. Aduertendum tamen, quod similis ratio non ſit in verbis ſacramentalibus, quibus in ipſa inſtitutione & conſecratione vſus eſt Chriſtus. Nec vnquam Sanctiſſimorum Patrum quiſquam dixit, in ea locutione figuram eſſe, quia illa cùm demonſtratiua eſſent ad ſenſum, & ſignificarent Corpus & Sanguinem exiſtere & percipi in ſpeciebus alienis tum propoſitis, ac in Sacramento, & ſine detrimento aut mutilatione perſonę Chriſti in ſua integra forma etiam tum pręſentis, nō poterāt ſic intelligi, ſicut antè Diſcipuli increduli illa alia Ioan. 6. intellexerant: quia verba conſecratiua prolata ſuper panem demonſtratum, vnà cum veritate rei etiam modum & conditionem Sacramentalem expreſſerunt.

Sed pergamus ad reliqua. Obijciunt ergo ex 10. ca. 1. Cor. nos non aliud manducare in Euchariſtia, quàm veteres in Manna, vbi Paulus dicit, *omnes eundem nobiſcum potum, & eandem eſcam ſpiritalem percepiſſe, bibiſſe de conſequente eos Petra: petram autem eſſe Chriſtum.* Sed illi non comedebant Chriſtum reuera, ſed in figura. ergo neque nos in veritate comedimus. Reſpondetur, Paulum non dicere, eos & nos eandem eſcam aut potum accepiſſe, ſed ipſos omnes inter ſe, tam bonos vt Moyſen, Aaronem, Phinees; quàm malos, vt murmuratores qui proſtrati ſunt in deſerto, comediſſe & bibiſſe eandem eſcam & potum. vt ita collatio nō ſit ipſorum ad nos, ſed ipſorum inter ſe, in ratione manducationis. Neque etiā ſi nos illis cōparet reſpectu rei ſignificatæ aut acceptæ in Sacramentis illorum & noſtris (quomodo & Auguſtin[*] expoſuit Tract. 26. in Ioan.) valet aliquid conſequutio. Eſt enim fallacia figuræ dictionis, à re ad modū rei. Nō enim ſequitur, illi & nos eodem Chriſto paſti & loti ſumus: ergo vtriq; eodem modo. cùm ex hac vaniſſima collectione ſacramēta planè haberemus eadem. Sed ita res habet, quomodo ſi diceremus, eundem Chriſtū eſſe cibū hominū & Angelorū, quod quidā ex Veteribus dixerūt, nō tamen cōſequens erit, illos vel corporaliter vel Sacramētaliter, ſicut nos in Euchariſtia, Chriſtum in eſcam ac alimētum

Omnes eandem eſcam, & eundem potum.

sumere. Reliqua quæ ex Scripturis contra præsentiam realem adferuntur, vel minutiora sunt, vel Lutheranis cum istis communia sunt, quæ in proximo capite opportuniùs refutabimus.

2m. è Patribus.

Ad obiectiones è Patribus, per duas regulas respondetur: deinde & ad rationes.

CAP. XXXII.

NVNC quæ nobis ex Patribus opponunt, sunt eiusmodi vt vna aut altera annotatione commodissimè expediantur. Sic ergo constituamus: Quandocunque Patres accommodant verba Sacramentalia ad merè spiritalem ac Metaphoricam manducationem eius rei quæ reuera non est comestibilis, sed fide, ac deuotione, aut auditione tantùm perceptibilis, illud non habent pro natiuo & literali, sed pro sensu tantùm mystico. qui cùm semper fundetur super literam, nec vnquam illi quicquam aduersetur, imperitè argumentantur Hæretici à positione mystici ad destructionem literalis. Vnum exemplum adferam ex Origene. in cap. 26. Mat. *Panis iste* (inquit) *quem Deus Corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum, &c.* Ex quo inferunt insulsè isti, velle Origenem, nihil aliud esse, manducare Corpus Christi, quàm audire verbum Christi. Ex qua bella interpretatione non solùm realem præsentiam, sed totum Sacramentum funditus tollunt. Dicendum ergo ex constituta regula, quòd sensum mysticum hîc sectetur Origenes, qui literalem non euertit. Quod vel eodem loco videre potuissent, vel plenissimè certè Homil. 16. super Num. vbi literalem & mysticum vnà coniunxit his verbis: *Bibere dicimur Sanguinem Christi & ritu Sacramentorum, & cùm sermones eius recipimus.*

Prima Regula.

Porrò vt maximam difficultatum partem expeditè amoueamus, illud quoque memoria tenere oportet, voces omnes circa hoc Sacramentum ab antiquis vsurpatas, quę videntur Corporis Christi veram præsentiam, manducationem, aut oblationem

Secunda Regula. Per termines diminuentes, Pa-

nem.

nem imminuere, ac pro reali & ſubſtantiali exiſtentia vulgarem, vmbraticam, ſpiritalem, metonymicam, aut tranſcendentem præſentiam inducere, omnes (inquam) huiuſmodi dictiones tantùm ad rationem & modum exiſtendi, immolandi, ac manducandi, qui eſt occultus & Sacramentalis, pertinere: ſubſtantiæ verò identitatem, vel rei aut actionis veritatem omnino non tollere. Qua annotatione parata, non offendes ad illud Auguſtini in Pſal. 33. *Chriſtus cùm Corpus ſuum commẽdaret diſcipulis, quodammodo portabat ſe manibus ſuis.* Quæ vocula non adijcitur ad veritatem ſubſtantiæ auferendam, ſed ad inuiſibilem rei gerendæ modum inſinuandum. Nec illud eiuſdem in Epiſt. 23. ad Bonifacium, offendet: *Secundùm quendam modum Sacramentum Corporis Chriſti, Corpus Chriſti eſt: ſicut Sacramentum fidei, fides eſt.* Sic enim dixit, quia res poſita in exiſtentia non natiua, extra omnes naturales conditiones atque ſenſibiles proprietates illius appellationi competentes, alieniſque accidentibus imbuta, licèt ſubſtantiam ſuam retineat, tamen quia ſubſiſtentiæ conditiones, quæ vnà cum re in ſenſum & conceptum humanum veniunt, atque propriæ appellationi ſubiectæ ſunt, nõ habet, nomenclaturam quoque ipſam penè amittit: vel retinet quidem, ſed magis impropriè, reſpectu quidem illius alterius exiſtentiæ quam habet vel habuit genuinam. Ita vt Corpus Chriſti ſub ſpecie panis per figuram & ſecundùm quendã modum ac ſimilitudinem Sacramentalem dicatur & ſit Corpus Chriſti. eoque magis, quia illa noua accidentia, quibus coniungitur in Sacramento, habent aliquam ſimilitudinem ad rem & actionem primæuam quam repræſentant. Non enim fuiſſet vſus Dominus his formis, niſi in eis poſſit eſſe ſenſibilis repræſentatio Corporis ac Sanguinis olim ſenſibiliter exiſtentis aut immolati. propter quam ſimilitudinem ita dicitur Sacramentum Corporis Corpus ſimpliciter & verè, ac ſi eſſet Corpus Chriſti in ſua naturali forma & conditione ſubſiſtens. quomodo in Eccleſia ille dies qui repræſentat Reſurrectionem prætcritam propter imitationem rei & actionis dicitur *Reſurrectio,*

tres non aliam ſubſtantiam, ſed alium modum denotant.

Quodammodo.

vel *dies Resurrectionis* sine omni mendacio. Quo etiam modo cùm Passio semel peracta sit, dicitur tamen Christus quotidie immolari & pati in Sacramento & Sacrificio Ecclesiæ. Postremo eâdem ratione qua Sacramentum fidei susceptum ab infantibus, & in illis per characterem manens, dicitur illorum fides, & reuera est, per quam constituuntur fideles: licet fidei adultorum comparata dicatur fides quodammodo. Neque enim Augustinus loquitur simpliciter de Sacramento Baptismi, quòd id dicatur fides, sed de eo vt in paruulis: vt ita collatio sit inter Corpus Christi in Sacramento ad corpus secundùm proprias conditiones dictum, & fidem Sacramentalem ad fidem illam adultorum quæ actu & voluntate credendi oritur & consistit. Ex hac annotatione porrò disces, vnam & eandem rem secundùm substantiam manentem vt priùs, propter modum existendi diuersum dici passim non ipsam. Hinc August. super Psal. 98. cùm corporis realem præsentiam adorationis indicata necessitate satis declarasset, tandem dicit: *Non hoc Corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum Sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum vobis commendo, spiritualiter intellectum viuificabit.* Sic ille. Vbi illud, *hoc quod videtis*, &, *hoc quod fundetur*, non substantiam simpliciter, sed vnà cum modo & naturali conditione existendi denotat. vt ita dicatur spirituale, & non hoc ipsum quod fuit, quia non est idem cum omnibus suis proprietatibus naturalibus. Sic D. Paulus eo ipso loco quo conatur eiusdem corporis numero resurrectionem ostendere. 1. Cor. 15. comparans hoc mortale ac corruptibile corpus ad idem postea immortalitate, incorruptibilitate, ac spiritualitate donandum, appellat *corpus spirituale*, audetque porrò dicere, *non quod futurum est seminari*, id est, in terram cadere, sed Deum daturum esse corpus sicut vult. Vbi non significat diuersam substantiam, sed mirificam in existendi conditione differentiam. Vnde & illud obseruandum, nomina propria vulgariter non attribui rebus, nisi quando in vulgari

condi-

conditione exiſtunt. Hinc quia qualitates corruptibiles carni noſtræ congenitæ non manent in cœlo, dicitur ibidem ab Apoſtolo, *Caro & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt.* Sic Mat. 26. *Me non ſemper habebitis.* & 23. *Amodo non videbitis me.* cùm tamen haberent & viderent poſt Reſurrectionem ſubſtantia planè eundem, ſed exiſtendi conditione alium, & non eundem ipſum. Hinc Luc. vltimo loquẽs cum Diſcipulis, & verè præſens, tamen ait: *cùm eſſem vobiſcum.* Si ergo Chriſtus aliter conditionatus poſt Reſurrectionem, reſpectu prioris conuerſationis & exiſtentiæ viſibilis, dicatur tunc nõ eſſe præſens, aut non eſſe is qui fuerat; quantò magis propter longè maiorem conditionum & qualitatum omnium differẽtiam, verum Corpus exiſtens in Euchariſtia, dici queat non idem quod fuerat viſibiliter? Ex hac regula vſurpatur à quibuſdam Catholicis triplicis corporis diſtinctio, veri, myſtici, & Sacramentalis. quam tamen propter offenſionem & latẽs impium dogma vitandam, admonuiſſe Paſchaſium commemorauimus: quemadmodum hæc ipſa quæ à Patribus olim ſanè dicebantur & ſine offenſione, nunc, cùm his verbis alitur monſtrum, dici non debent. Rurſus ex hoc vario modo exiſtendi exponendæ ſunt illæ voces, *Sacramentum, ſignum, figura, imago, ſymbolum, ἀντίτυπα, memoriale, repræſentatio, ſimilitudo,* & huiuſmodi Euchariſtiæ attributæ. Dicitur enim Sacramentum non ſolùm ratione accidẽtium externorũ, quibus tamẽ propriè illa appellatio competit reſpectu Corporis ſub ipſis latẽtis, ſed etiã ipſum corpus, vt aliàs probauimus, modo myſtico exiſtens, eſt ac dicitur duplici nomine Sacramentum: vel reſpectu gratiæ Sacramentalis quam ſignificat & efficit, quæ eſt res Sacramenti: vel reſpectu ſui ipſius vt in viſibili forma vel in cœlo vel in terra exiſtentis. Omnes enim circa Corpus Chriſti actiones inter conſecrandum, adminiſtrandum, diuidendum, offerendum, latenter hîc & myſticè peractæ, repræſentant fractum & oblatum atq; mortuũ in Cruce Dominũ viſibiliter. In quem ſenſum videbitis apud Lanfrancũ contra Berengarium, Augu-

Sup. cap. 2.
Sup. cap. 5.

ſtinum & Gregorium aſſerentes *Carnem carnis*, & *Sanguinem ſanguinis eſſe Sacramentum*, hoc eſt, ſacrum ſignum. In quo genere auſus eſt propemodum Auguſtinus ipſum Chriſtum appellare *Sacramentum Filij Dei*, lib. 83. quæſt. q. 42. propter modum latentē exiſtentiæ Diuinitatis in humanitate. Sicut Ambroſius etiam lib. de fide, cap. 4. ait: filium paſſum *per Sacramentum Corporis*. qua etiam ratione trāſfiguratus Dominus in monte, erat etiam figura & repræſentatio ſui ipſius vt in gloria Patris exiſtentis. Ergo non offendet illud Auguſtini contra Adimant. ca. 12. *Non dubitauit Dominus dicere, hoc eſt Corpus meum, cùm ſignum daret Corporis ſui.* Eſt enim idem ac ſi dixiſſet, non dubitauit eam appellationem, quæ ex vulgari vſu propria eſt corporis vt in naturali cōditione ſubſiſtentis, attribuere eidem corpori exiſtenti ſupernaturaliter & inuiſibiliter vt in ſigno, Myſterio, aut Sacramento. Et ſignanter dicit, *non dubitaſſe ita appellare*, vt indicaret, Corpori exiſtenti Sacramentaliter verè competere eam nomenclaturam. Item neque illud eiuſdem mouebit in Pſal. 3. *Iudam adhibuit Dominus ad Conuiuium, in quo Corporis & Sanguinis ſui figuram Diſcipulis commendauit & tradidit.* Neque illud Ambroſij lib. 1. Off. ca. 48. vbi dicit, *hic omnia eſſe ac fieri in imagine.* Denique nec Græcorum ſymbola, antitypa, ac Myſteria: quibus nominibus paſſim in libris & Liturgijs appellant ipſum Corpus Chriſti ac Sanguinem. Nam licèt Nicena ſynodus ſecunda & Damaſcenus lib. 4. cap. 14. præclarè doceant, his nominibus apud Græcos appellata eſſe panem & Vinum ante Conſecrationem: quomodo certè Ambroſius lib. 4. De Sac. ca. 5. dixit, *panem & vinum* ante conſecrationem, illaſque actiones circa eadem ad oblationem præuias, *figuras Corporis & Sanguinis Dominici:* tamen indubiè apud vetuſtos Græcos eædem appellationes adhibitæ poſt cōſecrationem (vt apertè apud Nazianzenum oratione ad funus ſororis Gorgoniæ conſtat) iuxta interpretationem iam antè propoſitam, rectiſſimè, & ad occultationem ſanctiſſimarum rerum (cuius & propter Ethnicos, & ad vitandum ex vulgari ac aperta nomi-

nominatione contemptum, magna fuit cura) commodissimè vsurpatæ sunt. In hac ergo tota re hæc cōsequentia semper neganda est Hæreticis: Est signum, Sacramentum, figura, exemplar, &c. ergo non est Corpus. Cùm ista rarissimè opponantur veritati substantiæ, quod etiam ex ipsis Scripturis constabit. Non enim repugnat essentiæ Dei, quòd Filius appelletur in Ep. Hebr. ca. 1. *Character & figura substantiæ Patris*, aut quòd dicatur *imago Dei*, Coloss. 1. Sic non refellit veritatem Humanitatis, quòd Philip. 2. dicatur *specie ac habitu inuentus vt homo*. Sic ibidem, *in forma Dei*, &, *in forma serui*, aliaque plurima cum veritate vtriusque naturæ consistunt: licet Marcion & Apollinaris nobis ex his ipsis locis resisterent.

Locus Tertulliani.

Vnicus tamen est locus Tertulliani lib. 4. cōtra Marcionem qui non est necessariò interpretandus (licet posset quidem) iuxta traditam regulam de varijs modis existendi, cum ait: *Panem acceptum ac distributum Discipulis, Corpus suum illum fecit, dicendo, Hoc est Corpus meum, id est figura corporis mei.* Vbi ex proposito auctoris & circūiacentibus omnibus illam exegeticam appendicem non referri ad *Corpus meum*, certissimè cōstat: sed esse expositoriam vel indicatiuam illius pronominis, *Hoc*; vt is sit sensus: illud fecit Christus Corpus suum in noua Lege, quod erat figura Corporis in veteri. Nam id conatur asserere cōtra Hæreticum, inter nouum & vetus Testamentum summam esse consensionem, & veritatis iam impletæ figuras in veteri extitisse, Christumque verum habuisse Corpus tam in Sacramento, quàm in Cruce, & vtrobiq; verum Sanguinem: cùm vtriusque existentiæ panis ac vinum olim figuræ fuerint, quæ nisi veritatis figuræ esse non poterant: Et propterea illum non fecisse aut appellasse peponem Corpus suum, sed eam rem quæ antè figura erat sui corporis. Atque ita doctiores ferè nunc exponunt Tertullianum. Et quoad Patrum testimonia hæc ferè sufficiant.

3m. Genus Obiectionū à ratiōe.

Tertium genus argumenti sensu ac naturali ratione contra Christi præsentiam contendens, in hac materia quæ sola fide perci-

percipitur, ſola omnipotentia efficitur, ſolo miraculo exiſtit, minimè omnium valet, ac apertam impietatem continet, contra Dei potentiam, verbum, & voluntatem nitens. Quod commodiùs diſſoluemus tum cum paulò poſt de modo quo Chriſtus in Sacramento exiſtit, dicendum erit.

Infrà, cap. 38.

Hæreſes contra verborum operationem, ſeu contra Tranſſubſtantiationem.

CAP. XXXIII.

Vide ſuprà, ca. 14.

Qvamobrem tranſeundum nunc eſt ad quintum articulum primarium. Is eſt de vi operatoria, virtute, ac efficacia verborum. Qui locus propriè contra Lutheranos valet, & habet tractationem coniunctam alterius celebris controuerſiæ de *Tranſſubſtantiatione*, id eſt, de modo, motu, & via, qua fit aut exiſtit Corpus Chriſti in Euchariſtia. Quomodo enim qui ritè & artificioſè pro vera præſentia pugnat contra Caluinianos, debet vindicare formam Sacramenti à tropis & figuris, & literalem ſenſum conſtituere: ita qui ſolidè cupit conuellere panis præſentiam, ac conuerſionem elementi tueri, eo conferat diſputationem, vt doceat, non modo ſermonem Sacramenti eſſe proprium ac literaliter intelligendum (quod ipſi non diffitentur Lutherani) ſed operatiuum eſſe in elementa ſuper quæ dicitur; & per conſequens inducere aliquam alterationem aut mutationem eorundem.

Hæreſes cōtra tranſſubſtantiationem.

In his autem qui veram præſentiam confeſſi ſunt, Vvaleranus quidam, qui ſcripſit librum de officijs Diuinis, primus omnium negauit conuerſionem ac mutationem elementorum. Quem auctorem ſolebat Vvicleffus ſubdolè citare nonnunquam ſub nomine Ambroſij, aliàs nomine Fulgentij, vt mentita antiquitate & nomine, magis valeret ad deceptionem: vt ſcribit Vvaldenſis cap. 93. Tom. 2. Erat autem æqualis Anſelmi, & primus auctor Impanationis, hoc eſt, talis exiſtentiæ Corporis Chriſti cum pane, qualis à multis

Impanatio Vvalerani.

multis habebatur coniunctio carnis cum Verbo in Filio Dei incarnato, cùm dicerent, eum non *naturam hominis* in vnitatem hypostasis, sed *hominem* assumpsisse: vt ita duo essent supposita in vna Persona, mirè implicata & se inter se immeantia. Is ergo sic impanari Christum voluit in Eucharistia, vt aliquo modo confundantur, ac se penetrent supposita panis & corporis, sicut metallum ac ignis in ferro candente: non autem vt eadem sit vtriusque hypostasis, nec vt de se mutuò dicantur. Et hunc errorem tenuisse multos sua ætate narrat Algerus lib. de Corpo. & Sang. Domini. Nec Berengarius ipse ab eo abhorruit (si Guitmundo credimus) cùm esset depulsus Conciliorum auctoritate à priori sibique propria sententia. Deinde post hunc non longè ante Vvicleffum, extitit alter Impanationis defensor, Ioannes quidam Parisiensis. Hic exactam vnionem hypostaticam corporis & panis ausus est constituere, Incarnationi Dominicæ planè consimilem; varijs modis illum alterum proscindens, quòd falsam impanationis viam inuexisset. Sic ergo sentit iste: Filium Dei assumere panem mediante corpore, panemque ac Corpus Christi vnum corpus fieri, licet duas habeant corporeitates, quasi duas naturas concurrentes ad vnum suppositum. vt ita desinat esse hypostasis panis in se, & trahatur ad idem suppositum, quod antè erat Dei & hominis, hoc est, duarum naturarum, nunc autem trium, scilicet Dei, hominis, & panis. Et hæc via iam tum placuit multis, & videbatur expedita ad ingentes difficultates tollendas, vtpote quæ congruebat maximè sensibus testificantibus de substantia panis & vini: dabat suum subiectum accidentibus: modoq; loquendi in verbo Sacramentali, qui panem demõstrat, consentanea: & ad idiomatum inter panem & Corpus cõstituendam communicationem esset facillima: adeò vt aliqui dicerent, nihil hîc deesse præter Ecclesiæ consensum: conquererentur etiã alij, quòd Ecclesia non sit secuta faciliorem & longè probabiliorem viam: nonnulliq; eandem falsò tribuerent opinionem

Impanatio Ioannis Parisiensis.

Ioanni Scoto ſcholaſtico, quidam Ruperto Abbati, & hic ipſe impanator Ioannes falſiſſimè Guidoni Carmelitæ. Hæ autem duæ hæreſes licet aliquantulùm ratione & defenſione differãt, tamen vtraque Impanationem aſſerit. Tertiam ſectam excitauit penè noſtra memoria impudens ac impius Apoſtata Lutherus, ab vtraque diuerſam, ſed priori quàm poſteriori magis affinem. Hic enim ſophiſta cùm Impanationem verbis prorſus recuſaret, tamen Corpus in pane, vel ad panem, vel ſub pane, vel cum pane, vel alio quodam ineffabili modo pani pręſens ac colligatum conſtituit, vt ſuppoſita vtriuſque diſtincta ac diſparata exiſterent, ita tamen vt de ſe inuicem (quod omnem & rationem & ſtultitiam ſuperat) verè prædicentur, hunc ad modum: *panis eſt Corpus Chriſti.* quod nec Vvaleranus daret, licèt coniunctiſſimam vnionem diſtinctorum ſuppoſitorum finxiſſet, magis quàm in candenti ferro admitteret hanc enunciationem, *ferrum eſt ignis.* Nec ipſe exactus Impanator Ioannes concederet, cùm apud ipſum panis ac corpus pro naturis potiùs, quàm pro ſuppoſitis accipi debeant, & naturæ quidem nec in incarnato Chriſto de ſe mutuò prædicentur. Hęc hęreſis igitur propria eſt Germanorum Proteſtantium, & iampridem legibus Imperij veluti ſocia ac æmula Religionis Catholicę, paſſim per nobiliſſimam totius penè orbis Prouinciam permiſſa, reliqua Sacramentaria ſecta vt magis profana ac ſeditioſa depulſa: licet ad eam iam ciuitates aliquot ab altera ſecta defecerint. In hoc autem Lutheraniſmo ita porrò perrexerũt non pauci, vt Corpus Chriſti iam conditionem ſequi Diuinitatis & vbique ad omnem creaturam intima præſentia adeſſe doceant. Hos Lutheranos Vbiquiſtas appellamus. Ita iam eò dementiæ prolapſam ſectam videmus, vt cùm capitaliter certet cum Zuinglianis de præſentia corporis, eam tamen non aliam ſtatuat, quàm quæ in belua aut lapide eſſe creditur. Et illud certè omnibus Lutheranis commune eſt (ſi ſibi ipſi cõſentiant) corpus non fieri præſens per verba Sacramentalia: cùm iſti poſteriores præſentiam ad reliquas creaturas non minùs

Companatio Lutheri.

Vbiquitæ.

conce-

concedant, ſuper quas tamen verbum conſecrationis nō profertur:& illi priores penè omnes,ſumendo, non conſecrando, exiſtere cum pane Corpus aſſeuerent.

Prædicta Hæreſes refelluntur, & probatur Tranſſubſtantiatio.

CAP. XXXIIII.

OMNES autem ſententiæ iſtæ ſeu impanantes, ſeu (vt nouo vocabulo vtar) companantes, vtcunque cætera diſſentiant,tamen in eo conſpirāt, panem & vinum immota permanere in Euchariſtia, ſuaque accidentia ſuſtentare, nec quicquam à verbis Sacramentalibus immutari. Refutantur verò partim cōmunibus,partim proprijs argumētis. Communia ducuntur inprimis (vt diximus) à vi ac efficacia verbi Euchariſtici:quod cùm nō ſit indicatiuum aut hiſtoricum tantùm,ſed operatiuum in illud ad quod profertur, neceſſe eſt vt aliquam illi immutationem inducat.Cùm autem vim operandi verbo conſecrandi tribuimus,non id ſolùm volumus, efficaciam ei ineſſe,quatenus forma Sacramēti eſt, & pro modo Sacramentorum reliquorum,quę omnia tam materiâ,quàm formâ practica ſunt,& efficiunt quod ſignificāt:ſed porrò verbum conſecrationis reſpectu elementi ſubiecti operari potēter per modum miraculi: quomodo illa quibus excitantur mortui,aut commutantur creaturę in alias ſubſtantias. Igitur ex priori efficacia quę Sacramentalis dicitur,ſic diſſerimus: Sacramenta efficere id quod ſignificant, proinde verbum Euchariſticum efficere Corpus,cùm illud(Lutheranorum omnium conſenſu) verè & propriè ſignificet. Porrò Sacramenta non operantur effectum quem ſignificant, niſi intercedente aliquo genere motus, mutationis, aut alterationis in re ſubiecta, aut expulſione alicuius rei oppoſitæ rei per Sacramentum inducendæ: ſicut verbum Baptiſmi,Inunctionis,aut Pœnitentię,dum operatur,ſimul & expellit aduerſas qualitates,& nouo modo alterat ac afficit rem ſubiectam. Horum enim ac ſimilium formæ

Communia argumenta.

Duplex operatio verbi.

1.

omnes, cùm in personas immediatè agant, & non in materias, habent pro effectu nouum tantùm accidens, non substantiam: ad quod alia mutatio quàm accidentaria non requiritur. Ergo verbum Eucharistiæ prolatum non super hominem, sed elementum, afficit ac mutat ipsum, non accidentaria affectione aut alteratione, quam Hæretici appellant Sacramentalem, sed substantiali correspondente rei significatæ & effectæ per verba, quæ est Corpus Christi, quod est terminus huius motus, quodque substantia est, & non accidens. Tam ergo certò sequitur in hoc Sacramento mutatio substantialis in materia ad inducendam aliam substantiam, quàm in cæteris mutatio accidentalis in persona ad nouam procreandam qualitatem: cùm vtrobique par ratio sit, ex Sacramentali verborum vi ducta. eoque magis hîc requiritur ad inducendum corpus mutatio panis, quò manifestius est, ad hoc mirabile opus nullam fieri mutationem in Corpore Christi. cùm enim verba non agant in corpus creando ipsum, nec ex absente aliqua materia procreando, nec generando, nec euocando è cœlo: sequitur vt solùm agendo in panem operentur præsentiam eius.

2\. Idem deinde demonstratur ex omnipotente illa & miraculosa vi, quam Patres tribuunt verbo Eucharistico, idque respectu actionis efficacis in panem. Vbicunque enim miraculum constituunt in præsentia corporis, id maximè faciunt propter supernaturalem & ineffabilem mutationem panis. vt Ambrosius lib. de myst. init. cap. 9. *Maior hîc est vis benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura mutatur.* Et paulò pòst: *Si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione Diuina, vbi verba Domini Saluatoris operantur? Sermo enim qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant?* Et vt planè perspicias, panem ac vinum esse subiecta velut terminum, duo præclarè dixit Irenæus lib. 5. circa initium: *Calicem mixtum & panem percipere verbum Dei.* deinde

Amb. *Iren.*

fieri

fieri Corpus & Sanguinem Domini. Non ait, quomodo Lutheranus, *panem esse Corpus*, sed *fieri Corpus*. Sic etiam Basilius in Liturgia inuocat Deum vt *mittat Sp. sanctum, & faciat hunc panem pretiosum Corpus suum.* Vbi non simpliciter precatur, vt *sit* Corpus præsens, sed vt *faciat* illum panem Corpus suum. Sic Cyprianus de Cœna Domini, duo item dixit: mutari panem verbi virtute, & fieri corpus. *Panis* (inquit) *iste non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentia verbi factus est caro.* Eodem modo Damasc. lib.4. orth. fid. ca.14. *panem fieri corpus, Vinum & aquam fieri Sanguinem, eadem verbi & spiritus virtute, quæ fuerunt antè coagulata in vtero Virginis, & quæ omnia cætera creationis aut mutationis miracula fiunt.* Ex his nunc ita disputamus: Verbum Sacramentale facit panem Corpus Christi, eoque sermone operante in ipsum tanquam in materiam subiectam, panis fit Corpus Christi: ergo subit mutationem, eamque substantialem. quia non dicitur fieri albus, aut niger, bonus, aut sanctus, sed alia substantia, nimirum Corpus Christi. Atque hæc apertè conuincunt Lutherum: cùm tamen tergiuersari posset exactus impanator, panem posse fieri corpus sine mutatione sui: quomodo Verbum factum est caro sine mutatione Verbi, cùm Deus assumpsit carnem in vnitatem suppositi. Sed cùm in multis ratio sit dissimilis, tum illud est perspicuum, si Patres Impanationem voluissent, dicturos fuisse potiùs, Corpus fieri panem, aut Christum fieri panem, quàm contra: cùm non trahat panis Corpus in hypostasin suam, sed trahatur potiùs in personam Christi. Vt de eo præterea nihil dicam, nihil alterationis Deo potuisse accidere ex Incarnatione, sed humanæ naturæ: cùm hic in operatione Sacramentali in pane possit esse mutatio quæcunque, in Corpore Christi nulla. Quòd si verò existeret Corpus vbi priùs non fuit, nulla mutatione aut nouitate interueniente in neutro termino, id quidem & omnem opinionem nostram, & ipsum Incarnationis Mysterium superaret.

Basil.

Cyp.

Damasc.

Sed contra omnes & Lutheranos & Impanatores ita porro proba-

Patres pro transsubstantiatione.

probamus quod volumus. Patres enim apertiùs adhuc, ad constituendum Corpus, in pane mutationem verbi virtute fieri docent. Nam (vt quàm breuissimè omnia complectar) Cyprianus paulò antè *omnipotentia verbi panem mutatum* dixit. Chrysostomus Hom. de prod. Iudæ: *Hoc verbum* (inquit) *res propositas transmutat*. Et in Liturgia: *transmutans dona hæc*. Ambrosius dixit lib. 4. de fide cap. 5. *panem & vinum per Mysterium orationis transfigurari*; hoc est, in aliam rerum figuram ac speciem mutari. Ca. 9. de ijs qui initiant. idem, *commutari panem*, ait. Augustinus li. de Corp. & Sang. Do. (vt Gratianus & alij citant) *transmutari* etiam *panem in Corpus* dixit. Euseb. Emissenus ser. 5. de Pascha, affirmat, *visibiles creaturas verbi secreta potestate in substantiam Corporis & Sanguinis conuerti*. Gregor. Nyssenus in Orat. Catechet. *panem verti in Carnem* dixit. Damasc. lib. 4. cap. 14. *transmutari & conuerti*. Theophylactus in 14. Marci, *transelementari* dixit. Isidorus lib. 1. de off. *Panem transire in carnem*. Anselmus in Epist. de corpore & sang. Do. *panem in corpus migrare*. Eius æqualis Fulbertus in Epist. ad Berengarium, *Panem transfundi in Corpus*. Algerus *trajci & transferri in corpus* dixit.

1. Cyp. Chrys. Amb. Aug. Emis. Nys. Damasc. Theop. Isid. Anselmus. Fulber. Alger.

Propter hanc ergo panis mutationem in Corpus, & non propter mutationem aut alterationem Corporis, in tremẽdo Officio dicitur, Corpus ac Sanguis *creari, sanctificari, viuificari, benedici*, id est, benedictione panis & vini, quę sunt res sensibiles, fieri seu creari viuificum Corpus & Sanguinem. Sic enim interpretor: *per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, &c.* vt de muneribus consecratis intelligantur. Quem sensum indubiè sequitur Cyprianus (hoc enim Officium est illo antiquius) ser. de Cœna, cùm ait: *Qui vsque hodie hoc sanctissimum ac veracissimum Corpus suum creat, sanctificat, benedicit, & diuidit nobis*.

Canon.

2.

Rursus si quicquam adhuc clarius velis, obseruabis ita tractari à Patribus hæc, vt nonnunquam oppositionem faciant, ac veluti naturarum disparatarum dissonantiam, eius quod erat ante consecrationem, & illius quod posteà existit. vt ita ad positionem corporis planè negetur panis. Sic August. ser. 28. de

verb.

verb.Domini super Lucam. *Simul ac*(inquit)*verba proferuntur, iam non panis, sed corpus Christi appellatur.* Ita Ambrosius lib.4. de Sacram. ca.4. *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum: Vbi accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi.* Idem in Psalm. 134. (vt habetur Dist.2.de Consec.cap.*Omnia*) *Licèt figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud quàm Corpus Christi & Sanguis post consecrationem credendum est.* His ergo planum est, panem substantialiter conuerti, & non Sacramentaliter, sicut cauillantur Hæretici: cùm mutatio hæc terminetur in nouam substantiam. Quod etiam & exempla Ambrosij, quibus hãc mutationem illustrat, conuincunt. Eius enim generis sunt ferè omnia, vt mutationem speciei & naturæ importent. Et Cyprianus quidem, ac Damascenus alijque plures hanc conuersionem illi similem aliquatenus esse volũt, qua panis quo quotidie vescimur, transit in carnem vescentis. Sed appositissimè Gregor.Nyssenus in oratione Catechetica magna, comparat panem Sacramenti illi pani quem Dominus ipse comedebat ad suî sustentationem, cum hîc versaretur: qui certè in ipsam Carnem Dominicam mutatus est.•

Amb. / *c* / *5.* / *Amb.* / *Cyp.* / *Damasc.* / *Nyss.*

Impanationem autem propriè refelles, si doceas ridiculum esse, personam Diuinã quotidie assumere in hypostasin suam infinitas abiectas particulares naturas, easdemque rursus deponere: vt tot fiant assumptiões, quot cõsecrationes: toties deponantur, quoties comedantur, vel alia ratione deficiant. præsertim cùm axioma theologicum sit, Christum nunquam prorsus deponere naturam quam semel assumpsit. Deinde nec Incarnationi similis esse potest Impanatio quam fingunt: quia illic omnipotens Deus Creator assumit creaturam, hîc creatura assumeret aliam creaturam, Corpus panem. Illic res subsistens assumpsit naturam sua propria hypostasi carentem: hîc corpus quod est pars tantùm, & hypostasin propriam non habet, assumeret panem sua hypostasi præexistentem. Illic nulla persona destruitur: hîc suppositum panis tolleretur aut transiret in aliud suppositum, naturâ tantùm manente. Deniq; quia

Propria argumenta contra Impanatores. *Vide infrà, cap.37.*

volunt,quòd *Hoc*, ſeu, *Hic panis eſt Corpus meum*, ſic dicatur, ſicut *Verbum Caro factum eſt*; maior cauſa erat, cur dicerent, Panem incorporari, ſicut verbum eſt incarnatum, quàm Corpus impanari. Sic igitur exploſa ſit Impanatio.

Contra cõpanationẽ. Companationem verò ſeu Vvalerani,ſeu Lutheri refutabimus ꝓpriè, ſi doceamus,nõ poſſe in Euchariſtia duplicem exiſtere ſubſtantiam: primùm quia Eccleſia eſſet in ſummo periculo idololatriæ,dum adorat Euchariſtiam, ſi alia eſſet ibi ſubſtantia,ad quam cultus dirigi non debeat. Neque enim fidelis populus in Sacramento quicquam nõ adorandum mente aut intẽtione diſtinguit. Secundò, ſi quis dicat,propterea Corpus Chriſti in Sacramento non eſſe colendum, ne coniuncta creatura vnà adoretur: illud certè perabſurdum eſſet, Chriſtũ ſic componere cum vllo aut loco aut creatura, vt vbi verè hypoſtaticè, ac corporaliter adſit, adorari non queat. Cùm ergo hæc,quam fingunt Hæretici,coniunctio Religionis officia impediat,admittenda non eſt. Tertiò,talis præſentia Corporis eſt cõſtituenda,quæ verè exhibeat illud comedendum, & quæ faciat Carnem verè cibum,& Sanguinem potum. Ad hunc enim vſum præſens exiſtit. Sed eſſe cum pane,vel ad panem,nõ eſt ſatis vt reddatur comeſtibilis caro: nõ magis quàm ad manducationem columbæ, in qua repræſentabatur Sp. ſanctus, ipſe Spiritus eſſet manducabilis: cùm huiuſmodi coniunctiones rei ad rem, actiones aut attributa rebus illis inuicem non communicent. Ergo reuera ſi panis exiſteret ac vinum in Euchariſtia, illa propriè & ſola eſſent comeſtioni ſubiecta, eſſentque cibus Euchariſticus. quo conceſſo, rueret ſummum Religionis fundamẽtum,Dominicis verbis ſtabilitum,nimirum cibum Euchariſticũ eſſe Carnem ſuam. Conſequens igitur eſt, vt qui velint cõfiteri carnem eſſe cibum,negent panẽ eſſe præſentẽ;& concedant Corpus ſubire accidẽtia eius,& ita pro pane comeſtibile reddi. Et corroboratur hoc argumentum planè verbis Chriſti Io.6.indicãtibus, nõ aliũ eſſe cibũ Euchariſticũ quàm carnem ſuam,cum ait: *Panis quem ego dabo,caro mea eſt.*

Quartò,

Quartò, ostenditur ex verbis Sacramentalibus, *Hic est Sanguis, Hoc est Corpus meum.* Vbi articuli *hic*, & *hoc* vtrobiuis demonstrant vnam tantùm substantiã adesse, & quæ ea sit præcisè determinans, hinc Corpus, illinc Sanguis. Si enim duæ adessent substantiæ, pfectò enunciationes prorsus falsę essent, cùm definitè demonstrẽt illud esse vnũ suppositũ, quod tamẽ est multiplex. Si autẽ obijcias, esse ibi duas substãtias, sed selegisse Dominũ vnã præcipuã quam demonstraret, altera non nominata, non satisfacis. Porrò enim vrgeo, posse quidem è duabus substantijs vnam nominari, & alteram taceri (rariùs tamen sine fraude) sed non posse omnino vnum signo demonstratiuo definiri, si sint plura. quia articuli hi nõ indicant rem absolutè, sed in ordine ad sensus nostros & ad signum sensibile. Cùm igitur hìc nõ sit nisi vnum signum sensibile, sub quo ordinariè solebat esse panis; profectò non potest esse nisi vnius rei demõstratio, & vna res contenta. quæ cùm demonstretur esse Corpus, certè panis esse nequit. Ita igitur proposito vno sensibili & demonstrato quòd sit corpus, aliud quàm Corpus esse non potest. Quare hìc Caietanus & aliquot vetustiores Scholastici non sunt audiendi, qui cõfitentur quidem præsentiam realem apertis Scripturis haberi, sed panem desinere esse, cõuerti, aut non adesse vnà cum Corpore, nõ tam ex Euangelio, quàm Ecclesię auctoritate constare. Multò enim melius D. Thomas (vt omnia) dixit, nec propriè, nec verè dici posse à Domino, *hoc est Corpus meum*, si ibi esset sub eodem signo sensibili aliqua alia substantia quàm Corpus Christi. Quintò, robur addit priori argumento illud studiosè & à Domino, & ab Euangelistis, & ab omnibus ferè interpretibus seruatũ, vt in verbis cõsecrationis articulus demõstratiuus nõ solùm numero vnã hypostasin indicaret, sed vt genere etiã semper quadret cũ Corpore & Sãguine demõstratis: cũ pane verò & cũ vino nunquã. Et ꝓinde nõ esse dictũ, *hic est Corp⁹ meũ*, aut, *hoc est Sãguis meus*, quomodo certè fuisset loquendũ, si aut illic panis, aut hìc vinũ demõstraretur. Sed vtrobiuis applicato articulo ad prędicatũ *Corp⁹* &

Hoc, demõstrat Corpus.

 Sanguis,

Sanguis, hic in genere masculino, *hic est Sanguis meus*, illic in neutro, *hoc est Corpus meum*, dictum esse constat. Quo prætereà argumento illud peculiare Lutheranorũ paradoxum luculenter conuincitur, *articulos hos referri ad panem & vinum*, vt faciãt cum Corpore & Sanguine prædicationẽ mutuã ad hunc sensum: *hoc*, id est, hic panis *est Corpus meum*. *hic*, id est, hoc vinum *est Sanguis meus*. Et prioris quidem, quod ad Grammaticen attinet, potuit esse aliqua ratio, cùm illud neutrum *hoc* substantiuè interdum sumatur, generis in demonstrato ratione non habita. At in forma Calicis illud *hic* adiectiuum est, & referri non potuit nisi ad eam rem quacum genere conuenit. At hic error grammaticus esset, & vitari potuisset, si Interpres noster neutraliter vertisset cum Cypriano. qui vnus (quod dissimulare nolo) Epist.3.lib.2.neutro-substantiuum facit, & sic vertit, *hoc est Sanguis meus*. Illud verò, quòd duæ res natura & hypostasi distinctæ ac disparatæ de se inuicem propriè affirmentur, tam est in Philosophia & Theologia absurdum, vt sub omnipotentiam Dei non cadat. Nam præsupponit, duas res manentes diuersas, vt diuersæ sunt, esse easdem. Huius absurditatis infamia posteriores Lutherani permoti, licèt verba Magistri sui mordicus sectentur, fatentur tamen, prædicationem esse impropriam, & Metonymia excusant, vt *hic panis est Corpus meum*, id significet, *hoc pane continetur Corpus*: vel, *huic pani adiunctum est Corpus meum*. quomodo (inquiunt) diceres, columbam esse Spiritum sanctum, Arcam testamẽti esse Dominum exercituum, id est, per illas, & ad illas repræsentari. Huc ergo duxit istos argumenti vis, vt tandem ad Sacramẽtariorum figuras declinasse videantur hi, qui iam pridem hîc nihil non esse verè & propriè dictum clamitarunt. Neque hoc tacebat Caluinus in Admonitionibus posterioribus ad Vvestphalum. Si verò quenquam illud adhuc moueat, quomodo Pronomina in Sacramẽtalibus verbis possint demõstrare Corpus aut Sanguinem, quę adhuc non sunt cùm ea efferuntur: aut quomodo non planè indicent panem & vinum quæ reuera tum existunt: legat D.

In libris correctioribus non hoc, sed hic.

Guit-

Guitmundum & Algerum contra Berengarium, & Thomam p.3.q.78.art.2. Apud quos hæc res variè, eleganter, & ſubtiliter tractatur. Communiſſimum & optimum eſt, Pronomina hæc vagè & indefinitè ſumi in principio, nec per ſe hoc aut illud exactè demonſtrare donec compleatur oratio: & tunc interuentu prædicati determinari ad Corpus & Sanguinem demonſtrandum. quod manifeſtiſſimum eſt ſi adiectiuè ſumantur. ſic enim non niſi à ſubſtantiuis ſuis dependent. Si autem neutro-ſubſtantiuè accipiantur, ne tum quidem panem & vinum, ſed in communi, ens iſtud, vel hoc quod ſub his accidentibus continetur, denotant, determinandum pro tempore quo finietur propoſitio. Deinde iſta propoſitio ſingulariter admirabilis non eſt tam exquiſitè ad Sophiſtarum regulas exigenda: cùm hæc oratio, dum effertur, mutet naturam ſuper quam dicitur; ordinataq; ſit, vt eam ſubſtantiam quam indicat, ſimul etiam ſignificando faciat. Aliàs enim pane accepto verè non diceretur, *Hoc eſt Corpus meum*, niſi inter dicendum fieret Corpus.

Hoc pro quo ſupponat.

His ergo maximè modis, ex ipſa verborum ſimplici intelligentia, venit Eccleſia Dei primùm in eam confeſſionem, vt Corpus Chriſti verè eſſe fateretur: ſecũdò, aliam nullam ſubſtantiam illic ſub ſigno ſenſibili exiſtere, & proinde nec panem eſſe. Tertiò, quòd deſinat eſſe panis, non ſimpliciter, ſed vt pro eo & ſub eius accidentibus exiſtat Corpus, atque vt per eadem ſic reddatur comeſtibilis cibus, ſicut priùs fuit panis. deſinere autem eſſe in ordine ad Corpus, vel cedere Corpori in ratione exiſtendi, eſt propriè conuerti in ipſum: Et per conſequens, vt vera ſit panis in carnem trãſmutatio. Et ita per omnia de hoc Sacramẽto ſenſiſſe veterem Eccleſiam, cùm ex his quæ attulimus conſtat, tum maximè ex pulcherrima catecheſi D. Cyrilli quæ eſt myſtagogica 4. Vbi articulatim hæc quatuor proponit. Primùm, realem præſentiam his verbis: *Chriſtus ipſe affirmat hoc eſſe Corpus, & quis audet dicere non eſſe?* Secundò, nõ manere panem, ita expreſſit: *Certiſſimo* (inquit) *habeas, panem*

Cyr. Hie.

hunc qui videtur, non esse panem, sed esse Corpus Christi, licet gustui panis videatur. Tertiò, Corpus succedere pani in suis speciebus, ita explicat: *Nam sub specie panis datur tibi Corpus, & sub specie vini datur Sanguis.* Quartò, hoc fieri per conuersionem vnius in alterum ita testatur: *Sicut enim aquam aliquando mutauit in vinum, sic iterum nunc vinum in Sanguinem mutauit.* Ita ille. Huc vsque ergo peruenerunt Maiores nostri, cùm tamen de modo conuersionis mutationisque genere non admodum laborarent. Sed postquam libuit quibusdam esse contentiosis, tum exactiùs & crassiùs dici & explicari cœptum est. Nam Paschasius & Rabanus propter Ioannem Scotum, discipulum Bedæ, primum hostem Sacramenti, dixerunt: *Corpus de substantia panis creari, fieri, consecrari.* Postea Gregorius septimus, & sub ipso coacta Concilia præscripserunt eam formulam fidei Berengario, vt confiteretur substantialem conuersionem panis in Corpus. Tum Hugo Victorinus paulò pòst, *substantiã panis in substantiam Corporis ire* dixit. Magister deinde sententiarum, substantiam vnius in substantiam alterius verti, eamque fuisse Theologorum eius temporis communem sententiam insinuat: licèt in eius declaratione timidior extiterit, & aliquãtùm errarit ipse. Tandem verò maximum Concilium Lateranum sub Innocentio 3°. coactum, vt omnem summæ rei rationem, quantum fas est Ecclesiæ scire, exprimeret, simulque seditiosis Hæreticis os obturaret, nouo, sed valdè significante verbo dixit, *transsubstantiari* panem & vinum in Corpus & Sanguinem Domini. Quod postea vocabulum tota Ecclesia ratum & sanctum habet, & æternum habitura est. Vide tit. de summa Trinit. & fid. Catholica cap. *Firmiter:* & Conc. Florentinum in decreto Vnionis, & Tridentinũ sess. 13. ca. 4. Vbi Concilium illud postremò suprà quàm aliàs definitum est, ad contentionem scholasticã reprimendã, quę petulantior in hoc genere sæpè extitit, addidit hanc prioris vocabuli notationẽ, esse scilicet Transsubstantiationem, *conuersionem totius substantiæ panis & vini in totam substantiam Corporis & Sanguinis Dominici.*

In explicãdo modo cõuersionis progressus Ecclesiæ.

Trãssubstãtiatio.

Transsubstantiatio quid.

Transsubstantiationis & aliorum motuum comparatio: quoq; circa eam modo loquendum: cum eorum, quæ Patres quidam duriùs locuti sunt, expositione.

CAP. XXXV.

SED vt de hac summa re qua decet fide & diligētia tractemus, pressiùs cōsiderandum est, Transsubstantiationē esse illam viam & rationem, quam sapientia Dei inuenit ad faciendum Christum cibum & sacrificium corporale atque visibile: sicut Incarnatio est illa via qua Deus factus est homo. Vt nunc quærenti, quomodo possit nobis dare carnē ad manducandum, respondendum sit, per trāssubstantiationem panis in ipsam. Et certè (vt illud obiter notem) Thomas diuina sapiētia vir, videtur in ea esse sentētia tam in 4. lib. cōtra Gentiles cap. 63. quàm in 3. p. Summę, q. 75. ar. 2. & aliàs sæpe, nō fuisse aliam viam possibilē, qua hoc admirabile opus fiat in Eucharistia, nisi per conuersionē panis: cùm non oporteat concedere (auctore Damasc. lib. 4. c. 14.) illud effici per aliquā mutationē ipsius substantię, aut loci, in ipso Christo. Quam sententiā licèt Soto & Thomistę penè omnes deserāt, putantes hoc à Deo cōfici potuisse, vel eo modo quo Lutherani volunt, vel alio quopiā (quę cōmunior nūc sentētia est) tamē ea mihi fuit semper valde probabilis. quanquā vt de ea re disputemus, postquā hanc saltē cōmodissimā rationē fuisse cōstat, necessariū nō esse iudicem. Id igitur vtcūq; sit, hęc certè cōuersio cùm sit quędā quasi motus species (verus enim motus esse nō potest) nihil tamē habet cōsimile nec in creatione, vbi non enti simpliciter succedit ens: nec in naturalibus motibus, siue illi ad substantiā, siue ad quātitatem, siue ad qualitatē, siue ad locū tendāt & terminētur. Imò (quod nouerimus) nec exemplū habet in illis substantialibus transmutationibus, quę miraculo diuino factę in Scriptura leguntur. Neq; enim necessariū est, vt aquę Ægyptiacæ in sanguinem, aut virga in serpentem, aut in Cana aqua verteretur in vinum per transsubstantiationem (licet id fieri posse non dubitemus, nec factum temerè negemus) cùm longè verisimilius

Transsubstantiationis & aliorum motuū comparatio.

ſimilius ſit, materiâ ſubiecta communi manēte, harum rerum ſubſtantiales formas, alias in alias eſſe conuerſas. Hoc autem omnes naturales trāſmutationes ab hac noſtra differunt, quòd illæ nunquam priorem ſubſtantiam totam tollere, nec alteram omnino integram procreare queāt: cùm materiam ſubiectam vnam eandemque manere in tota naturæ operatione, & ſub vtroque termino, ſolis formis tranſmutatis, ſit perſpicuum. Neque enim poteſt natura quicquā operari niſi præſuppoſita materia: vt rectè appelles (ſi placeat) omnes naturæ ſubſtantiales mutationes *Transformationes*. Quæ formarum variatio licet totas ſubſtantias nouas aliasque numero faciat, cùm ex formis res eſſe ſuum aſſequantur: tamen ſecundùm omnes partes, eas non tranſmutat. Secus autem fit in Conuerſione Sacramentali: vbi totus panis ſecundùm materiam & formam, hoc eſt, ipſum indiuiduum, immediatè, nulla re ſubiecta ſuſtentante motum aut præbente ſuſtentaculum commune ſeu indifferēs, tranſit in aliud prorſus indiuiduum, nulla parte ſubſtantiæ ſuæ eadem permanente. propter quam ſolam cauſam hæc ſola cōuerſio Tranſſubſtantiatio dicitur. Vt de illo etiam nihil dicamus, in cæteris ſubſtantialibus motibus terminum ad quem ſemper de nouo produci, cùm non antè extiterit: ſed in Tranſſubſtantiatione Corpus Chriſti, ad quod ille motus terminatur, non iam fieri aut primùm exiſtere per illam cōuerſionem, cùm idem corpus per omnia priùs fuerit; ſed tantùm ſiſti præſens, vbi priùs non fuit. Neque id tamen ſicut in motu auctionis & nutritionis fit, vbi ſubſtantia alimenti percepti vertitur quidem in ſubſtantiam coexiſtentem, ita tamē vt illam augeat & conſeruet: quod in Euchariſtica tranſmutatione cogitare non debemus. Non enim corpus Chriſti quicquam augetur ex tam ingenti materie quotidie in ipſum commutata. Quin & hic ipſe nutritionis motus, ſicut reliqui omnes, ſubiectum vtrique termino commune requirit. Alioqui certè Tranſſubſtātiatio eſſet illi ſimillima: & Patres (vt diximus) ab illo alimento quod Chriſtus in ſuam ſubſtantiam hîc viuens digerebat,

Cap.34.

non-

nonnunquam exemplum capiunt. Sed omnium tamen viciniſſimum eſt illud, quod Dominus etiam poſt Reſurrectionem verè veſcens cum Diſcipulis Luc. 24. conuertit alimentum in ſuum Corpus, non de nouo faciens, neque augens, aut reſtaurans defectum eius, per panem aut piſcem ſuſceptum: ſed (vt ait Beda in eundem locum) *poteſtate conuertens in ipſum Corpus, & non neceſſitate.*

Duo errores. In hac ergo tota Tranſſubſtantiationis cum cæteris mutationibus comparatione, duo cauenda ſunt: primùm, ne propter magnam à cæteris diſſimilitudinem conuerſionem propriè à Sacramento tollas: quemadmodum faciunt ij qui panem annihilant, hoc eſt, in nihil euaneſcere dicunt. quod genus defectionis nec natura nouit, nec Deus ipſe vnquam exercuit, nec plus faceret ad conſtituendum Corpus Chriſti, quàm quiduis aliud à re propoſita alieniſſimum, niſi fortè remoueret impediens, quod ad corporis exiſtentiam parum adfert. Nec has dicendi formulas faceret veras, *panem fieri Corpus*, vel, *ex pane fieri & conſecrari Corpus*, aut, *panem mutari ac tranſſubſtantiari in Corpus.* Nec ipſa verba Sacramentalia genuinum ſenſum habere permitteret.

Annihilatio panis.

Alter deinde error eſt, eorum qui propter huius conuerſionis ſimilitudinem cum cæteris ſubſtantialibus motibus, & ad luculentius vitandam Annihilationem, aſſerunt in tranſſubſtātiato pane materiam eandem manere, & ſubire formam ſubſtantialem corporis Chriſti, hoc eſt, informari anima Chriſti. Quæ ſententia vetuſtiorum quorundam Scholaſticorum prorſus deſerenda eſt, non ſolum quia exploſa in Conc. Tridentino, vt aduerſa Tranſſubſtantiationi, ſed etiam quia ſequeretur ex illa manente materia imperſonatio (vt Algeri verbo vtar) alicuius externæ rei cum Chriſto, ſcilicet, materiæ panis; eâdem abſurditate qua Impanatio. Deinde, accidentia panis haberent pro ſubiecto ſuo eandem materiam ipſamq; perſonam Chriſti: quod eſt contra Concilium Conſtantienſe, determinans ſeſſ. 8. contra Vvicleffum, accidentia non habere ſubiectum. Hæc ergo omnia, ſicut & illud curioſorum ho-

Transformatio panis.

Durandus.

Iii minum

minum figmentum, panem verti in præiacentem materiam, aut circunfusum aërem, aut aliud quoduis propinquum corpus, à fide & veritate conuersionis Sacramentalis reijcienda sunt. Neque enim si demus totam substantiam panis desinere ac corrumpi, nec eius vllam partem in natura rerum existere, nec quicquam manere quod sit vtrique termino commune, propterea Annihilationem admittimus. quæ non est, nisi propriè tendat res in nihil tanquam in terminum defectionis suæ. quod hic non fit, quandoquidem panis essentia nō tollitur nisi in ordine ad Corpus: & quia vna & eadem operatione qua illud desinit, hoc præsens existit. adeò vt illi non solùm in loco, sed etiam in omnibus proprietatibus succedat Corpus. Proinde rectè D. Thomas. lib 4. cont. Gentes ca. 63. hoc genus conuersionis *substantialem successionem* vocat.

Hac ratione perspecta, prolixam & variam illam disputationem Theologorum de loquendo circa hanc conuersionē clarè expedies. Sunt enim quidam qui propter Ambrosianum loquendi morem, *de pane fieri Corpus Christi*, &, *panem fieri Corpus Christi*, & similia, concipiunt, illud ipsum, quod prius fuit substantia panis, nūc esse Corpus. Nam Ambrosius (vt citauimus) sic effert: *vt sint quæ erant, & in aliud conuertantur*. & rursus, *Quod erat panis ante consecrationem, iam est Corpus Christi*. quasi eadem res, quæ priùs erat panis, nunc maneat, sed facta Corpus. Quæ explicatio est valde difficilis: licet eam sequatur Magister, & aliqua ex parte VValdensis, & Guitmundus planè his verbis: *Quæ igitur erant, id est, panis & vinum, sunt: sed nō sunt quæ erant, sed in alia commutata*. Denique totius sententiæ hic videtur esse sensus: panem non vniuersale suum esse, quo dicitur ens, perdere simpliciter: licèt particularem suam substantiam mutet, vt iam sit Corpus, quod antè erat panis: aliud quidem in numero vel etiam specie rerum, sed non in genere (vt ita dicam) entitatis, quia in vniuersalitate entis aut substantiæ cōueniunt panis & corpus. Qui fortasse est sensus etiam illius notissimi loci Gelasij, in fragmēto contra Eutychen & Nestoriū. vbi di-

Locus Gelasii.

vbi dicit, panem & vinum transire in substantiam diuinam, & tamen eorum non desinere substantiam vel naturam. quod sic interpretor: licèt conuertatur particularis natura vel substantia panis in Corpus Christi, tamen eorũ generalis entitas eadẽ est, cùm vtrunque sit substantia, vtrunq; corpus, vtrunq; cibus & panis. Secundùm quã intelligentiã dixit quoque Theodoretus, dialog. 1. *In Eucharistia intelligi, credi, adorari, & dici Corpus: & tamen manere symbola in priori substantia, figura, & specie.* Sic ille. Quam generalem substantiam indifferentem ad panem & Corpus Ecclesia in collecta secundę Missæ Natiuitatis Domini videtur appellare *terrenam substantiam.* Hac etiam cõsideratione sæpe appellatur & dicitur Corpus panis, ꝓpter illud generale & communissimũ officium substantię, per quod eodem modo cibat ac alit hominẽ, quo panis. Sic dixit Aug. ser. ad infantes: *Hoc quod videtis in Altari, etiã transacta nocte vidistis. Quod ergo vidistis, panis est: quod autem fides instruenda postulat, panis est Corpus Christi:* Generaliter volens, illud cõmune vtriq; esse substantiã comestibilẽ aut potabilẽ, id est, panẽ, cibũ, vel potũ. Sic igitur obseruandũ, propositiones Sacramẽtales, *panis fit Corpus,* vel, *hoc quod erat panis, nunc est Corpus,* hîc verificari per illã communẽ naturã quæ indiffereẽs esse putatur ad vtrunq; terminũ. Sicut in motionibus naturalibus tales locutiones propriè admittũtur ꝓpter materiã communẽ permanentẽ, vt dicam*, illud fuit aër quod nũc est ignis, vel, ex aëre fit ignis. Hoc igitur nomine, & ne Annihilationẽ admittãt, Ambrosius, Augustin*, & reliqui, ita vidẽtur nõ absurdè locuti, quia panis, quẽ reuera secundùm totũ suũ particulare & propriũ esse desijsse cõfitentur, nõ sit tamẽ iam nihil, sed existat quodãmodo tanquã in effectu suo. Vti antiquus etiã scriptor Fulbertus dixit, *panem non esse factũ deteriorẽ ex conuersione, sed meliorem, cùm iam trãscendat naturam terrenam & totum genus suum* Vt illud non taceam, Patres sicut exempla communium mutationum, ita & formulas loquendi à communi vsu hominum de veris naturalibus motibus loquentium accepisse: vt cùm exempla nulla exacta

Locus Theodoreti.

 sint,

sint, tum neque vllæ conceptæ propositiones ad amussim quadrare queant. De duobus tamen Gelasio & Theodoreto, facilè mihi persuadeo, eos solos esse ex omni antiquitate, qui inclinauerunt in communem postea multorum errorem, vt ita defenderent veram conuersionem panis, vt materiam elementi, sicut in cęteris naturalibus transmutationibus fieri videbant, relictam esse concederent. vel quomodo & alij suo modo Transsubstantiationem non negantes, tamen (vt auctor est D. Thomas p. 3. q. 75. art. 6.) solam materialem partem, forma substantiali permanente, mutatam asseruerunt. tam ægrè capiunt humana ingenia istam transsubstantiationem exactam. Quanquam Rupertus in hoc genere fuit cæteris Catholicis omnibus incautior, errore philosophico se praeterea implicās. Nam in 6. cap. Ioan. volens explicare veritatem conuersionis Eucharisticæ per mutationem aquæ in vinum, confidenter asserit, nihil aliud ad harum rerum mutuas conuersiones requiri, quàm vt proprietates & accidentia mutentur. *Panis enim* (inquit) *& caro, aqua Rheni & vinum, rursus vinū & sanguis sunt omnia eiusdem substantia.* Ita ille. Quam rationem si sequeremur, profectò ista propositio *panis fit corpus*, & similes non aliter dicerentur quàm, *homo albus fit niger*. & tantùm significaretur accidentalis mutatio, quæ conuersionem substantialem planè tollit.

Aliter al Gelasium & Theodoretū.

Rupertus.

Nunc igitur vt res habent, propter exquisitam defensionem Transsubstantiationis, hæc quæ proximè notauimus, cauenda sunt: nec illa priora facilè admittenda, quæ sic concipiuntur: *hoc esse*, vel *illud esse nunc Corpus, quod antè fuit panis*: quasi aliquid, generalissimum saltem, nunc maneret in corpore, quod prius fuit in pane. Cùm reuera illud totum corporeum, terrenum, elementare, vel entitatis quod est nunc in Christi corpore, aliud sit prorsus quàm quod antè fuit in pane. qui ita totus esse desijt, vt nec quicquam substantiale sui habeat reliquum, vel in corpore Christi, vel in tota rerum natura: non magis, quàm si spiritus conuerteretur in corpus. de quo Augustinus fierine possit, disputat in fine lib. de immortalitate animæ. Reliquæ

verò

verò propoſitiones circa hanc mutationem,vt, *Panem fieri corpus*, vel *de & ex illo hoc fieri*,& ſimiles,rectè admittũtur propter ordinatam ſucceſſionem vnius ad alterum,tam in loco & accidentibus,quàm in exiſtentia & præſentia: licet nulla communis ſubſtantia vtrique indifferens maneat. Illud tamen eſt hîc obſeruandum in Tranſſubſtantiatione ſola, ſecus quàm in omnibus mutationibus naturalibus,retineri omnia accidentia priorum elementorum:nõ ſolùm ad cætera ſumma huius Myſterij officia (de quibus mox dicemus plura) ſed etiam vt vices huius communis materiæ, quam aliæ tranſmutationes requirunt,expleant. Sicut enim eadem manens materia & Annihilationem impedit;& ordinem rei ad rem conſtituit;& non niſi certam formam inducit;& propoſitiones veras,quibus *hoc fieri illud* dicitur,efficit;& (quod maximum eſt) etiã facit id,quod fit ex altero vel in quod commutatum eſt alterum,habere exiſtentiam ſuam non vbicunque locorum ſed pręſentem ad eandem materiam ac locum vbi priùs alter terminus conuerſionis extitit: ſic hæc eadem omnia per accidentia panis diuino modo pręſtantur in Tranſſubſtantiatione.Nam quia corpus & panis coaptantur coniunctiſſimè iiſdem viciſſim accidentibus omnibus,propterea dicimus & alterum alteri ſuccedere; & vnum alterum fieri; illudque quod vagè demonſtratur reſpectu accidentium,eſſe Corpus,& fieri Corpus,cùm antè panis fuerit;& neutrum annihilari:& denique non tantùm conuerti panem in Corpus (quod fieri poſſet, ſi conuerteretur in illud, vt in cœlo exiſtens) ſed etiam ita verti, vt ſuccedat Corpus pani ad omnia accidentia ſua,& per ea ad eundem locum in quo panis fuit:vt ſic huius totius conuerſionis terminus ſit noua,præſens,Sacramentalis exiſtentia corporis Chriſti. Quæ eius exiſtentia eſt illa admirabilis coaptatio ſeu coniunctio, quam habet ad accidentia panis. Denique hanc totam cõuerſionem fieri in inſtanti,vi verborum Sacramentalium,conuenienti intentione & miniſterio veri ſacerdotis, Deo omnipotẽte principali cauſa exiſtente, *qui* (vt Aug. ait lib.7.ſuper Gen. ca.20.)

Cap.37.

potest omne corpus in omne corpus mutare, tradere hoc loco non est necesse, cùm de Sacramentis in genere hæc à nobis explicata sint: & cùm Chrysostomus apertè ostendat Hom. 83. in Matth. rem tam stupendam non nisi Diuina virtute, hominis autem ministerio perfici. Igitur de vi verborum & tota formarum Sacramentalium quæstione hactenus.

De existentia huius Sacramenti post consecrationem.

CAP. XXXVI.

NVNC de existentia ex his effecta dicendum est. Cætera enim Sacramēta, quæ vsu & actione transeunt, nusquam per se stabili existentia constant. Quocirca de eorum essentia permanēti nulla est Theologorum tractatio At Eucharistia consecratione fit, & postea permanenter existit, siue totum, siue partes consideres. De existentia enim totius Sacramenti ex coniunctis speciebus & Corpore ac Sanguine, sic tradidit Irenæus lib. 4. cap. 4. *Nostra Eucharistia ex duabus rebus constans est, terrena & cœlesti.* Et Damasc. *Compositam* esse dixit, lib. 4. ca. 14. Hychius lib. 2. ca. 8. in Leuit. *pane & carne consistere* ait. Ita enim solebant accidentia panis relicta propter officium pascendi, communi nomine cibi, panis, vel terrestris alimenti appellari. Quæ ita exactiùs protulit Augustinus de cons. dist. 2. ca. *Hoc. Hoc* (inquit) *modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Carne & Sanguine.* Deinde si partes has seorsum consideres, habent quoque suam existentiam singulæ. Nam & Accidentia suo modo subsistunt, & Corpus ac Sanguis itidem suo: ita tamen vt ex eorum vnione supra quàm dici potest mirabili Sacramentum hoc verè vnum dicatur. Id autem quomodo fiat, facilè declarabimus, si tùm de speciebus quomodo se habeant in Sacramento, tùm de Corpore quomodo coniungatur vicissim speciebus, breuiter, quoad possumus, explicemus.

Totius existentia.

Partium existentia.

De

De Accidentium existentia, & vnione cum Corpore Christi.

CAP. XXXVII.

DE Accidentibus igitur elementorum, quin eadem maneant post sublata subiecta, pauci vnquam dubitarunt, & sensus indicāt, & minimè est necessarium vt probemus. Cur autem ea immota manere sublatis substātijs oportuit, hæ maximè rationes obseruari debent. Primùm, vt occultaretur à nobis carnis humanæ naturalis forma, propter horrorē quem caperemus ex eius perceptione. Sic dixit Theophylactus & alij in 6. cap. Ioan Secundò, quia caro Christi gloriosa ex splendore intolerabili offenderet intuentium oculos, aut nec capi quidem posset. Vide Aug. ad Orosium. Tertiò, vt esset fidei exercitium, dum in summo Mysterio alia species obijceretur sensibus, alia credenda proponeretur. Propter quā causam vult Innocentius. 3us. de celeb. Miss. cap. *Cùm Marthæ*, hoc Sacramētum vocari propriè *Mysterium fidei*. Quartò, vt occulerētur pretiosissimę res sub vsitatissimis formis ab irrisione ac profanatione Paganorum. Et hæc causa allegatur ex Augustino de cons. dist. 2. ca. *Vtrùm*. Quinta ratio & præcipua est, vt Corpus Christi ac Sanguis, quæ siue mortalia vt olim, siue gloriosa & immortalia vt nunc, non essent apta per se vel per genuinas species ad Sacramentum ac sacrificium quotidianum, neque ad comestionem, fractionem, motionē, visionē, & reliquū vsum: iam per accidentia aliena illis mirificè coniuncta, his omnibus & similibus vsibus diuina sapiētia suauissimè accōmodarentur.

1. Accidentia manent: & quare.

Deinde verò de existentia horum accidentiū, sublatis subiectis, id habet Catholica fides, in Conc. Constantiēsi sess. 8. cōtra Vvicleffum tradita: ea nimirū manere sine subiecto omni, & pinde nec pani & vino, quę iam nō sunt: nec corpori Christi, quod nō decuit his mutari, subijci, affici, aut alterari: nec circūiecto aëri, qui sua propria retinet, aliena nō induit, nec deniq; cuiuis substantiæ alteri inhærere: sed ipsa se, nullâ alia re subiectâ nisa, non minùs quàm si substantiæ essent, supra naturæ ordinem.

Accidentia sine subiecto.

ordinem ſuſtentare. Horremus enim Vvicleffi & multorum Hæreticorum blaſphemiam negantium, Deum poſſe quantauis virtute accidentium *eſſe* fulcire ſine ſubiecto: cùm tantum abſit, vt ea res Diuinam extraordinariam potentiam ſuperet, vt ex Philoſophis antiquiſſimis quidam illud in natura poſuerint, vt formæ ſeparatæ conſiſtant: & D. ipſe Baſilius Hom. 6. in Hexaëm. & Damaſcenus, alijque plurimi tradere videãtur, lucem primo die creatam fuiſſe accidens extra ſubiectum. Sed id vtcunque ſit, certè Diuinæ omnipotentię denegandum non eſt, vt quod à natura tributum eſt ſolis ſubſtantijs, id ſupernaturaliter nonnunquam concedat accidentibus. ſicut peculiarem ſubſiſtentiam aliquando ſubſtantijs denegans, aliena hypoſtaſi eas fulcit: quemadmodum in Myſterio Incarnatiõis fit, vbi Humanitas ſuo ſuppoſito deſtituta, Diuino conſtat. Quarum rerum pulchram & prolixam diſputationem videre licet apud Thomam Vvaldenſem Tom. 2. de Sacram. ca. 76. & 77.

Accidentiũ paſſiones & actiones.

Iſta porrò accidentia vt antiquum *eſſe* ſine ſubiecto, ita ſimiliter ſuas & prioris ſubiecti operationes omnes ac paſſiones retinent: vt hinc variè corrumpi, & in ſubſtantias mutari: illinc nutrire, ſuſtentare, inebriare, & reliqua panis ac vini officia naturalia facere queant. niſi malles iſtas omnes perfectiores ac decentiores actiones non tam propriè relictis ſpeciebus, quàm Corpori & Sanguini Domini attribuere: quod doctioribus placet: Vt ita nunc Caro Domini & Sanguis nutriant per accidentia, ſine omni tamen ſuî mutatione ac in ſe corruptione; quomodo antè per eadem ipſa, licet non ſine ſui corruptione ac conuerſione in ſubſtantiam rei nutritæ, panis & vinum faciebant, & nõ ipſa accidentia. Ego quidem ſine præiudicio Eccleſiaſticæ ſententiæ, cui me ſemper ſubmitto, ſic ſentio. quia hæc accidentia licet nõ inhæreant vt alterent ac afficiant Corpus Chriſti, realiter tamẽ incredibili vinculo & arctiſſimo modo qui concipi poſſit, vſque ad idiomatum ſanè communicationem, illud ſibi coniunctum ac annexum habent. Nam ſunt qui affirmant, hypoſtaticè Chriſti Corpori vnita eſſe, hoc eſt, illius

Actiones illas eſſe potiùs Corporis.

2. Corporis cõiunctio cum ſpeciebus qualis.

illius perſonæ (eo modo quo accidentia poſſunt in hypoſtaſin venire) annecti, vt in illa ſeu per illam ſuſtententur. quod ſine inhærentia fieri poſſe, natiua Chriſti accidentia demonſtrant, quæ ad Diuinum ſuppoſitum (quatenus accidentia poſſunt) pertinent, licèt illi non inhæreant. Neque verò eſt ita abſurdum, ſibi coniungere accidentia quæ poſtea ſæpiùs dimittat, ſicut indecens videri debuit, varias ſubſtantias aſſumere ac ſubinde reijcere. Quotidie enim noua accidentia in hypoſtaſin ſuam in hac vita mortalis aſſumpſit & repulit, vt varias illas qualitates corporis & animi, dum lætabatur, lachrymabatur, & extraordinariè transfigurabatur ac ſplenduit vultus eius. Certè veteres illam ſingularem perſonalitatem Verbi incarnati ſolebant illuſtrare per perſonam (vt ita dicam) Sacramenti: docentes quo modo Filius Dei ſeruãs naturam Diuinam, aſſumpſerit tamen humanam; per ſimile in Sacramento, vbi Caro immutabilis manens in cœlo, aſſumit omnia accidentia & proprietates panis, & ſub ipſis ac cum ipſis exiſtit. Similitudo enim eſt inter aſſumptionem accidentium in Euchariſtia, & aſſumptionem ſubſtantiæ humanæ in Perſonam Verbi. Nos tamen hanc aſſumptionem accidentium in hypoſtaſin vix audemus aſſerere, quia timidè noua in tanta re tradimus; & quia Scholaſtici (quod hactenus viderim) non ita explicant; maximè verò quia Algerus apertè negat, lib.1.cap.6. de Euchariſtia contra Berengarium, timens aliquid abſurdi Impanationi ſimile; ita inquiens: *In Sacramento ne dicamus panis formam Chriſto imperſonatam, quia manſura in Chriſti Corpore non eſt.* Volens prętereа, eam formam alienam, quã Chriſtus habet in Sacramento, vocari *myſticam formam*, non *imperſonatam*. quod conatur deducere ex li.20. Auguſtini contra Fauſtum cap.13. Scholaſtici ferè volunt, accidentia per ſe ſubſiſtere eadem exiſtentia quam habebant ex priori ſubiecto, & non ſuſtentari in hypoſtaſi Chriſti, ſicut nec eidem inhærere.

Vide ſuprà, ca.34.

Gelaſius & Theodoretus ſuprà ca.35.

Sed in hac cauſa tota hæc tanquam certa Theologorum & Conciliorum traditione accepimus: inprimis, in & ſub ſpecie-

bus seu ad species panis Corpus esse. Nam Vien. Concilium dixit, Christum existentem in propria substantia esse sub alia forma in Sacramento. Lateranense, Florentinum, & Tridentinum nomine *Continentiæ* idem exprimunt. Aiunt enim, Corpus & Sanguinem veraciter contineri sub speciebus. Non autem sic contineri dicuntur, quia per hæc accidentia solùm indicantur esse tum præsentia; sicut per fumũ demonstratur præsentia ignis, aut quomodo Dæmon nonnunquam ex pacto adest annulo, vbi diceretur verè cõtineri vt in signo. Neque rursus concluduntur speciebus tanquam locis, vasis, vestibus, aut veluti operculis, alijsúe quibuscunque rebus excedentibus vel externè circunstantibus ipsorum substantias. vt propterea ibi nec circumscriptiuè, nec definitiuè ad species adesse, nec nisi impropriè sub ipsis velari aut tegi dicantur: sicut nec ipse panis suis accidentibus tegi diceretur. Neque porrò sic assumit Christus species has, sicut Deus interdum corporeas similitudines, cùm se aspectabilem præbuit Abrahæ, Moysi, & Patrib⁹, vel in ardente rubo, vel in columna ignis, vel in specie columbæ: Aut quomodo Angeli & boni & mali, & ipse Domin⁹ post Resurrectionẽ in externa specie sæpe se præbuerunt. licet Aug. semel ac iterum li. 3. Trin. ca. 10. hanc suî exhibitionẽ in Sacramentalibus speciebus propter nonnullam similitudinem his Dei & Angelorũ apparitionibus comparet; præsertim propter tria hæc, quòd sicut hæ formæ, in quibus apparitiones fiunt, natiuæ nõ sunt, & genuinã speciem occultãt, nec permanẽtes vidẽtur, sed deponendæ, dispensationis peracto officio: ita etiam Sacramentales species, & alienæ, & occultrices, & non duraturæ circa Corpus Christi, sed in ipsa perceptione deponendæ ac consumendæ veniant. Sed in eo præter cætera discrimen existit, quòd hîc Corpus Christi acquisiuit ex mutatione panis in ipsum, simile *esse* sub accidentibus, quale priùs habuit panis (excepta subiectione, & prædicationibus subiectionem atque inhærentiam consequentibus) vt iam non pendeat immediatè hæc Corporis Christi præsentia ad illas species ex voluntate

luntate Dei ita faciente, ficut in apparitionibus; fed ex ipfo ordine & neceffario modo quo illis coaptatur. Ex quo fit, vt infeparabile fit ab eis quandiu ipfæ formæ manent integræ, aut quandiu ipfe panis manfiffet per naturam, fi fine mutatione perftitiffet: quomodo Spiritus fanctus non coniungebatur columbæ, cùm eam fpeciem fubitò pro voluntate fua aut fuftulerit, aut deferuerit. Tam ergo ineffabili modo, incredibili vicinitate, & miro exiftentiæ ordine, Corpus connectitur fpeciebus, vt & vnum ex ambobus fiat Sacramentum, & prædicata fpecierum fępiffimè & veriffimè tribuantur Corpori ac Sanguini. Idque illud eft quod appellamus *communicationem idiomatum*, tam in materia Incarnationis, quàm huius Sacramenti: (licet non fit tam plena hîc atque illic attributorum communio.) Ex quo fequitur, horum accidentium medio ac minifterio, ficut per eadem antè panis, ita nunc Corpus ac Sanguinem verè à nobis contrectari, manducari, circungeftari, carni noftræ immifceri, dentibus teri, in hoc vel illo loco aut vafe collocari, ibidemque per particulas demonftratiuas *hîc* & *nunc* indicari, communiter cum ipfis accidentibus, fenfibiliter facrificari, & oculis vifibiliter ad adorationem proponi ac eleuari, &c. Quæ omnia fiue per fe, fiue per accidens Corpori Chrifti in Sacramento competant, nihil refert, modò certa fide credamus, hæc verè & propriè dici ac fieri circa Corpus Chrifti, non minùs quàm fi in propria fpecie effet, & non minùs quàm fierent in ipfo pane: & non minùs verè quàm crucifixio, fames, & fimilia, attribuuntur Domino Deo in Scriptura propter coniunctam Humanitatem in eâdem hypoftafi. Vbi etiam non Humanitas dicitur crucifixa, fed ipfa Perfona Deus & homo. Confimilem ferè in modum hoc loco non manducantur, franguntur, videntur, fpecies folummodò, ficut multi Catholici malè dicunt: fed propriè & verè hæc omnia competunt Corpori & Sanguini, licet per fpecies. Quanquam non nefciam, ipfum Thomam p.3.q.80.art.4.ad 4^m. (præfertim quod ad vifionem

Communicatio idiomatum inter fpecies & Corpus.

Corpus Chrifti effe fenfibiliter in Sacramento.

Corporis attinet) aliam rationem sequi: cùm concedat tactum quidem pertingere ad Corpus, & non ad accidentia tantùm: visum verò non item percipere Corpus, sed species tantùm. Sed sicut huius hæc est minùs expedita via, & ratiōi nullo modo consentanea, cùm certissimum sit Corpus Christi non esse vni sensui magis quàm alteri ex accidētibus peruium aut propinquum: ita aliorum quorundam Scholasticorum de motu, tactu, visu, loco, fractione & comestione, doctrina est plena curiositatis & periculi; qui pulcherrimis Augustini verbis prædictis lib. 3. de Trinit. admonendi essent. Ita enim de hac ipsa re agens, ait: *Mihi omnino vtile est, vt meminerim hîc virium mearum, fratres{q́}; meos admoneam, vt & ipsi meminerint suarum, ne vltrà quàm tutum est, humana progrediatur infirmitas, &c.*

Nos ergo simpliciorem, & contra Hæreticos validiorem, & Scripturis ac antiquitati congruentiorem rationem secuti, dicimus, verè & propriè sensibus ipsum corpus esse subiectum, vel si mauis, ipsum Sacramentum totum, id est, Corpus cum speciebus. Hoc enim si verum nō esset, Christi pręceptio omnis circa hoc Sacramentum esset impropria, dum iubet Discipulos manibus accipere, ore manducare, bibere, diuidere, demonstrando ad omnes sensus, & præsertim ad visum, *Hoc est Corpus meum,* id est, hoc quod videtis, quod percipitis, quod bibitis ad hæc ipsa accidentia. Et contraria doctrina, quæ negat hæc propriè pertinere ad ipsum Corpus Christi, plurimùm iuuat Hæreticos: adeò vt Bertramus antiquissimus huius veritatis impugnator, cùm non auderet adhuc apertè facere quęstionem, vtrùm Christi Corpus realiter esset præsens, in eo disputationem constituerit cum Catholicis, vtrùm Corpus Christi esset Sensibiliter in Sacramento, an sola fide perciperetur. De qua re pulchrè dixit Paschasius: *Isti qui negant hoc esse visibile atque palpabile, non ob aliud faciunt, nisi ne credant, & ne sit quod Veritas ait, hoc est Corpus meum, &c.* Hac etiam de causa fecit Ecclesia Dei Berengarium Hæreticum confiteri, *Corpus Christi non solo Sacramento, sed verè & sensualiter manibus sacerdotū tangi, &c.*

Quam

Quam Confessionem non solùm vulgares scioli, sed doctiores quidam scriptores putarunt (sed malè) impropriè & vehementiùs quàm oportuit, fuisse conceptam. sed retinenda est ad amussim, vt vera fidei Catholicæ explicatio. Retinendæ quoque omnes illæ populares formulæ vt propriæ, Catholicę, antiquissimę, quibus deuoti dicunt se vidisse Dominum in manibus sacerdotis vel in Altari. Iuxta quod temporibus Augustini, sicut hodie, matres grauissima auctoritate docebant infantes conijcere oculos in Corpus Domini positum in Altari. Retinenda quoque per hanc viam omnia illa officia Religionis, quibus Christiani prosequimur oculis & gestibus eleuatas hostias in varijs Altaribus ac sacrificijs. Iuxta quod deligimus etiam loca vnde commodiùs intueamur Hostiam, variaque amouemus impedimenta videndi. Item per eandem explicationem, Corpus Christi per adiunctam quantitatem panis verè locum habet sedemque in Altari, vt dixit Optatus lib.2. atque in pixide. Ad quæ sacra loca veluti ad stationes, studiosè imus adoratum corpus Christi. Sicut in via huc atque illuc motum atque gestatum, pedibus ac oculis appropinquare & cernere certatim contendimus, non minùs religiosè, quàm pusillus Zachæus cōscensa arbore Christum olim mortalem videre cupiuit. Nam cùm ab initio huius Hæreseos incidissent simplices Catholici in Hæreticos versutos, vel in quosdam Catholicos mediocriter tantùm doctos, qui dicerent, nō videri quidem ipsum Corpus Domini oculis corporeis, sed potius species panis sub quibus est Dominus, & proinde non esse opus ita contendere de videndo ipso, aut eleuando oculos, aut de appropinquando, sed corde esse conspiciendum & adorandum, cauendumque potius ne illud quod videas venereris, cùm accidentia sint panis & non Corpus Christi: cùm hi (inquam) fuissent primi sermones Hæreticorum; & deinde Scholastici ipsi in pacatioribus postea temporibus non attigissent exactam doctrinā, multi in errorem faciliùs pellecti sunt. & Vvicleffus summam sectę suæ commoditatem in eo posuit, quòd videret multas scholas

Luc.19.

eam viam tum sectari, vt dicerent, Corpus non videri in Sacramento, sed Inuisibiliter esse præsens. Cùm tamen D. Thomas & Scholastici non aliud voluerint, quàm non videri in propria specie. Sicut Augustinus similiter, allegatus suprà de conf. dist. 2. dicens, *sacrificium constare visibili specie elementorum, & inuisibili Domini Carne & Sanguine:* ideo appellat inuisibilem Carnem, quia non proponitur in propria forma vt agnoscatur. Id enim simpliciter vocabant *inuisibile*, quod non erat agnoscibile ex specie quam gerit. Cùm tamen reuera Christus non minùs videretur à Magdalena in specie hortulani, & à duobus Discipulis in via Emaus, & sæpe aliàs, quàm si in genuina effigie apparuisset. absurdissimumque esset negare istos vidisse Dominum, cùm Scripturæ Io. 20. id planè dicant: & apertè tradant, propter longè minorem coniunctionem columbæ ad Sp. sanctum, Ioannem vidisse Sp. sanctum descendentem sicut columbam, Ioan. 1. Verè item visus est Deus, maximè in Christo, deinde etiam sæpe per creaturas corporeas, licet non in specie Diuinitatis propria. Et mulieres sanctæ Luc. vltimo verè visionem Angelorum habebant. Nec certè naturæ repugnat, vt corpora propriè videantur per aliena accidentia, sicut cœlum, Sol, & omnia diaphana, quę non videntur qualitate propria, sed externa.

Vide Valden. To. 2. de Sacra. ca. 55.

Et hanc viam licet Scholastici omnes non sint ita secuti, vt dicerent corpus simpliciter esse sensibile in Sacramento, tamen Paschasius, Hugo Victorinus, Guitmundus, doctissimi viri: itemque inter Scholasticos celebris Carmelita Ioannes Baconus, quem Thomas Vvaldensis mirè probat & sequitur in hac materia, tenent simpliciter, esse visibiliter in Sacramento, & tota antiquitas sine exceptione. Sic Aug. ser. 2. de verb. Apostoli: *Quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter etiam manducatur.* Sic Chrysosto. Hom. 47. in 1. Cor. 10. ait. *Regium Corpus nobis intuendum proponi, & Christum permittere vt dentes carni suæ infigamus, & pati confractionem in Altari, quam nolebat pati in Cruce.* Et 3. lib. de dignitate

Aug.

Chrysost.

sacerd.

ſacerd. *Hæc omnia fiunt* (inquit) *nullis præſtigijs, ſed intuentibus omnium circunſtantium oculis.* Et Hom.83.in Matth.*Ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis.* Item Cyrillus lib. 12. cap. 58. in Ioannem, *Iure* (inquit) *congregationes fiunt die octauo, & foribus clauſis viſibiliter ſimul atque inuiſibiliter Chriſtus omnibus apparet. Inuiſibiliter quidem vt Deus, viſibiliter autem in corpore. Præbet enim nobis Carnem ſuam tangendam.* Item Gregorius Magnus Hom.22. in Euang. (& citatur diſt.2. de Conſ. cap. *Quid ſit Sanguis:*) *Vno* (inquit) *eodemq́, tempore rapitur in cælum miniſterio Angelorum, & ante oculos ſacerdotis in Altari ab omnibus videtur.* Poſtremò Victorinus ſic dixit. lib. 2. de Sacram. p. 9. cap. 13. *Quando in manibus Sacramentum eius tenes, corporaliter tecum eſt: quando ore ſuſcipis, corporaliter habes: quando manducas & guſtas, corporaliter tecum eſt. Denique in viſu, in tactu, in ſapore, corporaliter tecum eſt.* Dicendum ergo cum Conc.Romano, & Nicolao Papa Præſide, & confitente Berengario, manducationem, fracturam, viſionem, reliquamque actionem ſenſibilem circa Corpus Chriſti in Sacramento, non conſtitui ſolùm propter motum, fracturam, aut viſum ſignorum, ſed quia hæc admirabili modo fiunt in ipſo corpore, non nudè, & purè, & in ſe primò, ſed vt in Sacramento exiſtit, & quatenus inter Sacramentales formas & rem cōtentam communicatio idiomatum cōſtituitur. Quo modo etiā Philoſophi nolunt ſubſtantias quarūuis rerū per ſe primò videri ac tangi, ſed ſecundariò per accidentia ſua; ita tamen vt illud ſolis accidentibus non tribuatur vnquam. Nec hîc quicquam valet argumentum quorundam de duabus hoſtijs, vna conſecrata, altera communi non conſecrata: inter quas cùm oculus diſcrimen non ponat, nec cernat aliquid in vna quod non ſit in altera, ſequi volunt, in neutra videri Corpus. Sed reſpondemus, agnitionem, diſcretionem, iudicium, non ſemper pertinere ad ſenſus: cùm in reliqua plebe Petrum & Ioannem ſæpè videas, licet eos ab alijs non diſcernas. & Samaritana atque cæcus natus,

Cyril.Al.

Greg. P.

Hugo Vict.

Concil.

Ioan.

Ioan.4.& 9. locuti cum Iesu videbant eum, etsi nesciebant quis esset: *Et vidisti eum*(inquit Christus) *& qui loquitur tecum, ipse est.* Ergo antequam fide quicquam intellexissent de Christo,corporeis tamen oculis videbant eum. Vnde consequens est, quòd Hæreticus atque Iudæus intuens hostiam consecratam,verè videat Corpus Christi, licet nec credat, nec intelligat esse Christum: sicut cùm mortalis esset, ab ijsdem videbatur, nec tamen agnoscebatur.

Adoratio. Ex his quæ de coniunctione corporis & Sanguinis cum speciebus ac de sensibili eorundem perceptione diximus, quomodo gerere se oporteat Christianos circa adorationem, precem,ac similes actiones Eucharisticas,facilè intelligitur. Cultus enim non terminatur ad accidentia panis & vini. nec est eius rei vllum periculum vel in simplicissimis; ne si inhærerent quidem;multò minùs cùm non insint Corpori. Non est enim naturale aspectui,vt se sistat vltimùm ad accidens quoduis.Neque quisquam vel pastorum vel discipulorum sic admonendus erat, dum Christum mortalem coleret. Clarè enim dixit Augustinus lib.sent.Prosperi. *In specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles Carnem & Sanguinem adoramus.* Neque opus est, vt verbis vel etiam cogitatione subtili dispescas species à substantijs, cùm idem ser.58.de verbis Domini secundùm Ioan. dicat, *In adoratione Regis,in quem propriè dirigitur obseruantia, simul etiam purpuram & diadema regale,quibus ornatur, rectè à nobis coli.* Quod exemplum etiam eleganter adducit Damasc. lib.4. c.3.de orthod.fide: vt doceat,ea quæ erant visibilia in Christo, non fuisse per se adorabilia, aut primariò intẽta in cultu Christi,sed vt coniuncta Diuinitati,quæ erat per se adorabilis.Quare ne dubites exhibere Latriam externam non minùs ad hanc alienam speciem,quàm si esset propria. Neq; enim Abraham, Moyses,Patriarchæ,adorantes Dominum, fecerunt exceptionem de non colenda forma in qua apparuit & Ecclesia ipsum Sacramentum adorandum proponit. *Tantum Sacramentum*(inquit)*veneremur cernui.*& Trid.Conc.sess.13.cap.5.dicit, *Latriæ cultum*

cultum vero Deo debitum, huic Sacramento esse exhibendum. & can.6. Anathema dicit his, qui negant Christum externo cultu hic adorari.

Tandem verò vt concludamus, illud admonendum est: propter hanc specierum connexionem cum corpore aut idiomatum communicationem, attributa denominatiua, quæ ex inhærentia propriè nascuntur, non esse affirmanda de Corpore Christi. Hinc impropriè dici, Christum esse album, calidum, frigidum, rotundum in Sacramento. item neque illa quæ defectionem, imperfectionem, aut interitum designant. Hinc nō dicimus, Corpus Christi digeri, mucore affici, corrumpi, aut in secessum ire, sicut spurcissimi Hæretici, quos temporibus Bernardi Stercoranistas appellabant, finxerunt: vt commemorat Algerus lib. 1. de Sacramento Altaris. Cùm enim non maneat Christus nisi ad species integras, liquet, attributa specierum, vt sunt in defectu, de ipso non affirmari. reliqua ferè communia sunt omnia, quandiu Christus speciebus adest. Adest autem sine dubio semper, nec vnquam recedit aut euanescit manentibus speciebus: quanquam (eodem Algero teste) aliqui Hæretici contrarium senserint. Species autem si miraculo aliquo (quod sæpe accidisse suprà commemorauimus) antequam naturæ ordine pereant, omnino ablatæ fuerint, vt iam relinquatur & conspiciatur aliquid carnium continuò manens, ex speciebus corruptis vel alteratis, quid de illo sentiendum sit, nihil definimus. Nec certè credere tenemur adesse Corpus, vbi species panis non adsint. Licet igitur summa cum reuerentia ad monimentum Diuinæ potentię talia reseruari debeant, tamen non esset tutum adorare. De his enim & similibus nihil præcepit Ecclesia. Et quomodo se habeant inter se in existentia Sacramentali Corpus & species elementorum, diximus.

In quibus nō fit cōmunicatio idiomatum inter species & Corpus.

Stercoranistæ.

Quandiu maneat Corpus Christi.

Cap. 26.

De Corporis existentia in Sacramento respectu suî in propria forma.

LII CAP.

CAP. XXXVIII.

Deinceps docendum eſt, quomodo ipſum corpus reſpectu ſuî exiſtat, quomodo ſe habeat ad propria accidentia, id eſt, ad dimenſiones, qualitates, operationes, ſitumque & locum quem in natiua ſpecie occupat: deinde ad partes ſuî integrales, membrorumque varietatem: tùm ad ea omnia quæ cum ipſo Corpore vnam hypoſtaſin Chriſti conſtituunt, id eſt, ad animam & Diuinitatem: deinde ad alteram ſibi in eodem Sacramento veluti oppoſitam ſpeciem: & in vniuerſum quem ſtatum habeat, & habuerit in prima inſtitutione Euchariſtiæ; glorioſúmne ſit ac impatibile, an mortale ac corruptibile in Sacramento. His enim finibus tota diſputatio de Exiſtentia Chriſti Sacramentali continetur. Eaque omnis vt breuior & clarior euadat, pono concluſiones. Prima ſit: Elementa panis & vini conuertuntur in corpus ſolum ac Sanguinem, ſingula in ſingula. hoc eſt, conuerſio panis aut vini non terminatur ad hypoſtaſin Chriſti, neque ad eius animam, neque ad Diuinitatem, neque ad omnia accidentia Chriſti propria: ſed deſinit panis directè tantùm in Corpus, & Vinum in ſolum Sanguinem. Probatur Scriptura, & ratione. quia ſolùm conuertuntur elementa in id quod formæ Sacramentales ſignificant. Illud enim fit verbo, quod verbo ſignificatur. Nihil autem aliud in forma ſignificatur, quàm ſeorſum, hinc Corpus, illinc Sanguis. Non enim dixit Seruator inſtituens aut conficiens Sacramentum, *hic ego ſum*, vel, *hic eſt Chriſtus*, vel, *comedite Chriſtum*, aut ſimilia: ſed, *Hoc eſt Corpus, hic eſt Sanguis*, dixit. Quod & ipſa actione ſeparata liquet, dum duo diſtincta, hîc Sanguinem, illic Corpus proponit. Ex quo illud conſequens eſt, ipſum Chriſtum non eſſe Sacramentum, neque Deum ſiue Diuinitatem, nec animam, nec accidētia ſua: ſed corpus in priori ſpecie, & Sanguinem in poſteriori. Hæc enim ſunt propria inſtrumenta quibus Deus vtitur ad gratiam & vnionem Sacramentalem in anima percipiētis ſignificandam & efficiendam.

Concluſiones.

Diuini-

Diuinitas enim licèt cum corpore producat eundem effe-ctum, tamen non operatur instrumentaliter, & propterea nec Sacramentaliter quidem. Et in his tantùm, seruatur comestionis ac potionis ratio; ipsiusque mortis Dominicæ, per separationem animæ, Corporis, ac sanguinis, repræsentatio. Vide Cyrillum lib. 4. in Ioan. ca. 14. Cùm autem id tribuimus tantùm corpori & Sanguini, vt Sacramentum sint, & efficiantur ex verbis Sacramentalibus, obseruandum est, nomen *Corporis* hîc nõ accipi more Dialecticorum, qui corpus appellant compositum omne ex materia & forma in genere Substantiæ; nec significatione Mathematica, pro trina dimensione, in genere quantitatis: sed intelligi more physico pro altera parte naturalis compositionis cuiusuis animantis; significareque illud totum, illudque tantùm quod positum est in sepulchro, mortuo iam Domino, exangue & inanime. Hoc enim idem fuisse cum Corpore tradito & crucifixo, perspicuũ est. Sic enim Ambros. lib. de his qui initiant. myst. cap. 9. (& allegatur de cons. dist. 2. cap. *Reuera.*) *Eadem* (inquit) *Caro quæ crucifixa & sepulta in Domino fuit, est in hoc Sacramento.* Igitur cautè legendus est D. Thomas q. 75. art. 3. p. 3. in resp. ad 2m. vbi docet, formam panis conuerti in animam Christi, vt dat esse corporeum. Ex quo sequeretur, Sacramentum hoc non potuisse confici in triduo mortis Dominicæ, quod nec ipse tamen negauit. Denique tota doctrina Scholasticorum hîc nimis arguta est, dum disserunt quid propriè in homine sit Corpus. Illud certè satis est, quod & planum est, Corpus vt est vna pars hominis, omnibus membris ac organis distinctum ac formatum, esse conuersionis terminum, esseque propriè Sacramentum: neque significare carnem tantùm, sed præterea ossa, neruos, venas, reliquaque instrumenta vitæ omnia. Neque Scriptura Ioan. 6. contradicit, appellans cibum Sacramẽtalem, *Carnem.* Nam ibi accipitur pro tota corporea parte hominis: quam ideo appellauit *Carnem*, quia ea vulgo comestibilis habetur, organizatum corpus non item.

Secunda conclusio: Totus Christus in Sacramento existit. Cuius totius explicatio habetur sess. 13. Conc. Trident. cùm dicitur *Christus integer vnà cum anima & Diuinitate.* Ad quam integritatem, licet illud ibi non exprimatur, pertinent omnia organa, operationes vitæ, dimensionesque, ac qualitates omnes ad ipsam hypostasin vllo modo concurrentes. Id Dominus Io. 6. planè demonstrat, cùm & *seipsum* esse *panem viuum* dicit, & præterea ita affirmat, *Qui manducat me, ipse viuet propter me.* Quam cõclusionem Ephesinum Conc. pulchrè docet aduersus Nestorium, probans non tantùm carnem vt communis hominis, sed vt hypostaticè coniuncti Diuinitati, in Sacramento percipi. Et D. Cyrillus propter eandem naturalem cõiunctionem dixit lib. 4. in Ioan. ca. 15. *In Sacramento carnem non distingui, nec esse aliud à Christo.* In summa, id facit certissima fides Incarnationis, vt nunquam sit caro vbi non sit Diuinitas: & Resurrectionis, ne vspiam sit Corpus sine anima, aut sine Sanguine: vt ita semper sequatur ad Existentiam Corporis, omne illud quod ad Personam Christi pertinet. De accidentibus verò aliquot Theologi dubitarunt, adessentne necessariò ipsi Personæ ac substantiæ Christi. Sed tutior sententia est eorum qui affirmant, eaque nunc Ecclesiastica censetur, vt contraria penè pro hæretica habeatur. Nam qui quantitatem ac dimensiones corpori auferũt, ij & effigiem naturalem, & ordinem, & situm, & distinctionem partium, omnesque animæ vires ac potẽtias, & ipsas vitæ operationes vniuersas denegant. Ex quo consequens esset, Corpus in Eucharistia monstruosam partium cõfusionem, ac perturbatissimum existentiæ ordinem habere, quod Diuinæ sapientiæ ac rei excellentiæ repugnaret.

Ex vi Sacramẽti, & ex concomitantia.

Ex his quæ in duabus istis conclusionibus diximus, celebris orta est distinctio Theologorum, vt quædam sint in Eucharistia ex virtute & efficientia consecrationis, quæ *vi Sacramenti* fieri & existere dici volunt, cuius generis ea tantùm sunt quæ exprimuntur explicitè in formis consecrationum, vt *Corpus* ac *Sanguis.* reliqua verò omnia, quod ad Sacramenti verba, rationem, ac

nem,ac significationem attinet, abesse possunt: adeò vt si contingeret Diuinitatem separari à corpore(licet id fieri nequeat) tamen Corpus ac Sanguis, vt Sacramenta, adessent, verbo effecta. Quo modo abesse anima potuerat ab Eucharistia in triduo mortis Christi. quo toto tempore si Apostolorum quisquam sacrificasset,vi verborum reddidisset Corpus præsens,sed inanime: itemque Sanguinem. Hæc ergo sola, & si quæ accidentia ad illorum integritatem pertinent, adsunt ex vi Sacramenti. Reliqua quæ commemorauimus omnia,ideo in Sacramento sunt, quia his duobus necessariò coniunguntur,& propterea vulgo *ex concomitantia* in Sacramento esse dicuntur. Et regulam quidem cōcomitantiæ nōnulli antiquissimi Scholastici deduxerunt ab ipso etiam verbo Consecrationis:in quo volunt Corpus expressè significari;diuinitatem verò,animam, & cætera omnia implicitè,secundariò, ac indirectè insinuari in verbo *meum*. Vt cùm dicat, non tantùm Corpus illud esse, sed præterea suum,intelligi debeat eius Corpus esse,quod semper est coniunctum Diuinitati,itemque nūc immortale. Sed meliùs(vt alijs placet)colligitur regula concomitātiæ ex eo,quòd si duo aliqua reipsa sint coniuncta semper, vbicūque vnum sit, ex naturali quoque sequela(quam concomitantiam vocamus) ibi vt alterum existat sit necesse. Quæ ratio ita quoque intelligenda est,ne erremus: In duobus reipsa semper coniunctis,ibi semper esse maius & excellentius vbi minus existit:vt vbi Corpus, ibi anima est, ibique Diuinitas. non contrà, cùm vbique Diuinitas sit, vbi corpus aut anima non extat.

Fundamēta concomitantiæ.

His nunc obseruatis, constituamus tertiam conclusionem: omnia quæ sunt in Eucharistia,siue vi Sacramēti,siue per concomitantiam,siue ponantur in ratione Sacramenti, siue non, existunt tamen Sacramentaliter. Non enim solùm Corpus & Sanguis,sed totus Christus existit alio ordine & modo hic quā in cœlo. Nam vt de Diuinitate nihil dicamus, cuius præsentia ac existentia in omnibus alijs rebus non minùs est mirabilis, ipsa quantitas Christi omnis ac naturalis magnitudo cùm ad-

ſit, tamen non occupat locum per ipſam, ſed per alienã quantitatem, quæ fuit panis Adeſt etiam color, & ſplendor, & natiua effigies: ſed quia Sacramentaliter exiſtunt, non afficiunt aut immutant ſenſum noſtrũ. eademque eſt ratio reliquorum, cùm hæc omnia vnà cum ſubſtantia Chriſti Sacramẽtalem exiſtentiam habeant. Quæ autẽ ſit iſta Sacramentalis exiſtentia, quod ad hanc partẽ attinet, ſapiẽtiſſimè docet D. Thomas lib. 4. cõt. Gent. ca. 64. & in 3. p. q. 67. art. 5. nimirũ accidentia omnia omneſque dimenſiones, propterea quòd conſequuntur in Sacramento eam ſubſtantiã in quã conuerſus eſt panis, etiã modum exiſtendi eũ ſequi quẽ ſubſtãtia illa habet, quemque priùs ſubſtantia panis habebat. Sic autẽ ſubſtantia exiſtit per ſe conſiderata, vt nõ magis in magno quàm in paruo contineatur; tota enim ſubſtantia aëris, & aquæ, & vini, & panis, non eſt minùs in ſingulis particulis, quàm in quacunq; mole. Quia ergo in hoc Sacramẽto reliqua cõcomitantur exiſtentiã ſubſtantiæ, etiam modũ exiſtẽdi ſequũtur. Quapropter accidẽtia hæc quę Chriſti Corpori inſunt, nullã habẽt habitudinẽ, niſi per ſubſtãtiam, neq; ad ſpecies Sacramẽtales, neq; ad corpora circũſtantia. adeò vt nec per ipſa videri corpus, nec tangi, nec loco circũſcribi, nec mẽſurari magno aut paruo queat, cùm omnino Chriſtus ſit ibi in ſuo colore & ſpecie inuiſibiliter, in omnibus ſuis dimẽſionibus indiuiſibiliter, in tota quantitate (vt ita dicã) illocaliter, incircũſcriptiuè, & indefinitiuè. Quæ omnia ſi haberẽt ſuum modum exiſtẽndi, facerent ſubſtantiam Chriſti & videri per ipſa, & tangi per ipſa, & loci ſpatijs diſtendi. Sic igitur non modò ſubſtantiam corporis, ſed vniuerſam quantitatem ad modum ſubſtantiæ exiſtere, eſt perſpicuum. Et huiuſmodi Antiquitus habitam fuiſſe Sacramentalem exiſtentiam, clariſſimè Euſebius Hom. 5. de Paſcha, antè à nobis in cap. de præſentia citatus oſtẽdit. & Auguſtinus allegatus à Beda in 1. Cor. 10. & Ambroſ. in præparatione ſeu præfatione ad Miſſam; alijq; omnes qui totum ab omnibus, integrum, in ſingulis partibus percipi docent: tantumque eſſe in exiguo, quantum eſſe con-

Cap. 24.

constat in toto. In eam autem rationem existentiæ redigi posse quamcunque molem corpoream per Dei omnipotentiã sine cõtradictionis implicatione & sine interitu sui, facilè credemus, si nõ dubitemus, ea quæ apud nos impossibilia sunt, apud Deum esse possibilia. Nam in hoc ipso genere de quo agimus, potest Deus traijcere camelum mole & quãtitate integrũ per foramen acus: & in hoc ipso sancto Corpore, de quo disputamus, plurima similia fecit. Nam clauso vtero matris suæ, traduxit Corpus omnibus membris integrum: sepulchro obserato, penetrauit immeabilem lapidem: ianuis clausis, vniuersam quantitatem ac membrorum distinctionem retinens, per solidum lignũ ingreditur: ipsumque tãdem cœlum, quod & ipsum (vt Philosophis placet) est solidum, & nec tum apertum, eadem mole Corporis penetrat. & in his omnibus locis ac rebus ita extitit, vt cùm omnia membra corporis integra habuerit, nullamque quantitatẽ deposuerit, nulla tamẽ loci spatia occuparit. Ex quo certè consequens est, Diuinæ potentiæ non esse impossibile, ita in Sacramento constituere Corpus suum cum omni mole & diuersitate membrorũ, vt tamen locũ nõ occupet, nec per spatia extendatur. In quo illud quoque ex prioribus miraculis obseruandũ est, & ad nostrũ propositum traducendũ, quòd sicut quantitas Christi existẽtis in ligno & lapide, manet tamẽ planè distincta à quantitate ligni & lapidis, nec in ipsam versa, nec annihilans ipsam, quomodo impudenter asserit Theodorus Beza: sic proculdubio potest, & sic existit tota corporis Christi quãtitas cũ dimensionibus panis, ab eisdem tamẽ verè distincta, nec se, nec ipsas interimens. Sed ad hunc omnem locum illustrandum, & Dei omnipotentiam contra impios & incredulos asserendam, legite D. Ambrosium lib. 10. in Luc. ca. 24. & Augustini Ep.^{la} 3. ad Volusianum, & ca. 8. lib. 22. de Ciuit. Dei, & D. Cyrilli 12. lib. in Ioan. ca. 35. & Hieronymũ lib. 1. contra Iouinianum, pulchrè & ad nostrum propositum ostendentem, non fuisse phantasma sed verum corpus quo penetrauit ostia, simulque cum ligno extitit.

Hæc

Hæc ergo posse fieri, & facta esse in Christi Corpore, non negauit vnquam Augustinus, vt fingunt Hæretici: licet id dixerit ad Dardanum quod passim allegant isti, scilicet, *Tolle spatia locorum corporibus, & nusquam erunt: & quia nusquam sunt, nec erunt, id est, omnino non erunt.* Ita Augustinus. sed nihil aliud voluit, quàm eum esse naturæ ordinem, vt corpora in locis sint, & per quantitatem suam ad spatia loci extendãtur. Nunquam autem venit illi in mentem, vt diceret, Deum per se non posse miraculo id tribuere corpori, quod illi antè tribuerat per locum. Ineptissimumque est, illud non concedere omnipotẽtię, vt possit ea separare sine cuiusuis interitu, quę nec definitione, nec vlla interiori propinquitate coniunguntur, & quorum separatio nec ipsi conceptioni nostræ repugnet. Locus enim est res externa & aduentitia omni substantiæ. ad quem licet Deus voluerit corpora habere quandam habitudinem in ratione existentiæ naturali, ad eorum vnitatem & pluralitatem connotandam & constituendam, ita tamen non obstrinxit se naturæ limitibus, vt aliud extraordinariâ potentiâ facere non queat. Quanquam nec illud in omnibus corporibus seruatur naturaliter, vt non nisi in loco conseruentur: cùm cœlum ipsum supremum in loco non sit. Nec facilè isti mihi expedient, quo modo ipsum Christi Corpus in cœlo vel super cœlum naturaliter existens, habitudinem semper retineat ad aliud corpus circunstans, vt ita illius extremitàte circunfusâ tanquam in loco contineatur: licet extensionem omnem quantitatemque Corporis sui indubiè semper seruet in cœlo. Neque verò hîc de nobis iustè cõqueruntur, quòd tollamus spatia corporibus, cùm Christi Corpori suum spatium tribuamus, sed in cœlo vbi naturaliter existit, non autem in Eucharistia, vbi Sacramentaliter præsens est.

Locus Augustini ad Dardanum. Epist. 57.

Quod autem deinceps obijciunt, locorum pluralitatem vt Dei omnipotentiæ impossibilem, si vno tempore ad idem numero corpus referatur, quomodo nos ponimus Christum simul & in cœlo & innumeris præterea locis existere: si Thomã sequa-

De Corpore in pluribus locis.

ſequamur,(omnes autem tutò ſequi poſſunt)ita reſpondere licebit:cętera corpora non habere niſi vnum exiſtendi modum, in quo per ſuam propriam quantitatem locum vnũ occupant; ſed Chriſti Corpus præter naturalem exiſtentiam in cœlo (ſecundùm quam per natiuas dimẽſiones exiſtit in vno loco tantùm) habere aliam exiſtentiam ſupernaturalem, id eſt, Sacramentalem, per quam ad alienam quantitatem loca innumera habere poteſt: quandoquidem ea non occupet, nec illis adæquetur,nec commẽſuretur, vt pars parti,& totum toti reſpondeat,nec ad ſingula ita definiatur,vt extra ea eſſe non poſſit.Ex qua diſciplina dicere porrò debemus, Chriſtum nõ eſſe in Sacramento vt in loco,& proinde à nobis non collocari ipſum in multis locis, ſed in cœlo tantùm propriè. & vtrùm ſit in loco, vel non ſit in loco,alienum eſſe ab ea quæſtione quæ eſt de vera præſentia, quæ certa fide ſtatuit præſentiam ad ſpecies, præſentiam autem ad locum non item,ſi exactè loquamur. Et certè Chriſti Corpus omnium iudicio habet in hac exiſtẽtia primariam habitudinem ad ſpecies non tanquã ad locum.Vtrùm autem porrò per eas ſpecies,& cum eis propriè in loco exiſtat, viderit Hæreticus.Scholaſtici multi negant,ſicut antè negauerunt Chriſtum videri propriè per ſpecies. illique ipſi, qui abſurdum putant ac impoſſibile,vt Chriſtus exiſtat eodem genere exiſtẽtię & per ſuã propriã quantitatẽ in diuerſis locis,cõcedunt tamẽ eũ Sacramẽtaliter & per alienã quantitatẽ ſuo quodam modo in pluribus eſſe poſſe.Ita quidem Scholaſtici. At nos ſicut priùs in ratione videndi ac ſentiendi Corpus Chriſti, ita nunc omiſſa ſubtilitate,ſequemur potius antiquitatẽ confitentem,nunc Chriſtum eſſe in omnibus illis locis & Altaribus non minùs verè & propriè, quàm ſi eſſet in loco per quantitatem propriam,licèt non eodem modo.Dicimuſque abſurditatem naturalem de exiſtentia in pluribus locis non eſſe minorem ex ſubſtantijs, quàm ex quantitatibus: nec prouenire ex quantitate aut dimenſionũ extenſione quòd ſingula requirant ſingula loca, ſed magis ex ſubſtantijs ipſis, earumque vnitate

Suprà, cap. 37.

essentiali aut pluralitate; cùm æquè repugnet naturæ, Angelum aut animã esse in pluribus locis, atque hominem. Sed neutrũ esse Deo impossibile facilè credet is, qui credit ipsum Deũ & summè esse, & proprijssimè vnum esse, & excellẽter subsistere, & tamẽ in omnibus locis. Credet quoque ille qui leget Augustinũ lib. de cura pro mort. agenda differentẽ & dubitãtem, an Sancti, quorũ varijs locis memoriæ fiunt, per se singulis his Reliquijs adsint vt hominũ preces & postulata audiant, an hæc beneficia præstent per interpositas Angelorũ personas. Etiam vt ab ipso Christo, in cuius Corpore semper summa miracula extiterũt, exemplum potius petamus, quis certò nouit aut audet Hæreticus affirmare, Christum alloquentem Paulum dum iret Damascum, Act. 9. non fuisse tum in terra aut propinquo aëre, aut tunc deseruisse cœlum, aut nõ fuisse in pluribus locis? Aut etiã Act. 23. cum tenebatur Paulus in vinculis, & Lucas narrat Dominum astitisse illi & dixisse, *constans esto, &c.* Id vtcunque sit, certè cum non magis naturæ repugnet, vnum Corpus esse in pluribus locis, quàm duo occupare vnum locum, (quod tamen antè in multis Christi miraculis accidisse ostendimus) simpliciter Diuinæ potentiæ tribuendum est, vt vel se, vel quamcunque aliam rem corpoream aut incorpoream simul in multis locis sistat. Hoc summa fide notarunt Patres circa hoc Sacramentum. Chrysostomus enim ponit miraculum in eo, quòd sit in cœlo, & in manibus sacerdotum eodem momento temporis tanquam in duobus locis. lib. 3. de Sacerd. & Ho. 17. in Epist. Hebr. & Hom. 24. in 10. cap. 1. Cor. quòd *in multis locis offeratur, plenus hic, & plenus ibi.* Quod & Ambrosius eodem loco dixit, & Gregorius Hom. Paschali. *Sicut* (inquit) *Diuinitas implet mundum, & tamen vna est: ita innumerabilibus & multis locis consecratur, & tamen vnum corpus est, &c.* Nam qui simpliciter non concedit Deum posse facere idem corpus, etiam vt locum occupans, & secundum suam quantitatem propriam, esse in diuersis simul locis, non ille satis exactè defendet omnipotentiam Dei. quod pulcherrimè dixit Hugo Victorinus pau-

Idem in pluribus locis. Cap. 16.

Chrysost.

Amb.

Greg. Nys.

Vict.

nus paulò ante ſcholas exortas, his verbis p.8.lib 2. de Sacram. ca.11. *Dices mihi*(inquit)*quomodo Corpus vnum eodem tempore in diuerſis locis eſſe poteſt? hic eſt, ibi eſt, totum vtrobique eſt, & in multis locis ſimiliter. Noli mirari, qui fecit locum, fecit corpus: & fecit locum in corpore, & corpus in loco. ſed qui fecit vt corpus vnum in vno loco eſſet, fecit ſicut voluit: & ſi voluiſſet aliter, facere potuiſſet. Nam & quando vult, aliter nunc facit: & eſt ſemper ſicut ipſe vult, &c.* Vide locum.

Hic cum Chriſti exiſtentiam Sacramẽtalem reſpectu propriorum accidentium exquirimus, illud poſtremò docendum eſt, qui fuerit ſtatus corporis tum cum à Domino primum cõficiebatur, & Diſcipulis tradebatur. Nam ex habitudine ad certa quædam accidentia vel naturalia vel ſupernaturalia fit, vt eadem ipſa corpora alium atque alium ſtatum, id eſt, cõditionem exiſtentiæ ſortiantur. In his (quod ad hunc locum attinet) præcipua ſunt patibilitas ac impatibilitas, & quæ hæc conſequuntur mortalitas ac immortalitas. Et cæteri quidem homines cum vnam exiſtentiam habeant, non niſi vnam conditionem, eamque corruptibilem hîc & mortalem obtinent. Chriſtus verò quia liberè & non neceſſariò, mortalitatem accepit, & quia in vna eſſentia varias capit exiſtentias & varias rationes ſubſiſtendi accidentibus, putatur à quibuſdam vetuſtioribus Theologis per hunc diuerſum modum exiſtendi, ſimul & mortalem & immortalem, paſſibilem ac impaſſibilem ſeipſum verè repræſentaſſe: in natiua exiſtentia quidem, corruptibilem: in Euchariſtica, incorruptibilem. quo modo pro voluntate ſua cùm in orbe eſſet, nunc eas qualitates geſtaſſe, quæ ad corruptionem ac ignobilitatem, aliàs eas ſubijſſe quæ ad gloriam cœleſtem pertinent, ab Euangeliſtis traditur. Nam Luc. cap.4. & ad indicium paſſibilitatis, comprehenſus eſt à Nazarenis, ac vi abductus in ſupercilium montis: & rurſus ibidem, per medium eorum intractabilis & inuiſibilis, ne præcipitaretur, tranſiuit. cap. verò. 9. in Transfiguratione, iam tum in hac vita exiſtens, verè tamen (illius loci

Conditio Corporis Chriſti in Cœna vlt.

interpretum iudicio) ſpecie vultus ſui immutata, apparuit atque verè fuit glorioſus. vt iam mirari deſinamus, Dominum mortalem in ſua forma, alio genere exiſtentiæ eodem tempore ſe planè glorioſum ac impaſſibilem præbuiſſe in Sacramento. Cuius rei figurã fuiſſe (conſentienre Auguſtino ſuper Pſal. 33.) volunt illam vultus Dauidis mutationem & ſuî geſtationem coram Achis. 1.Reg.21. Volunt porrò qui hanc ſententiam ſequuntur, Chriſtum mortuum in Cruce, viuere potuiſſe in Sacramento, nec ibi quicquam incommodi triſtitiæúe ex crucifixione fuiſſe ſenſurum. Hæc, inquam, ſententia viſa eſt valde probabilis vetuſtioribus, & pro ea multa præclarè dixit imitator Auguſtini Hugo Victorinus lib.2.p.9.ca.2. de Sacramentis. Cui ſe oppoſuit pro contraria ſententia (quę nunc vulgatiſſima eſt) D.Iuo Carnotenſis Epiſcopus Epiſt.ad Hamerſcum: & Innocentius.3.lib.4. de Altaris Myſterio ca.12. & plærique alij tempore Berengarij: quam & nũc omnes penè Scholaſtici amplexi ſunt, qui id ſemper, vbi fides non repugnat, ſequuntur, quod eſt rationi maximè conſentaneum. Viderunt enim iſti, intelligentiæ inprimis reſiſtere, vt idem corpus ſimul mortale & immortale ſit: vel, quod abſurdius videtur, vt eodem tempore mortuum & viuum exiſtat. Quanquam eorum nemo ſit qui neget, id Diuinæ potentiæ eſſe poſſibile, præſertim vbi eſt diuerſus modus exiſtendi.

Sequuntur ergo nunc Theologi has regulas: primùm, Corpus Chriſti in Euchariſtia ſemper, quoad omnia interna, ſubſtantialia & accidentalia, ſequi conditionem eiuſdem Corporis exiſtentis in naturali forma. & proinde in prima inſtitutione, Chriſto adhuc mortale corpus gerente, fuiſſe etiam in Sacramento mortale corpus: adeoque verè moriturum in Euchariſtia, ſi reſeruatum vel conſecratum fuiſſet tempore Paſſionis; & cum eodem reſurgẽte, ad vitam ſimiliter rediturum. reliquo verò toto Eccleſiæ tempore poſt Reſurrectionẽ, ſemper fuiſſe factum & exhibitum in Sacramento corpus immortale, quia Chriſtus nunc in naturali exiſtentia eſt immortalis:

perin-

perindeque esse ad rationem Sacramenti & formam verborũ, passibile an impassibile fuerit. Ac plurimùm certè prodest Christiano homini, animaduertisse ex hac disciplina, Eucharistiam vel Christum in Eucharistia non esse tanquam aliquam rem insensatam aut mortuam; quomodo sensus noster iudicat, auctore Epiphanio in Ancorato: sed illum in Sacramento viuere, intelligere, audire & preces & vaniloquium nostrum, videre, ac percipere actus nostros bonos & malos. Quæ certè consideratio plurimùm valet ad Religionem & deuotionem excitandam. Altera regula est, vtcunque mortale vel immortale fuerit Corpus in Sacramento, ibi semper existere modo immortali & impassibili: quoniam in Sacramento vel per actionem in Sacramentum nõ potuit vnquam Christo mortali vel immortali mors vel afflictio aliqua seu animæ seu corporis inferri; licèt id ab Hæreticis & Iudæis sua perfidia & ignoratione nostræ disciplinæ sæpè tentatum legimus: cùm tamen per ea quæ in naturali existentia in Cruce aut alibi pertulit, eadem ipsa concomitanter perferret in Sacramẽto, sicut nunc eodem immortali gaudio & gloria perfunditur in Eucharistia, quo fruitur in cœlo. & (vt quibusdam placet loqui, quamuis illud non probem) est etiam in cœlo, vt existens in Sacramento. Verum hîc obseruandum est, Christum licèt modo impassibili semper existat in Sacramento, tamẽ dici à Patribus mortalem, imò mortuum ac passum in Sacramento, eatenus quidem, quatenus ex modo consecrationis, ipsaque vi significationis Sacramentalis, mors & Passio Domini commemorantur atque repræsentantur. Qua ratione factum est, vt Christus in ipsis verbis institutionis, mortis ac Passionis conditiones expresserit, cum ait: *Quod pro vobis tradetur. Qui pro vobis effundetur.* quo sensu dixit Chrysostomus, Dominum multa pati in Sacramento, quæ noluit perferre in Cruce. Sed de his hactenus.

De existentia sub vna specie respectu alterius: seu, De Communione Laica.

CAP. XXXIX.

Nvnc quam habeat existentiam Christus in Sacramento ex comparatione specierum tradendum est. Cui capiti coniuncta est celebris controuersia de vtriusque vel vnius speciei communione laica. Omnia autem quæ ad hanc rem pertinent, video nos posse hac optimè via explicare: si inprimis doceamus, vnam speciem non dependêre ex altera inter conficiendum Sacramẽtum. Secundò, si probemus totam rem contentã in vna, etiam in altera forma contineri. Si tertiò demonstremus, totam rationem Sacramẽti quoad significationem vtrobiuis existere. Quartò, si totum Sacramẽti fructum, hoc est gratiã Sacramentalẽ, ex alterutra specie acquiri ostendamus. Postremò, si pręcepto aut institutioni Dominicę, vnicæ tantũ speciei perceptionẽ non repugnare, perspicuũ faciamus.

Quinq; articuli.

Art. I. *Forma vna non dependet ab alia in consecrando.*

CAP. XL.

Qvoad primum: fuerunt quidam (teste Innocent 3. ca. 22. lib. 4. de Myst. à quorũ sententia nec ipse abhorruit) qui affirmarunt, formam priorem nõ consequi effectum, nec ex ea corpus Christi fieri ante prolationẽ formę posterioris, quę ad vinum pertinet: itidemq; sanguinem nõ posse confici, nisi post consecratum corpus. vnde vna species ab altera sic depẽdeat, vt seorsim ab ea nec Sacramentũ sit, nec quicquam conficiatur. Sed absurdum est hoc, & actioni Christi, & verborum sacramentalium significationi, & Ecclesiastico vsui ac disciplinæ prorsus repugnans. Nam actiones Christi ad singulas species absolutę, separatę, ac diuersę fuerunt. quod & cæterorum Euangelistarum narrationes satis significant, & maximè Lucę, atque Pauli, qui nõ tacuerunt, primam speciem confectam fuisse inter cœnandum, alteram nõ nisi postquã cœnatum est. adeò vt certum sit morã aliquam inter panẽ & poculum fuisse interpositam: & suspicio esse possit, aliquem sermonem

nem Domini, ex his quos Ioannes diuinos narrat, vel aliquid aliud ab ipſo geſtum, inter vtramque benedictionem interceſſiſſe. Cur autem priùs panem, poſteriùs verò ac ſeorſum calicem conſecrauerit, myſticam quidem rationem reddit in 22. Luc. Theophylactus. Sed ſi deſideras literalem; quidam alij volunt, poculum hoc ſanctum ſuo ſanguine confectum, expreſſum charitatis monimentum, & conſolationis plurimum continens, quaſi valedictionis loco ad vltimum mortalis ſuæ conuerſationis actum fuiſſe dilatum. Nec ſolùm conſecrauit Chriſtus panem ante vinum, ſed etiam diſtribuit Apoſtolis, atq; ab ipſis perceptus eſt & conſumptus ante calicis conſecrationem (licet Eccleſia id nunc non faciat ante vtriuſque abſolutam actionem.) Igitur ſi vt perfectè conſecretur panis in corpus, expectandum eſſet verbum calicis, tūc Apoſtoli comediſſent, antequam fuiſſet perfecta benedictione factum corpus. Deinde ipſa ſententia verbi Sacramētalis vtriuſq; partis habet ſuum ſenſum ac ſignificationem independentem ab altera: eſtq; affirmans, aiens illud eſſe corpus quod proponitur; non prænuncians futurum corpus, poſtquā altera benedictio aut comeſtio acceſſerit. przſertim cùm illud ſit ſacramētalis verbi proprium, vt efficiat in momento quod ſignificat, nec effectum vlteriùs expectet quàm finiatur præſens oratio, cuius ſenſus ac ſentētia in ſe cernitur eſſe completa. ſicut & ipſa materia duplex & diſtincta per ſe exiſtit. quod in alijs Sacramentis non reperitur. Tertiò vſus omnium Eccleſiarum, priorem partem conſecratam ſtatim & apud nos & apud Græcos oſtendēs populo, vtiq; vt adoretur, luculenter cōuincit eſſe corpus ante benedictionē calicis. qui & ipſe tum noſtro tum Grzcorū more, religiōis atq; adorationis ergo, poſtea ſeorſim cōſpiciendus proponitur. Ad idē valet, quod ca. 2. Toletani cōcilij. 7. decretū legimus, quod nūc in Eccleſiaſticā Regulam traductum eſt, ſacerdote defuncto vel ægritudine ita impedito ſtatim à prima conſecratione, vt alteram proſequi non queat, ſecundam actionem poſſe & debere abſolui ab alio ſacerdote ſine prioris reiteratione, vtpote

2.

3.

vtpote quæ ex se perfecta extitit. Estque hoc totum, quemadmodum fundamẽtum alterius tantùm, vel vtriusque speciei communionis, ita quoque tam certæ & exploratæ veritatis, vt non liceat dubitare, quin ipsum vinum quod ordine posterius est, conficeretur in Sanguinem ante consecrationem panis, vel pane omnino non consecrato, si id quisquam vel ex hæresi, vel negligentia faceret; licet grande foret sacrilegium, ordinem sic inuertere à Christo præscriptum. Vtrùm autem panis vnquam licitè possit sine altera specie confici aut offerri, inferiùs docebimus. Id nunc confecimus quod voluimus, existentiam & confectionem vnius non dependêre ex altero.

Art. 2.

Totus Christus sub vna specie.
CAP. XLI.

SECVNDO iam loco totam rem contentam in vna specie, etiam sub altera completè & integrè existere, apud omnes Catholicos in confesso est. Hæretici tamen plærique à Capharnaïtis orti, dissentiunt, concipientes Christũ dissectum esse in duas partes secundùm duo Sacramenti huius signa: vt in priori sit tantùm Corpus, in altera solùm Sanguis. Tribuitur autem hæc impia istorum sententia à recẽtioribus passim quasi parenti Nestorio: & meo iudicio non male (licèt præcisè planisque verbis nusquam hoc asseruisse commemoretur.) Nam regula concomitantiæ, qua veritas de integritate Christi in vtraque specie & in singulis partibus vtriusque speciei comprobatur, non saluatur in opinione Nestorij, cõtendentis Corpus Eucharisticum esse meri hominis communem carnem; quod Ephesinũ Conc. in Epist. ad eundem testatur, & damnat. Non est enim necessaria sequela mutua animæ, Sanguinis, & Diuinitatis, ad cuiusuis mortalis hominis carnem: & proinde ad Nestorij sensum non aliud erat in specie panis, quàm Corpus, nec in specie vini quicquam præter Sanguinem. Nec mala est coniectura (coniectura tamen tantùm est) eorum qui scribunt, Ecclesiam Dei Vnicam speciem in tam generalem consuetudinem

Nestorius.

ñem fidelis populi adduxiſſe, vt ex ea plebs inſtitueretur de integritate Chriſti ad ſingulas ſpecies & particulas Sacramenti, religionis articulo inprimis neceſſario. Nam vulgus licet non ex hæreſi aut contentione, ſed tamen ex errore ac imbecillitate intelligentiæ ſemper fuit procliue in hanc craſſam vel Neſtorij vel Capharnaïtarum cogitationem, vt Carnem à Sanguine ſicut Sacramento, ita reipſa ſeparatam iudicaret. Nec alia res (vt videtur) adduxit vulgus Boëmorum tam impotenter petere Calicem, quàm quòd putaret ſe Sanguine deſtitui, & ſola Carne paſci, cùm aliàs Catholici eſſent, & de præſentia Chriſti minimè dubitarent. Et Sp. ſanctus ſæpe ſuggeſſit Patribus, vt populares errores rebus potius ac factis, quàm voce ac diſputatione abolerẽt. Hinc etiam extitit quorundam religioſiſſimorum virorum inter diſtribuẽdum illam vnicam ſpeciem veluti admonitio, cùm dicunt non ſolùm, *Corpus*, vt olim: ſed, *Corpus & Sanguis Do. noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat, &c.* Quod alioqui, ad vnicam ſpeciem, propter Sacramenti diuerſam rationem, dici eo loco nõ valde probarem: cùm Chriſtus ad eam ſpeciem, *Hoc eſt Corpus meum*, ad alteram, *hic eſt Sanguis meus*, dixerit. Cyprianum quidem ſic dixiſſe video in ſerm. de cœna. *Manducauerant & biberant de eodem pane.* & Paſchaſium itidem, lib. de Corp. Domini: *Chriſti Carnem & Sanguinem comedimus.* Vbi inſinuant vtrunque vtrinque fieri in alterutra ſpecie, propter realem vtrobique concomitantiam, quam defendimus. verùm qui iſta forma ſermonis diſtribuerit, non video.

Corpus & Sanguis, an dicendum ad vnam ſpeciem.

Sed vt pergamus; hoc errore de diuiſo Chriſto per ſpecies Sacramenti imbuti etiam fuerũt (ſi Petro Comeſtori & Thomæ Vvaldenſi credimus) quidam à Iulio Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Ægypt. condemnati (vt habetur de conſ. diſt. 2. cap. *Cùm omne.*) qui quòd non communicabant niſi ex pane intincto in vino, id appellabant *complementum communionis*, quaſi non eſſet abſoluta communio quæ ſola panis ſpecie conſtaret. Iſtam igitur intinctionem prorſus damnat ac prohibet dictus Pontifex: & olim appellabatur *communio Iudæ* propter buccellam intin-

Intinctores.

Intinctio Ecclesiæ quorsum.

ctam, quam is in Cœna à Domino acceperat. Ecclesia verò & ipsa, permixtione specierum in sacrificio post fractionem hostiæ paulò ante communionē vtitur; verū nō propter cōplendam aūt perficiendam communionē (sicut cōmemorati Hæretici fecerunt, & nostri falsò Catholicis affingūt) sed planè ad hunc ipsum errorē, quem refutamus, contra integritatē Christi in vtraque specie, repellendum, dum (præter alia) mysterium Resurrectionis & rediuiui Domini, Corporisque ac cruoris sui ad se inuicem reuersionem, huiusmodi ceremonia per specierum mixturam & coniunctionem repræsentet.

Luther.

Hic idem error diuidens Christum realiter per Sacramenti species, ab Eckio Hom.32. de Sacramentis, tribuitur ipsi Luthero, disputanti contra Episcopum Misnensem, sub alterutra specie alteram solùm contineri partem Christi: quod tamen hodie reliqui exquisitè Lutherani (quod sciam) non sequuntur. Nam rarum est, vt qui veram præsentiam fatentur, negent integrum esse ad vtranque speciem. Nisi simpliciores sint, vt diximus; cuiusmodi commemorantur ab Alexandro Halensi Monachi quidam ante 400. annos, qui cùm nullo modo adducerentur vt crederent Sanguinem esse in specie panis, admoniti tandem diuinitus, miraculo Sanguinis abundè ex quadam hostia profluentis, ad sensum Ecclesiæ redierunt.

Sacramentarij.

Sed hoc demum maximè proprium est Vvicleffistarū, Hussitarum, atque horum temporum Caluinistarum, omniumque qui Christū in Sacramento non aliter pręsentē quàm in signo constituunt. Nam isti, si sibi ipsi consentiant, nihil possunt ponere in vlla parte nisi quod ad rationem & significationem illius partis pertinet. nec ad significationem quicquam spectat in prima specie præter Corpus, in altera præter Sanguinem. Nam nec in illorum, nec in nostra disciplina, si panis repręsentet Corpus, cōsequens est vt idem Sanguinē quoque repręsentet, cùm non sit cōcomitantia significationis, sed realis existentiæ tantùm. Hæretici ergo qui significatiuam & tropicam solùm pręsentiam fingunt, non possunt tantū vni quantū vtrique

parti

parti tribuere: nec vnquam debent committere, vt vnius speciei communione contenti esse videantur, quia illis semper cum parte signi peribit & pars rei.

At nos qui fundamus significationẽ sacramentalem ipsumque Sacramentũ in vero Corpore ac Sanguine præsentibus, ex eorũ vera existentia vtrobiuis vtrunq; existere per regulam Concomitãtię vt fateamur, est necesse. Nam & plurima ad cõtrariam sententiã absurda sequuntur: Inprimis quòd Christus, cõtra Scripturas, adhuc mortalis existat, & quòd nõ tantùm vt in Mysterio, sed reuera per separationem animæ, Sanguinis, ac Corporis, passim mactetur in Sacramento, ibidemque corpus mortuum, planèque inanime ac sine spiritu gerat: ac per cõsequens, vt hoc quod est in Eucharistia nõ sit per omnia simile, ac ne idem quidem cum eo quod nunc immortale in cœlo existit. Sequeretur etiam nihil esse in toto Sacramento pręter ea quæ in significatione Sacramentali & verbo nominantur; ac proinde non spiritũ Christi, sine quo tamẽ (Domino affirmante) Caro & Sanguis nõ prodessent quicquam: Itemque Christum hypostaticè nõ mãducari, sed eius vnicã partem tantùm, cùm ipse contrà Ioan. 6. cap. dicat: *Ego sum panis viuus*; & rursus, *Qui manducat me*, de persona sua comedenda loquens: quo modo & omnes veteres, cùm dicunt: Deum, & Dominum, & Christum, natum, Crucifixũ, & similia, manducari (quæ omnia ad integram hypostasin referũtur) licet tantùm Corpus, id est, vna pars hypostasis ad significationem primę speciei pertineat. Atque eleganter Augustinus volens totum Dominum, quem *integram vitam* appellat, sumi ad singulas species, serm. 2. de verb. Apostoli, dicit, eum *per id quod integer ascendit in cœlum, soluisse magnã de sua integritate in Sacramento quæstionem.* & paulò pòst: *manduca vitam, & bibe vitam, & integra est vita.* Citat Venerabilis Beda in 1. Cor. 10. Vide etiam Bernardum serm. posteriore de Cœna Domini, & Euseb. Emissenum Hom. 5. de Pasc. & alios quos antè allegauimus, cùm doceremus, Christum ad singulas particulas hostiæ per modum substantiæ

Ioan. 6.

Vide supra ca. 24.

Supra, cap. 24. 38.

Fundamentum Laica communionis in vna specie.

existere integrum. Et in hac conclusione fundari sufficientiam cõmunionis alterius tantùm speciei, Constãtiense Conc. sess. 13. his verbis iudicauit: *A laicis* (inquit) *tantummodo nunc sub specie panis percipitur, cùm firmißimè credendum sit & nullatenus dubitandum, integrum Christi Corpus & Sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri.* Et Basiliense sess. 30. *Communio vnius speciei proficit ad salutem, cùm nullatenus ambigendum sit, in qualibet specie integrè totum Christum esse.* Et Florentinum: *Totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini* Postremò Tridentinum sess. 21. can. 3. *Si quis negauerit totum & integrum Christum sub vna panis specie sumi, anathema sit.* Quibus D. Paulus 1. Cor. 11. apertissimè concordat, dum affirmat *reum fore Corporis & Sanguinis Domini, qui manducat panem, vel bibit Calicem Domini indignè*; non solùm autem qui sic manducat & bibit. item, *qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducare & bibere, quia non dijudicat Corpus Domini*; non, inquit, Corpus Domini diiudicat, qui bibit indignè. Et de rei completa existentia sub singulis speciebus ita disseruimus.

Art. 3.

Tota ratio seu significatio Sacramenti sub vna specie.

CAP. XLII.

At nunc ex tertio articulo maior difficultas emergit, cùm hîc nõ tam interesse ad rem videatur, vtrùm Christus integer sub alterutra parte contineatur aut percipiatur, an non: quàm illud, vtrùm & quomodo signi ac Sacramenti ratio seruetur in vna tantùm specie: cùm non aliter prodesse nobis in Eucharistia possit Christus seu integer seu diuisus, nisi vt per rationem Sacramenti applicatus. Ratio autem Sacramentalis significationis, & ipsius Sacramenti natura vtranque speciem requirere videtur, cùm institutum sit ad mortem Dominicam repræsentandam, quod ritè non fit, nisi separata exhibitione Corporis ac Sanguinis. Hic igitur ne quis impingat, annotan-

notandum eſt, Hæreticos in omni Sacramento magis vrgere ſignificationem, quàm gratiam ſignificando acquiſitam; cùm hanc nullam eſſe velint, illam ad doctrinam & inſtructionem applicent tantùm: Catholicos contrà obſeruare vtrunque, & ſignum externum, & rem internam, ſed ad hanc magis attentos ſemper eſſe, præſertim in Sacramento Altaris, propter immenſam excellentiam rei ſignificatæ, & quia plura exiſtunt in hoc ſolo Sacramento, quàm quæ ſignificatione Sacramentali repræſentãtur, vt Diuinitas, & Spiritus Chriſti. Deinde etiam obſeruandum, alia Sacramenta conſiſtere in vſu, & non eſſe Sacramenta, niſi percipiãtur, nec integra eſſe, niſi integra percipiantur: Euchariſtiam verò non ita, cùm eius integritas ac ſignificationis perfectio non conſiſtat in vſu ſumptionis, ſed Sacramentum fiat plenum verbo conſecrationis: nec illius abſolutæ integritati quicquam deeſſe, ſi nos vel eius partem tantùm, vel planè nihil perceperimus. Ergo verè & exactè loquendo, Sacramenti huius ſignificatio aut integritas in vna vel in vtraque ſpecie, non eſt propriè coniuncta quęſtioni de vna aut vtraque ſumẽda. Proinde nec perceptio vnius vel alterius partis, mutat, mutilat, aut mancum reddit Sacramẽtum, quod Aduerſarij conqueruntur: cùm omnino perceptio non faciat Sacramentum; ſed conſecratio. Vnde iuſta fortaſſis eſſet quærimonia, ſi quis conſecraret vnam tantùm ſpeciem. Cùm igitur hoc Sacramentum conſiſtat perfectè, & ſignificet perfectè extra vſum: non eſt neceſſum, vt in perceptione tãtopere ſpectemus completionem ſigni, quàm communionem rei: vbi certò ſcimus, illud quod tribuit animis noſtris gratiam, eſſe in qualibet parte ſigni: cùm minima benedictio (ita enim Cyrillus lib. 4. & 11. in Ioan. ſæpè loquitur) totum hominem ſanctificet.

At obijciet mox Hæreticus: licet Sacramenti perceptio non faciat eſſe Sacramentum, nec conſtituat eius ſignificationem, tamen qui non percipit ſignum Sacramentale, nec rem Sacramenti aſſequetur. Nam vt nihil decedat Sacramento habenti ſignificationem citra tuam manducationem, tamen tibi perit,

 quòd

quòd non capis integrum Sacramentum iuxta Christi institutionem. Huic vt respondeatur, obseruandum, fateri nos, percipiendum esse verum Sacramentum. atque ex Tridentino Conc. sess. 21. cap. 3. didicimus, sub altera tantùm specie non solùm totum Christum, sed verum Sacramentum Eucharistiæ sumi. quod etiam ratione & Scriptura planè conuincimus. Nam in qualibet specie ita absolutè & sufficienter existit significatio Sacramentalis, vt cùm tria præcipuè, præter Corpus Christi & Sanguinem, repræsententur in hoc Sacramento, scilicet commemoratio mortis Dominicę, Vnio Fidelium inter se & cum Christo, ac animarum refectio atque nutritio: ea omnia in vnius tantùm partis perceptione reperiantur. Id ex Euangelio docemur, cùm Lucas ad primam solam speciem, mortis suæ memoriam Dominum instituisse narret: & Paulus. 1. Cor. 11. vtrique parti separatim, Passionis significationem adiungat. Et ca. 10. eiusdem Epistolæ, quoad secundam significationem, ex vnius panis participatione fideles vnum corpus fieri cum Christo doceat; calicis ad eam rem, nec in nostra vulgata editione, nec in plærisque alijs, habita vlla mentione. Denique satis constat, refectionem ac animorum nutritionem sola vel panis, vel potus perceptione, propriè significari: & præsertim pane, cùm id genus in Dominica Precatione absolutè alimentum significet: & (vt Cypriano in expos. eiusdem, & Augustino serm. 28. de verb. Do. in Euang. Lucæ, placet) hoc etiam ipsum Sacramentum denotet. Cuius Sacramenti variæ quoque figuræ in veteri aut naturæ Lege, rariùs specierum diuersarum distinctione, vt semel in pane & vino Melchisedeci; sæpissimè in vna forma proponebantur; aut si in pluribus essent, populo ferè non nisi sub vna dispensabantur; vt in panibus Propositionis, in pane Eliæ, in panibus multiplicatis à Domino, in Agno Paschali, alijsque animalibus sacrificatis: quorum cùm vulgus sæpe particeps esset, tamen libaminum variorum in vino factorum, aut sanguinis eorundem sacrificiorum non item

erat

erat particeps, vt varijs Leuitici locis constat; sed ex particula quauis hostiæ, sicca aut liquida, sumpta, reddebatur quisque Alraris & totius figuræ ac significationis sacræ, cultusque Diuini (sicut & Dæmoniaci, si fortè Dæmonibus immoletur) particeps. Quod D. Paulus cap. 10. primæ ad Cor. ostendit, pulchrè adhibens exempla veterum sacrificiorum ad perceptionem legitimam nostri Sacramenti constituendam. *Videte Israel* (inquit) *secundùm carnem. nónne qui edunt hostias, participes sunt Altaris? &c.* Manna verò, illustrissima figura, in vna specie positum, huius rei exactam significationem continebat: cùm is *qui plus parauerat, non haberet amplius: neque qui minus, minus reperiret*, Exod. 16. Omnes igitur figuræ vel indifferenter vel potius positæ in vna quàm in pluribus; & sæpiùs in pane quàm in potu, multùm iuuant nostram conclusionem. eoque magis, quòd cónstet, in animæ refectione nihil esse quod distinctè & separatim respōdeat corporeæ manducationi ac bibitioni, cùm in spiritualibus non distinguatur potus à cibo, vinum à pane; nec contrà quicquam differant sitis & fames. Quarum propterea remedium Scripturæ indifferenter constituunt, nunc in pane vitæ & intellectus, nunc in aqua sapientiæ, aliàs in pane qui de cœlo descendit, nonnunquam in vino Regni Dei: sæpè in aqua saliente in vitam æternam, postremò in potu & cibo iustitiæ, & similibus, Ecclesiastici 15. Ioan. 6. & 4. Matth. 5. Apocal. 21. Hoc annotauit Cyprianus serm. de Cœna, dicens: *Potus & esus ad eandem rationem pertinent, quibus sicut corporea nutritur substantia & viuit, ita vita spiritus hoc proprio alimēto nutritur, &c.* Hæc cùm ita sint, & cùm vera natura Sacramenti quoad omnem rationem significationis absolutè reperiatur in vna parte signi, seu in alterutra specie, hactenus salua res Catholica est, & plebs fidelis cum integra re etiam verum Sacramentum in vna specie percipit.

At tergiuersaris, ait fortassis Hæreticus. Nos integrum Sacramentum requirimus, tu non integrum, sed subdolè verum

Sacra-

Sacramentum percipi dicis. Respondeo: Nos damus, primùm, integram rem, & signi tantum quantum sufficit ad applicandam integram rem: damus Sacramentum & significationem cuiuscunque rei repræsentandæ in toto Sacramento: damus ex vna parte sumpta, vtriusque speciei & totius Altaris participationem: damus denique omnia in vna specie, præter quendam modum expressiorem & magis claram ac distinctam viam significandi effectus Sacramentalis. Quam tamen (vt diximus) non auferimus ipsi Sacramento, sed nec populo quidem, qui hæc omnia quotidie cernit in vtraque specie ad Altare per Sacrificium fieri; cui sacrificio cùm hæc exacta & integra repræsentatio mortis Dominicæ primariò conuenit, tum totus populus fideliter astans ad eandem commemorationem Redemptionis suæ, cum sacerdote cooperatur. Dicimus ergo in summa, non esse necessarium, vt quisque Sacramentum hoc percipiat cum illa integra, diuisa, & distincta expressione vtriusque signi; satisque esse, vt verum capiat Sacramentum, re contenta & effectu integrum, licet non integrum signum; & hoc solo nomine, eum qui sumit vnam speciem, non dici accipere integrum Sacramentum, quia externi aliquid signi deest tantùm ad illustriorem repræsentationem mortis Domini, aut spiritualis refectionis nostrę, cuius plenius signum extat in vtraq;, quàm in altera specie; cætera autem omnia plenam rationem Sacramenti continentia non deesse.

Art. 4.

Tota Sacramenti gratia vna specie acquiritur.

CAP. XLIII.

ID melius adhuc hoc quarto Articulo ostendemus, dum omnem Sacramenti fructum alterutra sola specie percipi docebimus. Quanquam illud principio insinuandum est, non fore iustam querimoniā plebis de altera specie denegata, etiamsi plus gratiæ ac beneficij consequeretur à duabus quàm ab vna, modò ex illa vnica non defraudetur gratia ad salutē sufficiente ac ne-

ac necessaria.præsertim cùm hoc quicquid fuerit abundantioris gratiæ,compensetur reuerentia quadam Christo & Sacramento inde exhibita.Neque enim vnquam quod fit in bonum superioris,cedit in iniuriam inferioris. Ecce enim simile: Ecclesia non sinit venerabile Sacramētum impartiri homini patienti vomitum: vnde fit vt Sacramenti gratiâ sæpe priuetur. Nec id à quoquam Christiano reprehenditur, cùm aliàs cedat in honorem Sacramenti quod homini Christiano defuit.Proinde sapientissimè Tridentinum Conc. sess.13. allegatæ cap.1. & 3.satis iudicauit, si definiret & probaret, communionem vnius speciei sufficientem gratiam ad salutem conferre,licèt de æquali gratia vnius ac vtriusque partis nihil diceret: studio (vt coniicio) relinquēs Theologis facultatem disserendi in vtramque partem. quorum plærique omnem fructum percipi vna,alij ignobiliores & perpauci contrarium sentiunt,concedentes laicæ communioni gratiam,sed non tam amplam quàm alteri.

Sufficiens gratia ex vna specie. *Ioan.6.*

Conclusionem autem Concilij de sufficientia vnius ad salutem & omnem necessariā gratiam,ex Scripturis probamus, verbis eiusdem Synodi:*nam qui dixit*(inquit)*de vtroq.,nisi manducaueritis Carnem & biberitis Sanguinem,&c.non habebitis vitā*, hoc est,gratiam per quam anima viuit Deo: *idem dixit de vno, Si quis manducauerit ex hoc pane,viuet in æternum. Rursus qui dixit, Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam:dixit etiam de solo pane, Panis quem ego dabo, Caro mea est,pro mundi vita. Denique qui dixit, Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo: dixit nihilominus de vno, qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et hæc quidem omnia gratiam sufficientem ex alterutra specie significant,æqualem non item. Valent porrò apud eos,qui concedunt hoc 6. caput Ioannis pertinere ad Sacramēti manducationem:& apud Hæreticos in hac controuersia valere debent,quia hunc maximè locum vrgent ipsi pro vtraque specie & pro integro Sacramento, cùm aliàs tamē ad Sacramentum referendum esse non putent.

Vtraq; Species non plus cōfert quàm vna.

At nunc de illo altero quod sancta synodus tacuit, dicamus: æqualem nimirum gratiam vtrauis communione conferri. in quo maius componendæ controuersiæ momentum positum est, cùm plebs malè secum agi Hæreticorum suasu putet, si vlla commoditate spirituali ex diuiso Sacramento priuetur. Fructu ergo ac effectu æqualem esse alterutram per se cōmunionem, hac ratione efficiemus: Sacramenta semper significando efficiunt, tantumque faciunt quantum significant. sed idem, & totum significatur in pane, quod in vino: & in quouis, quod in vtroque; licet expressiùs in ambobus quàm in vno. ergo idem est vtriusque effectus, æqualis gratia. Nam si deesset quicquam gratię in vnicę speciei communione, illud deesset solum quod speciatim correspondet illi parti signi quæ desideratur: vt cùm Calix non bibitur, non assequeremur illud quod in animæ refectione Calici assimilatur. Sed nihil est (sicut antè admonuimus) quod in animæ recreatione præcisè respondeat huic distincto modo corporeæ nutritionis; cùm indifferēter tota refectio spiritualis vel potu solo, vel pastu solo denotetur. Neque enim vna gratia repręsentatur pane, altera vino. Neque hic rursus valet Aduersariorum obiectio, cum dicunt: licèt alia atque alia gratia alterutrâ specie non denotetur, neque quicquam significetur vtrâque, quod non alterutrâ repræsentetur, tamen quia non æquè clarè atque significāter exprimitur gratia alterâ atque vtraque specie, sequitur non esse æquè vtilem. Nam cum gratia sacramentalis conferatur per significationē, quo expressior erit significatio, eò erit maior gratia. Sic illi. Sed non efficiunt quod volunt: quoniam in Sacramentis nō attenditur quàm clarè res repræsentetur, sed quid & quantū signo sacramētali denotetur ex institutione Christi. Valeret autem consequētia illa, sicut à signo ad rem signatam, ita à clariori signo ad maiorem gratiā signatā, si quid significādo produceret gratiā naturaliter. Sed quòd ista elemēta aut verba Sacramentalia efficiunt gratiam, supra naturam ex Diuino solo instituto est. Et proinde licèt illis datum sit vt gratiā significando conferant,

rant, non tamẽ itidem tributum eſt, vt cùm expreſſiùs ſignificant,plus gratiæ dent. Hoc niſi obſeruemus, quò quiſque eſt doctior & acutior ad rerũ ſimilitudines inter ſe cõferendas,videbitur maiorem gratiã percepturus ex quolibet Sacramẽto, maioriq; gratia imbuetur Catechumenꝰ Baptiſmo trinę merſionis,quàm vnius ſimplicis lotionis,& totius fontis vel fluminis perfuſione, quàm vnius guttulæ aſperſione. quod tamẽ falſum eſſe cõſtat,quia ſatis eſt quòd idẽ ſignificatur, licet nõ tam expreſſè,minimę aquę attactu,quod copioſiſſimę vndę immerſione. Deniq; tota hæc Aduerſariorũ diſputatio vergit in eam hęreſin,quę fines Sacramentorũ doctrina & inſtructiõe potius metitur,quàm gratia & virtute. Et hęc quidem quę diximus ita ſe haberẽt, etſi in hoc Sacramẽto ſola ſigna cõferrent gratiam. quãtò magis nunc, cùm gratia Euchariſtię nõ impertiatur ex nuda verborũ ac elementorũ ſignificatione, ſed multò magis(quod huic ſoli proprium eſt)ex ipſa re cõtenta,hoc eſt, Chriſto Domino,qui Diuinitate,anima, corpore, ac ſanguine viuẽs ac integer (vt ꝓbauimus)exiſtit in prima ſpecie æquè ac in vtraque; & per hęc poſteriora vnà cũ quauis parte ſigni quacũ exhibetur,inſtrumẽtaliter operatur gratiã,Diuinitate eiuſdem vt principali cauſa exiſtente. Vt ita nõ ſolùm conferatur gratia partialis aliqua ſignificata in Corpore, ſed tota illa, quæ tam Corpore quàm Sanguine,cũ ſeorſum cõſiderantur,repręſentatur:quia neque abeſt Sanguis à prima ſpecie, neque Corpus à poſteriore, ſed re & operatione ſemper coniunguntur. Neq; verò ſi vt Sacramento, ita reuera ſeparata eſſent, vel ſic etiã producerẽt variã gratiam:quandoquidẽ nec in Cruce quidem aliam vim habuit Corpus mortuum, aliam effuſus Sanguis,cùm vtrunque eſſet hypoſtaticè coniunctum Diuinitati.

Præſentia totius Chriſti æqualem gratiam facit.

His ita annotatis,ſoluitur difficile argumentum, quo dicũt: fruſtra hìc de integritate rei ad quamlibet ſpeciẽ laborari, nec intereſſe an præſens ſit Sanguis ad ſpeciem panis, vel Corpus ad ſpeciem vini ; cùm vtcunque præſentia ſint illa quæ per concomitantiam tantùm adſunt , non operentur alia ad

Obiectio difficilis ſoluitur.

gratiam Sacramentalem producendam, quàm quæ Sacramentaliter adſunt. Sanguinem autē in prima ſpecie adeſſe per accidens, & Corpus in calice tantùm ſecundariò: nec quicquā propterea efficere in cōferenda gratia magis quàm ſi omnino non adeſſent. Nos contrà ex ſuprà dictis aſſerimus, quòd licèt Sanguis non concomitaretur Corpus in prima ſpecie, nec Corpus Sanguinem in altera; vel ſi cum ſeinuicem cōcomitantur, non tamen operarentur quicquam niſi vbi Sacramentaliter adeſſent: nihilo tamen minùs vna ſpecies prodeſſet quàm vtraque. Sicut enim in Cruce (vt diximus) idem meruit, idemq; valuit Corpus mortuum, ac poſtea effuſus Sanguis, nec quicquam effectu differebant: ita non minus ſolum Corpus repræſentatum vt mortuum in prima ſpecie confert gratiæ, quàm Sanguis repræſentatione Sacramentali effuſus in altera ſpecie. Negamuſque penitus iſtorum proprium fundamentum, cum aiunt, ea ſola operari in Sacramento quæ adſunt vi Sacramēti, & quæ exiſtunt per concomitantiam, nihil facere: cum Dominus ipſe contrarium affirmet Ioan. 6. tribuens plus Spiritui, quem dicit viuificare in hoc Sacramento, quàm Carni: cùm tamen ſpiritus adſit per concomitantiam, ſiue Diuinitatem, ſiue animam ſignificet; caro verò ex vi Sacramenti, quam ſine ſpiritu ad gratiam Sacramenti nihil cōferre denunciat. Id etiam Epheſini concilij contra Neſtorium Decretis planum euadit, quibus contra Hæreticum docent, plurimum intereſſe ad vim Sacramenti, vt fideles confiteantur Corpus Sacramenti eſſe vnitum verbo, & non eſſe meri hominis carnem. At ſi ea quæ per concomitantiam adſunt, nihil efficerēt: cuius hominis corpus aut ſanguis eſſet, nihil referret. Denique omnes veteres Theologi metiuntur effectus ac fructus huius Sacramenti, potius ex concomitantibus, quàm ex ipſo Corpore & Sanguine, in quibus ratio Sacramenti propriè exiſtit. *Corpus hoc* (inquit Cyrill. lib. 4. in Ioan. ca. 23.) *non eſt Petri, aut Pauli, aut cæterorum, ſed ipſius vitæ Saluatoris noſtri Ieſu. Et hoc Corpus viuificat, quia in ipſo plenitudo Diuinitatis habitat.* Si hìc dicant Aduerſarij, id con-

id concedi posse concomitanti Verbo aut Diuinitati, quia est principalis causa gratiæ, & non instrumentalis quomodo Sacramentum; sed in Sanguine concomitante aut vita non esse similem rationem, quæ debent operari aut vt instrumenta, aut prorsus nihil facere; Hîc autem nihil operari instrumẽtaliter, quod idem non operetur Sacramentaliter: Respondemus, Diuinitatem seu Deum Verbum operari quidem hîc vt causam primariam, sed præterea eatenus quoque instrumentaliter & Sacramentaliter, quatenus Corpus ea ipsa ratione qua Sacramentum est, est Corpus Dei & idem cum Deo hypostaticè. *Est enim*(inquit Christus) non meri hominis, sed *Corpus meum*, &, *Sanguis meus*. Corpus ergo Dei, & Sanguis cum conditione Diuinitatis est Sacramentum, sicut Corpus in sepulchro Corpus Dei. Itaque Diuinitas quæ per concomitantiam adest, licèt, vt sic, non operetur Sacramentaliter, tamen suo modo ad Sacramenti conditionem & operationem multum pertinet. Similiter anima & Sanguis licet in prima specie non habeant rationem Sacramenti, tamen naturaliter coniuncta Corpori, concurrunt cum ipso ad operationem, vt vnius hypostasis ac naturæ res: quia Corpus viuum est nunc Sacramentum, licet repræsentatum vt mortuum; & actus seu operationes sunt totius Personæ. Obseruandum præterea ex Cyrillo ca.14. lib. citati, & Cypriano ser. de Cœna, Dominum in hoc Sacramento, sic vt olim cùm viueret, tactu nos sanctificare; & totam Personam, non Corpus tantùm aut Sanguinem tangi. Licet enim singula quæ ad Personæ integritatem pertinent, non fiant præsentia per verbum Sacramentale, nec significent, nec etiam operentur propriè Sacramentaliter: tamen tota Persona applicatur per Sacramentum in quauis specie, & vnà cum re Sacramentaliter præsenti operatur, non minus quàm in sua specie. Sicut enim in existendo, ita & in operando est concomitantia. Et sic licet Sacramentaliter, id est, significando non operentur ea quæ concomitantur, tamen Sacramentaliter & instrumentaliter agunt, quatenus per Sacramentum verè appli-

cantur, quatenusque Sacramento adiuncta sunt tanquam conditiones quædam quibus instrumentum in operatione adiuuatur. Multipliciter autē causæ & in vario genere effectū Sacramentalem promouent ac maiorē reddunt. Nam Persona illa Diuina applicata nobis per Sacramentū; vt Deus, est principalis causa, dator & auctor gratiæ sacramentalis: vt homo crucifixus, est causa meritoria eiusdem: vt vita præditus, sentiens, ac intelligens, eandem gratiam procurat interpellādo pro nobis, & exaudiendo preces nostras. Quæ, sicut multæ aliæ consimiles, sunt operationes instrumentales coniunctæ Sacramento, & per ipsum applicatę nobis: licet non sint propriè Sacramentales actiones, quia significando aut repręsentando non producunt gratiam; quomodo tantùm corpus in vna specie, & tantùm Sanguis in altera. Postremò, nec illud concedimus Aduersarijs, ea quæ per concomitantiam adsunt, per accidens existere in Sacramento, aut secundariò: quia licèt in primaria ratione signi aut Sacramenti non sint, tamen quia ad veram hypostasin pertinent ipsius rei quæ est Sacramentum, non debēt haberi pro secundariò aduenientibus, aut accidētaliter adiunctis. Vt enim Sanguis sit accidētarium quoad rationem Sacramenti aut signi in specie panis, tamen corpori Christi non est accidentarium. Multoque minùs licebit dicere, Diuinitatem in his vel coniunctis, vel separatis, accidentaliter existere.

Adesse per concomitantiam, non est per accidens adesse.

Alia obiectio.

Hìc iam postremò Catholicus aliquis fortassis obiecerit, saltem ipsas species diuersas seorsim acceptas, cùm ipsæ etiā propriè Sacramenta sint, conferre gratiam, ideoq; vel aliam atque aliam, propter specierum & signorum diuersitatem; vel certè propter repetitam actionem & sumptionē eiusdē rei, eandem gratiam nouam atq; auctiorem. Nam vtcūq; sit, posterior pars erit Sacramentū non minùs quàm prior, & proinde percepta, conferet peculiarē gratiā. Quod nisi demus, sacerdotes aut alij inaniter post acceptū Corpus, Sanguinē sumerēt, cùm totū effectum antea ex priore cōsecuti videātur. Inaniter & Christus voluit duo signa ad duo elemēta instituere, si vnum suffecerit, aut non

aut non amplior gratia ex vtroque, quàm vno ſolo, acquiratur. Ab his difficultatibus vt me breuiter expediã, ſic dico: Seruatorem ſæpè, & in vniuerſali Redemptione, & in particularibus gratijs exhibendis, nunc vno ſolo, nũc duobus vel pluribus inſtrumẽtis, ijſq; tanquã vno: nũc ſcilicet verbo tãtùm, vt in excitatione Lazari Ioã. 11. nũc verbo & tactu, vt in excitatione filię Iaïri, Marc. 5. & Luc 8. nũc ſputo ac luto Ioã. 9. nũc alijs atque alijs pro ratione ſignificationis, vel pro ſola voluntate, vſum fuiſſe. Et hîc quidẽ adhibuiſſe duplicẽ ſpeciẽ propter expreſſiorẽ mortis ſuæ repræſentationẽ, quæ ſacrificio cõgruebat potius, quàm Sacramẽto; & nõ propter neceſſitatẽ perceptionis, aut auctiorẽ gratiam cõmunionis. Et quod ad ſpecies diuerſas attinet, licet quidam putent eas nõ eſſe Sacramẽta, nec omnino cõferre gratiã in quauis parte, cùm id ſolis cõtentis tribuãt; tamẽ cõmodiùs dicitur, & reliquę inſtitutioni noſtrę cõgruentiùs, illas quidẽ eſſe Sacramentũ, ſed vnà cũ rebus cõtentis; & non conferre gratiam per ſe, ſed per res contentas: proindeq; ſi tota gratia ex integritate rei cõtentæ ad vtramlibet ſpeciem per ſe ſeorſum acceptam detur, non effici ex ſola diuerſitate aut repetitione ſigni ac ſpeciei, vt noua detur gratia. Non enim diſtincta Sacramẽta ſunt, ſed vnum completum ſignum, poſitum in duabus ſpeciebus, & propterea non aliam atque aliam gratiam ſingulæ ſimul aut ſeorſim conferunt. Quando ergo à Sacerdote aut alijs ſub vtraque communicatur, quia non completur actio Sacramentalis vſque ad poſteriorem ſpeciem perceptam, ex priore ſola gratia non percipitur. Quando verò communio completur vna ſpecie, tunc nihil tibi decedit ex ea quam non capis, ſed datur totum ex priore illa vnica, in qua perfeciſti communionem. Sicut in Baptiſmo Apoſtolorum, ſi vnquam baptizabant in ſolo nomine Ieſu, dabatur gratia tota per vnicum illud nomen. quando verò (ſicut nunc) reliquas perſonas addebant, tunc non illud nomen Ieſu per ſe tantùm, ſed cum cæteris conferebat effectum Sacramenti. Neque verò ex repetita actione eiuſdem Sacramenti

Reſponſio.

menti ad diuersas species percipitur noua gratia magis, quàm ex eo si duas aut tres hostias vno tempore, sed separatim sumas. Nec Sacramenta repetita renouant gratiam, nisi certo temporis interuallo pro ecclesiastica consuetudine distincta sint. Si enim quis præsumeret sæpiùs in die communicare, tantum abest vt gratiam ad singulas vices reciperet, vt peccaret magis. Et de æquali gratia ac fructu vnius ac vtriusque speciei, satis diximus.

Art. 5.

Communio vnius speciei non aduersatur Christo.

CAP. XLIIII.

Qvintvs articulus huius disputationis hoc continet, nec institutionem, nec præceptum, nec exemplum Christi efficere, vt vtraque species sit cuilibet communicanti necessaria. Nam his tribus Hæreticorũ vulgus contra Catholicos maximè certat, cùm priora capita penè non attingant. & de his ferè indifferenter agunt, quasi idem sit instituisse aliquid, & eius vsum præcepisse, & exemplo præijsse. Ex qua confusione & ignoratione quia multi populares errores extiterunt, de singulis distinctè & breuiter agemus.

1. Institutioni Christi nõ repugnat.

Primùm igitur vt de Institutione dicamus, ea propriè non pertinet nisi ad substantiam seu *esse* Sacramenti: vsum rei directè & immediatè non attingit, nisi tum quando res ipsa non est alia ab vsu rei. Quocirca Christus instituendo præscripsit modum faciendi ac existendi Sacramenti, deputans duo elementa tanquam materiam ex qua fieret, designãs consecrationum formulas, donansque potestatem consecrandi materiam, vt sic conficiatur & sit Sacramẽtum. Vsus autem in hoc Sacramento (quod sæpe dicendum est) quiddam planè seiunctum est, ac veluti finis rei institutæ. ad cuius variationem non sequitur ipsius Sacramenti aliqua mutatio, aut institutionis corruptio. Licet enim vsus rem institutam semper sequi debeat, cùm cuiusque rei institutio fiat propter aliquem vsum, tamen modus vtendi,

vtendi, qui locorum, temporum, personarumque conditionibus variatur, non semper vel potius nunquam dependet ab institutione. Nam institutio cuiusque rei (sicut & creatio) licet in vsum referatur, tamen est rei vt abstractæ ab vsu. Nec enim quæ instituta sunt, omnium vsibus, aut vt ab omnibus indifferenter fiant vel tractentur, ordinata sunt: sed ita propter communitatem ferè instituta sunt, vt non à singulis, sed ab aliquibus in communitate præstētur: veluti Sacerdotium, quo pauci & certi funguntur, licèt eius institutio sit generalis, vt rei ordinatæ ad publicum bonum omnium. Item Matrimonium, quo omnes possunt vti, cùm procreationis causa indifferenter instituatur, non continet tamen ex institutione generalem præceptionem vt omnes Matrimonium contrahant; imò nec si contrahant, vt concumbant, aut vt quouis tempore cùm velint & possint, id faciant. Adeoque nec ea quæ ferè ad singulorum vsum instituta sunt, vno etiam modo per omnia institutioni correspondente ab omnibus necessariò vsurpantur. Institutio enim Dei effecit, vt ad omnem penè victimam semper offerretur certa mensura similæ, vini, olei, thurisque, cùm tamen non omnes qui de sacrificij carne comedebant, de vino ac reliquis gustarent. Et quod nostram inprimis causam illustrat, multa hac vnica Eucharistiæ institutione contineri perspicuum est, quæ non possunt pertinere ad omnes, nedum præcipi singulis. Nam institutio inprimis oblationē, vel (quod isti etiam concedent) consecrationem, confectionem, dispensationemque continet. quæ tamen omnia (nec istorum sententià) omnibus communia esse possunt. In summa igitur, institutio rei cuiuspiam multum differt à præcepto, nec ferè continet expressum modum vsûs ac exercitij rei institutæ; vt propterea non teneat consequentia ista: Eucharistia instituta est in duabus speciebus: ergo mandatur vtriusque perceptio omnibus.

2. Precepto Christi non repugnat.

Sed secundo loco vrgent, præter institutionem, esse Præceptum de bibendo nō minus quàm de comedendo, vel aliquantò maius: cùm ad primam speciem institutam dixerit tantùm,

Accipite & manducate: ad calicem porrectum adiunxerit generalius, *Bibite ex hoc omnes.* Respondemus primùm, verba imperatiua quasi pręcipiendo prolata circa rerum institutiones naturales seu supernaturales, ferè esse instituentis, vim & potestatē dantis, non autē propriè mandantis aut pręcipientis. Cuiusmodi est, *Crescite & multiplicamini*, tam homini quàm reliquis animantibus vim ꝓpagationis tribuens. Sic verbū, *Baptizate omnes gentes*, nō est præcipiens, sed potestatē tribuēs: sicut illud in alio Sacramēto, *Accipite Spiritum sanctum, &c.* & præcipuè in hoc nostro, *Hoc facite.* Vbi nihil præcipitur, sed tribuitur facultas cōsecrandi, comedendi, & bibendi in hac summa Religionis cæremonia. Vnde sapiētissimè dixit Roffensis cōtra Lutherū, tantū abesse vt generaliter aliquid pręcipiatur omnibus de edendo aut bibendo, vt nisi aliūde ex traditione Apostolica & regula Ecclesiastica institueremur circa huius Sacramēti vsum, nunquā ausus fuisset quisquā post Apostolos illud aut cōsecrasse, aut sumpsisse, imò nec habuisse pro Sacramēto magis quàm Lotionem pedum. Deinde si quis nihilominus contendat in illo, *Bibite ex hoc omnes*, cōtineri pręceptum: certè nō nisi ad pręsentes Apostolos illud pertinebit. Nam Marc. ca. 14. eos impleuisse mandatū Domini narrat, dicēs: *Et biberunt ex eo omnes.* vt sic illud, *omnes*, nō ad posteros, sed ad pręsentes Discipulos dicatur. Neq; porrò ex illo Marc. 13. *Quod vobis dico, omnibus dico*, rectè colligitur id dici omnibus fidelibus, hoc ipso ꝙ Apostolis dicatur: cùm Dominus ibi exprimat, quòd de alia re loquatur cum inquit, *Vigilate.* Ea enim cura salutis pertinet ad omnes Christianos. sed reliqua commissa Apostolis non æquè mādantur omnibus: nisi velimus omnes in vniuersum homines posse docere, baptizare, cōsecrare, inungere ægrotos, &c. cùm hoc postremū ipsi Hæretici ita cōcedant Apostolis, vt cū ipsis totū ritum desijsse affirmēt. Hactenus ergo nihil conuincunt. Multoq; minùs efficiūt quod volunt ex eo, ꝙ de Pane & Calice indifferētur dicatur, *Hoc facite.* cùm illud, licèt ad vtraq; speciē pertineat, tamē nō ꝓpriè ad communionē, sed ad cōsectionem ac

Gen. 1.
Mat. 28.
Io. 20.

nem ac

nem ac consecrationē referatur. aut si quando accommodetur etiā sumptioni, nō tamē præscribit sumendū Sanguinē, sed tantum indicat vsum sumptionis si quādo sumatur. Hinc signāter Paulus 1. Cor. 11. cōditionaliter loquitur, *Hoc facite, quotiescunq; bibetis, in meā commemorationē.* Quod etiā de altera specie eodē modo intelligendū est, licèt id studio ab Apostolo circa Calicē tātùm adiectū esse nōnulli putēt. quod nobis nō placet. Neq; enim magis est præceptū de sumēdo pane, sed tātùm vt in memoriā fiat, quando sumitur. Ex Euangelio Ioannis quod afferunt: *Nisi manducaueritis & biberitis, &c.* pro necessitate bibendi, per hoc Aduersarij quidē nihil planè efficiūt, apud quos sextū caput Ioānis omnino nō pertinet ad Sacramētalem mā-ducationē: Nec apud nos Catholicos vllā prorsus vim habet, qui dicimus in qualibet specie & Corpus & Sanguinem sumi. Prętera nō semper cū de Sacramēto, aut re Sacramēti sumēda sermo est, statim de Sacramētali modo, seu in vna, seu in vtraq; specie fiat, cogitandū est: cùm Corpus & Sanguis sæpe ab alijs, & semper ab infantibus baptizatis sumantur citra Sacramētalem perceptionem specierum. Alioquin infantes baptizati nō haberent vitam nisi bibendo & comedendo in suis speciebus. Ista ergo præceptio coniuncta comminationi est generalis, & implenda (quod sæpè docet Augustinus) etiam in infantibus, qui tamē neutram speciem sumunt. Et in hac quidem sententia ita Corporis & Sanguinis meminit, vt de speciebus nihil dicat. In alijs porrò sententijs eiusdem cap. sermonem facit de vnica specie tantùm; sed tum eundem vitæ æternæ effectū tribuit illi vnicæ, quem nunc attribuit Carni & Sanguini, quia illa (vt diximus) ambo in alterutra specie sumuntur, idq; Sacramentaliter. spiritualiter enim vtraque sumuntur sine vlla specie. Ex his igitur planum est, nusquam in Scripturis extare expressum mandatum de vtraque specie semper percipienda. quemadmodum & illud Augustini ad Ianuarium docet: *Non* (inquit) *præcepit Dominus quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locū.* Ita ille.

Nisi mand. & biberitis.

Vide supra cap. 31.

3. Exemplo Christi non cogitur communio vtriusque speciei

Sed de exemplo Christi, an necessitatem vtriusque speciei inducat, deinceps videndum est. Cuius loci tractatio in simili argumento ex eadem Augustini Epistola ad Ianuarium peti potest. Vbi eleganter tradit, non id per omnia semper Ecclesię seruandum in Sacramenti huius administratione, quod antè à Domino in Cœna factum esse constat. Inprimis enim Dominus ministrauit hoc Sacramentum non ieiunis: quod nunc nō solùm non est necessarium, sed nec licet quidem. Christus consecrauit in pane azymo, vt antè probauimus: Ecclesia postea vniuersa confecit aliquandiu in fermentato ad Iudaicæ superstitionis condemnationem. Christus inter Panis & Calicis consecrationem aliquam partem Cœnæ & iustum temporis interuallum, gratiarumque actionem (vt videtur) aut sermonem interposuit: Ecclesia nunc, data opera, actione cōtinua vtramque benedictionem perficit. Christus distribuit priorem speciem, antequam consecraret alteram: nunc id facere non licet nec ipsi Hæretici faciunt. Christus cum consecrauit, communicauit etiam alios: cùm tamen Catholici sæpe sacrum faciant, in quo alijs non dispensant, idque sine omni peccato & Sacramenti corruptione, vt aliàs docebimus. Christus communicauit omnes præsentes, quod nec faciunt, nec necessarium iudicant ipsi Aduersarij. Christus denique (omnia enim commemorare longum esset) præter Apostolos, reliquos familiares, & in vniuersum mulieres omnes ipsamque matrem exclusit: Nos rectè omnes admittimus. In causa autem cur exemplum Christi hîc (sicut nec in alijs quidem) legis aut præcepti vim non habeat, sunt multę peculiares circunstantiarum rationes ab eius persona, tempore, loco, & rei adiunctis, tunc necessariò tenendæ: quibus nunc cessantibus, vt facti quoque ratio ac obligatio cesset, est necesse. Res tum postulauit, vt ad Legis impletionem ac immutationem Sacramentum Corporis & Sanguinis sui cōtinuò post esum Agni Paschalis exhiberetur: id nunc in Ecclesia locum nō habet. Sic erant res tum vt summum beneficium idemq; omnium beneficiorum monimentum,

Sup. ca. 12.

Infra lib. 2. ca. 37.

Causæ tum mouentes Christū, quæ cessant.

tum, quò rei memoria sanctior & diuturnior esset, non esset impertiendum nisi vltimo penè donatoris vitæ tempore, & nō nisi post inceptam Passionem, vt ieiuni tum commodè esse nō potuerint: nunc alia res est. Oportuit tum ingentem Discipulorum ex suis Dominique imminentibus periculis & abitione conceptam tristitiam Sanguinis maximè poculo leuare: Sic enim Ecclesia canit,

Dedit & tristibus Sanguinis poculum:
Dicens, accipite quod trado vasculum:
Omnes ex eo bibite.

In hoc enim salutari propinato poculo aliquandiu etiam post administratum Corpus, vt in vltimo omnium mortalium operum, suauissimum vale singulis dicere voluit. Proinde animans expressè omnes ad bibendum, addens se non bibiturum cum eis ampliùs, donec illud biberet nouum in Regno Patris, fecit quod ita tum factum oportuit. rationes nostræ ista nunc omnia non postulant. Illo porrò primo institutionis tempore, cùm adessent tantùm Apostoli, qui de vsu vtriusq; partis tam ad sacrificium, quàm ad Sacramentū instituendi erant, vtramq; speciem dari oportuit, ne iudicarent illum Calicem ad potum non parari, aut ritè hoc peragi sacrificium sine communione rerum oblatarum. In summa, actus Christi conficientis Sacramentum erat multiplex ac varius, nec eiusdem rationis cum nostro, qui vnicus & simplex est. Nos enim tātùm facimus aut percipimus Sacramentum seu sacrificium: ille autem præter ea quę nos peragimus, tum primùm instituit etiam Sacramentum. eodemque tempore dedicauit ac instituit Sacerdotium noui Testamenti, quod est alterum summum Sacramentum. simulque, communicantes ad vnum omnes in ipso opere communionis fecit Sacerdotes, dans seorsim (vt videtur) Apostolis potestatem super vtraque parte offerenda & percipienda. Omnibus autem facilè liquet, illic non esse exemplis solis nitendum, vbi diuersitatis tam multiplices extent rationes. Omninoque propter huiusmodi causas quas diximus, nullum penè

Sacramentorum ita prorsus administrari aut confici potest nunc, quomodo in prima institutione exhibitum legitur. Origines etiam rerum sacrarum obscuriùs ab Euangelistis cõmemorantur,& interdum etiam quædam præcipua;vt illud(quod ad rectam rationem administrandi valet plurimum)Christum seipsum communicasse. Et modus rituum peragendorum à Spiritu sancto potius suggeri Apostolis, quàm à Domino per se tradi solet. Quis enim mihi ex Euangelijs & Actis demonstrauerit, quo modo confirmati sint Apostoli & reliqui Discipuli,quomodo ipsi confirmarint alios? Quo modo Christum Ioannes; quo modo, & quibus verbis baptizarint Discipuli Christi,cum plures baptizarunt,quàm Ioãnes? quomodo Philippus Eunuchum,Petrus Cornelium? Tinctine fuerint, an aspersi tantùm, sicut nunc passim; an etiam planè immersi ac loti? nam Ioannes non baptizabat nisi vbi erat copiosa aqua; nec isti baptizabantur,nisi cum descenderant in aquas. De confectione Chrismatis, materiæque multiplicis Inunctionis variorum Sacramentorum nihil dico. Nihil de illo, quòd incertum sit,an ipsi Apostoli post præscriptam iam Baptismi formã ab ipso Christo, illam tamen ad tempus opportunè mutarint. Omitto hîc alia innumera, quæ in Sacramentorum administratione ad rei substantiam non pertinent, sed accidentaria sunt,& propterea à Christo vel Apostolis vsitata, posteris exempli aut præcepti necessitatẽ non inijciunt. Cuiusmodi sunt, quòd in communibus ædibus, in vulgaribus vestibus,in profana mensa, ad vesperum diei,post pocula & largum epulum, in vno pane postea in particulas frangendo, cum numero Discipulorum certo,id est,duodenario,consecrauit. Hæc enim & similia aduentitia sunt, nec ita necessariò obseruanda, quin ipse Paulus eorum multa abrogauerit inter Corinthios,Epist.1.ca. 11.& Ecclesia Dei tandẽ reliqua etiam (vt nunc sunt tempora) in melius mutauerit. Illa autem quæ paulò antè commemorauimus,plæraque magis ad substantiam ipsamque formã & materiam pertinere videntur Sacramentorum, & minùs prætermitti

Io.3.4.

mitti

mitti posse, quàm vna pars signi aut speciei Eucharisticæ. Quæ vtcunque sit de integritate Sacramenti, sicut manus de perfectione hominis, tamen indubiè non est de essentia Sacramenti, ita vt si ea tollatur, Sacramentum non existat: quomodo *esse rationis participem*, est homini essentiale, vt si tollatur, homo ne sit omnino. Deinde etsi sine vtraque parte Sacramentum omnino non esset, tamen perceptioni aut communioni deesse vnam partem, accidens foret Sacramento, nec quicquam in eius natura mutaret; quia ipsa in vniuersum sumptio, sicut reliquus vsus, est huic Sacramento externum quiddam, & ad substantiam planè non pertinet. Proinde, quæcunque fuerit Ecclesiæ circa vsum varietas, non attingit substantiam Sacramenti; sicut fingunt qui in hac re Ecclesiæ volunt Christi vel Apostolorũ exemplis præscribere. Ex quibus omnibus facilè intelligimus, quàm inualidum sit, ipsorum facta semper in exemplum trahere; quæ vt certis temporum ac personarum priuilegijs bona ac legitima fuerunt, ita posteris non semper licita sunt, & nunquam per se ad imitationem necessaria.

Pro vnica speciei communione Exempla Christi & Apostolorum.

CAP. XLV.

MAGIS autem adhuc videbitur, quàm hæc nostra defensio sit legitima, si doceamus non certum esse, quòd Christus in omni huius Sacramenti dispensatione semper dederit vtranq; speciem. Si enim ille indifferenter nunc vtraque, nũc altera tantùm communicauerit suos; addo, si Apostoli etiam nonnunquam vna, nonnunquam ambabus vsi fuerint; addo adhuc, si eadem libertate multis seculis vsa sit omnis posteritas: nihil profectò promouebunt isti exemplis in vnam partem, quæ & in alteram partem suppetere docebuntur. Nam factorum ita indifferentium imitatio debet esse libera. Non negamus ergo, Christum, Apostolos, & Patres administrasse vtramque speciem: sed porrò asserimus, eosdem

eoſdem vnam tantùm ſæpe diſpenſaſſe & fidelibus permiſiſſe: quod feciſſent nunquam, niſi illud quoque legitimum eſſet, Chriſti inſtitutioni ac Sacramenti naturæ conſentaneum.

1. Exemplũ Chriſti pro vna ſpecie.

Damus ergo exemplum Chriſti Luc. vltimo diſpenſantis vnam tantùm ſpeciem, in Emaünte, Cleophæ & ſocio, paulò poſt Reſurrectionem, cùm ex fractione panis dicuntur agnouiſſe Dominum. Illum enim panem fuiſſe conſecratum in Euchariſtiam, & contextûs verba declarant, & ſummorum Theologorum interpretationes conuincunt, & admirabilis effectus, hoc eſt, oculorum animi & corporis apertio ad agnoſcendum Dominum demonſtrat. Quoad rei geſtæ hiſtoriam ergo: videmus omnem actionem Euchariſticæ cõſecrationi ſimillimam. *Accepit* (inquit Euangeliſta) *panem, benedixit, fregit, porrexit illis.* Multæque ſunt cauſæ quamobrem probabiliter iudicemus, non fuiſſe vulgarem menſæ conſecrationem, ſicut Hæretici nugantur. Primùm, quia nuſquam hunc morem benedicendi menſam à Chriſto ſeruatum conſtat; cùm frequentiſſimè tamen & inimicorum Iudæorum, & fidelium amicorum, ſanctarumque fœminarum & Diſcipulorum conuiuijs interfuiſſet. Luc. 5. 7. 10. 11. 14. 19. Ioan. 2. 12. 21. Marc. vltimo. Apud Ioannem quidem & Marcum cap. 6. vtriuſq; Euangelij, quãdo miraculum in panibus & piſcibus, eorumq; admirabilem mutationem ſeu multiplicationem operatus eſt, tunc huic penè ſimili actione vſum legimus. Sed ad communem gratiarum in menſa actionem nihil tale reperimus. Præterea ſi benedictio menſæ fuiſſet iſta, fieri debuit cùm primum accumberent, indifferenter ſuper omnibus cibis & potibus tum propoſitis, idque (more Iudaico) à patrefamiliàs, & non à peregrino. Nec fuiſſet tam memorabile illud, vt ab Euangeliſta tam seriò tantoque molimine narraretur. *Factum eſt* (inquit Lucas) *dum recumberent.* En tibi rem inſuetam, quaſi in media refectione ſelegit è cæteris cibis ſolum panem, vt eum benediceret: illumq; *in manus accepit*, quod non ſolet fieri dum benedicitur aliqua res in menſa; eumque acceptũ in manus, *cùm benedixiſſet, fregit* ſolen-

solenniter, quod nec ipsum est vulgare in gratijs mensalibus, sed ita proprium est in Scriptura actionis Sacramentalis, præsertim apud Lucã, vt is tam in hoc loco, quàm passim in Actis Apostolicis vocet dispensationem Sacramenti *fractionem panis.* sicut etiam Paulus. 1. Cor. 11. *panis quem frangimus*, dixit. Accedit deniq; illud, quòd Dominus sua manu fractum panem porrigebat præsentibus, quod non fit, cùm res comedendas benedicimus, nec ferè nisi in Sacramenti distributione reperitur. Et hoc maximè vrget auctor Operis imperfecti in Matthæum, inter Opera Chrys. Hom. 17. docẽs, peculiarem prærogatiuam esse Sacramentalis panis, vt cùm cætera cibaria omnia de mẽsa manducentur, ille solus de porrigentis manu accipi debeat. *Vnde Dominus* (inquit) *in via non solùm benedixit panem, sed & manu sua dedit Cleophæ & socio eius. Quod autem de manibus porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus: quia illud non solùm sanctificatum est, sed ipsa sanctificatio est, & sanctificat accipientẽ, &c.* Hac igitur rationum & circunstantiarum collatione, probabile esse videmus, si non etiam certum, hîc à Christo Eucharistiam factam esse. Nam certè vt sit vulgaris benedictio, fieri nõ potest. Sed & id quoque Veteres concordissimè tradiderunt. Nam & auctor Operis imperfecti loco commemorato prolixè prosequitur hanc de Sacramento loci expositionem: & Augustinus sæpissimè vt lib. 3. de consensu Euang. ca. 25. & in sermonibus, ser. 2. & 3. Festi Paschalis. & Epist. 59. ad Paulinum, ipseque Paulinus Epistola præcedente. & venerabilis Beda super illud Luc. vltimo, *Cognouerunt eum in fractione panis.* Deniq; Theophylactus super eundem locum. Atque hos vt de Eucharistia interpretarentur, commouit, præter formam actionis etiam admirabilis effectus in apertione sensus Discipulorum, dum perciperetur. *Insinuatur quoque illud* (inquit Theoph.) *quòd oculi eorum qui benedictum panem assumunt, aperiuntur vt agnoscãt Dominum. Magnam enim & indicibilem vim habet caro Christi.* Ita ille. Quo modo etiã Augustinus locis citatis. *Per Sacramentum panis* (inquit) *aufertur impedimentum inimici, vt Christus cognoscatur, &c.*

Chrysost. Aug. Paulin. Beda. Theoph.

tur,&c. Beda etiam inde notauit, neminem posse cognitionē Christi habere, nisi in Corporis sui, hoc est, Ecclesiæ vnitate, cuius hoc est Sacramentum. Sic isti: Vt mirū non sit hodie tam multas sectas summa cæcitate passim laborare, cùm hoc Sacramentum inprimis repudient omnes, in quo totius Religionis lux & sensus continetur. faxit Deus, vt semel de hac parte Religionis rectè sentiamus, ne Christus tandem & nobis, vt Gentibus ac Iudæis, reddatur prorsus incognitus. Non me fugit, esse quosdam Hereticorum, qui fractionem hanc panis volunt eleemosynam significare: & istos ex fractione panis dici agnouisse Christum, quòd propter misericordiam in eum quem peregrinum existimantes hospitio ac conuiuio acceperunt, vicissim ab ipso oculorum apertione compensati sunt. Sed indignū est hoc quòd nos remoretur, cùm planum sit, fractionē istam panis non fuisse actionem Cleophæ aut socij recipientis Dominum, sed ipsius Domini inuitati. Captarunt tamen occasionem huius fraudulentæ expositionis ab eo, quòd Beda & alij laudent in istis Discipulis charitatem & hospitalitatem: cuius merito factum esse dicunt, quòd Dominus se illis manifestauerit. quod fecit quidem, sed per Corpus suum in Sacramento illis traditum, vt ipse Beda dicit. Sed ex alia nunc parte potius resistet Hæreticus: concedens scilicet, de Sacramento hîc agi; sed non item, quòd in eadem mensa vinum non consecrauit, licet id Scriptura taceat: quia argumenta à testimonio negatiua non valent. Nec ferè valent quidem, & nos illo genere hîc non vtimur. Non enim tam argumentamur, Christum non tradidisse Sanguinem, quia de eo nihil narrat Euangelista, quàm quòd statim ad porrectum panem agnitus euanuerit, vt iam postea consecrare sanguinem non potuerit. Quanquam hîc certè leue nō est argumentū vini prætermissi, quòd solius panis Scriptura meminerit: maximè, quòd Eucharistia toties dispensata etiam ab Apostolis (vt ex Actis liquet) nihil tamen dicatur de vino, cùm expressè vbique commemoretur species panis. Nam quòd Synecdoche semper hîc

Ad secundā oustionem Hæreticorū.

vteretur Lucas, vsurpans nomen vnius partis vbique pro toto Sacramento, vbi tanti potuit erroris esse periculum, quomodo est credibile? Denique nunquam admittendæ sunt figuræ, vbi sensus planus propriaque sententia literalis actioni Ecclesiasticæ rectè congruit. Quod ex Aduersarijs nonnulli animaduertentes, & subuerentes ne iusta hinc possit esse suspicio de administratione Sacramenti sub vna specie, aliò omnia illa loca de fractione panis Apostolica, detorserunt; vt vel eleemosynam, vel frugalitatem victus, vel Christianorum Agápas, vel communia conuiuia significet: tamen plærique eorum ex his nonnulla etiam ad Sacramentum referunt.

Sunt autem præcipua loca praxis Apostolicæ ista. primò, Act.2. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Vbi loquitur de eorum, qui planè primi conuersi sunt ad fidem, exercitijs, statim postquam baptizati sunt: tum autem de more sumenda erat Eucharistia. Agit apertè de his rebus quæ ad cultum religionis Christianæ propriè pertinent: in illis autem præcipuè locũ habet Eucharistia. Dicit eos perseuerasse *in communione fractionis panis*: illud autem non potest significare Christiana cõuiuia, in quibus vel sanctissimis perseuerare nõ esset laus Christiani hominis, sed Epicurei; Eucharistiã verò significare optimè potest, vtpote quã primi Christiani quotidie frequentabãt. Erat enim Sacramentũ in quo fideles cõgregabantur. Insuper pro verbo *Orationibus* Græci habẽt προσευχαῖς, quod Augustinus ad Paulinum Epist. 59. vult propriè pertinere ex vsu Ecclesiastico ad illud genus precum & votorum, quo Ecclesia vtitur inter frangendum & distribuendum Sacramentum. Denique communicatio seu κοινωνία coniuncta fractioni, quæ apud Paulum Lucæ præceptorem propriam Eucharistiæ cõtinet descriptionẽ, vt illic, *panis quem frangimus, nonne communicatio &c?* facit certum de Sacramento sensum. Illud alterum in eodem capite paulò inferius, *frangentes circa domos panem*, non tam certò

1. Exempla Apostolorum pro vnica specie. Act. 2.

dixerim de Sacramento intelligi, quia Chrysostomus aliquando pro concione, frugalitatem hîc in nomine *panis* annotat. licet à multis non malè, & magna probabilitate de Eucharistiæ administratione exponatur. Sed locum illum Act. 21. *Vnâ autem Sabbathi cùm conuenissemus ad frangendum panem*, non est dubium intelligi de Eucharistia. Nam & tempus notatum est studiosè, significans illum Diem quo in primitiua Ecclesia (teste Iustino) solebant fideles congregari ad conuentus sacros; qui erat prima Sabbathi, hoc est, Dominicus dies: & reliqua narratio planè quadrat, dicente Luca quòd Paulus manserit Troade septem diebus, expectans vnam Sabbathi, vt in ea multò ante lucem conuenirent Fideles, in magno cœnaculo, lampadibus copiosissimè illustrato, ad frangendum panem, & ad institutionem in Religione capessendã. De quo loco sic cõtra Priscillianistas scribit Augustinus Epist. 86. ad Casulanum: *Paulus* (inquit) *hîc frangebat panem in Dominica, sicut frangitur in Sacramento Corporis Christi, habuitq; & ante, & post celebrata Sacramenta sermonem ad populum.* quod & Beda repetit in hunc ipsum locum Actorum Apostolicorum. Si quis illud quoq; cap. 27. vbi Paulus dicitur in naui, in conspectu omniũ fregisse panem, gratias egisse, & cœpisse manducare, referat ad Sacramentum, habebit omnes penè Catholicos consentientes, & Auctorem Operis imperfecti in Matth. loco citato, & circunstantias rei gestæ sigillatim & accuratè à Luca commemoratas: per Paulum quidem sumptionem *panis*, Deo in conspectu omniũ gratiarum actionem, fractionem, & manducationẽ; reliquis verò *cibum* sumentibus.

Act. 21. — *In Apolog. 2.* — *Aug.* — *Beda.* — *Act. 27.*

Replica Hæreticorum ad hæc exempla Christi & Apostolorũ. An æque cõsecrari posse vnicã speciẽ, doceant exempla.

At hîc obijciunt Hæretici, ea quæ attulimus si valeant ad Sacramenti vnicam speciem communicandam, non minùs valere ad consecrandam vnicam speciem, quod tamen nec à Catholicis nostris vsurpatur aut probatur. Respondeo, locum quidem de Christi exemplo, videri planè ad vtrunque pertinere. & proinde doctissimi Theologi, vt Adrianus & Alexander, non putant esse iuris diuini & de necessitate Sacramẽti seu Sacrificij,

 crificij,

crificij, vt vel consecretur semper sub vtrâque specie. Cùm & necessitatis causa, vbi est summa vini penuria (vt in quibusdam partibus Septentrionalibus, quibuscum, vt Volaterranus memoriæ prodidit, aliquando ab Innocentio Quarto dispensatum est, vt sub panis tantùm specie conficerent) & alijs nonnullis occasionibus accidere possit, si istis Auctoribus credimus, vt Sacrificium Missæ, apud nos etiam, sine vini specie verè, si non rite etiam, peragatur. Vt si sacerdos ex inaduertentia aquam in Calice pro vino posuerit: aut si graui errore putet se Calicem consecrasse, cùm non consecrarit: aut si postquam consecrauerit primam speciem, repererit aquam pro vino in Calice positam, cùm iam vinum ad complendum sacrificium nullo modo haberi possit. quæ omnia sæpè accidere possunt. In his ergo omnibus quis audet affirmare, verum sacrificium non peragi in illa sola priori specie? aut in posteriori, si aliquid tale accidat in priori? aut omnibus modis sic præcipi vtriusque oblationē, vt nulla occasione, aut rerum necessitate, nec Christus ipse aliter consecrare, nec Ecclesia vnquam dispensare queat? Equidē nihil hîc statuo: illud solum asseuero, quod Christi exemplum sic consecrantis in vnica specie, Ecclesiæ ad imitandum nō esse propositum; & tamen eiusdem factum ibidem distribuentis vnicam speciem, Spiritus sancti suggestiōe fuisse Ecclesię imitabile, vsus orbis Christiani declaret. Quæ tamen ex Apostolorum Actis commemorauimus, ea ferè omnia possunt ita pertinere ad dispensationem Sacramenti, vt consecrationem non attingant. Nam *fractio panis*, licet abusiuè nonnunquam referatur ad totam actionem consecrationem & distributionē complectentem, tamen propriè distributionem, non consecrationem significat. Quo sensu sæpè in Actis accipi, eò magis credimus, quòd illo rerum statu, cum perseuerabant in Communione, & per singulas domos frangebant panem, multò sæpius pluribusque in locis dispensasse, quàm consecrasse videatur: & quòd probabile sit, in illa communicantium numerositate & summa paucitate ministrorum, cùm præter Apostolos

 penè

penè nulli essent sacerdotes, Sacramentum in panis specie copiosissimè confectum, reseruatum fuisse, vt ita præsanctificatum fidelium necessitatibus nunquam deesset. Nam *fractio panis* significat administrationem Sacramenti siue tum confecti, siue antè consecrati. Nec potest esse dubium, quin Apostoli primum dederint reseruationis exemplum, cum ea res postea in generalissimum Ecclesiæ vsum recepta sit.

Reseruatio Sacramenti.

Praxis Ecclesiæ post Apostolorum tempora pro indifferentia vtriusque vel vnius speciei.

CAP. XLVI.

SI iam reliquas Ecclesiæ ætates post Apostolorum tempora lustres, indifferenter & vnius tantùm, & vtriusq; exempla illustria occurrent. Falsissimum enim est, Communionis alterius speciei mille primis Ecclesiæ annis (quod Hæretici fingunt) nullum extitisse monumentum. Quin illud contrà constat, nusquam esse memoriæ proditum, vbi fuerit hoc genus communionis reprehẽsum à quoquã homine Ecclesiastico, hoc solo nomine quòd vnius speciei esset. Ego in hac re tantam fuisse libertatem Antiquitatis iudicauerim, vt pro Ecclesiæ in qua quisque versaretur more ac consuetudine, & pro personarum ac temporũ ratione, vel vna, vel altera, vel vtraque species commendaretur. Quæ rei indifferentia vel ex eo facilè patet, quòd harũ variarũ consuetudinũ origines semper ignotæ fuerint, nec ad quenquã certũ auctorẽ referri queant. Quod indicium summum est liberæ traditionis Apostolicę circa rem indifferentem, pro Ecclesiæ sapientia nunc hoc, nunc illo modo constituendã. Tempore iam S. Thomæ in multis Ecclesijs vnâ, in alijs vtrâq; communicatum esse, ipse testis est p. 3. q. 80. ar. 12. Adeoq; vnius tantùm vsum apud Latinos consuetudine immemorabili, cuius nullus auctor extiterit, confirmatũ fuisse longè ante Basileense & Constãtiense concilia, ex ipsorum Decretis cõstat. Quo tẽpore primũ cœpta est illa perceptiõis ratio

ratio à Vvicleffo, Hieronymo Pragensi, & Husso, vel à Petro Dresensi, ac Iacobello (vt Æneas Syluius in lib. de origine Boëmorum auctor est) reprehendi. Qui omnes de hac Hæresi damnati sunt maximè in 13. sessione Constātiensis synodi; quomodo postea propter eandem renouatam Lutherus, Caluin', & cæteri similes in Tridentino Concilio.

Auctores hæresis de necessitate vtriusque speciei.

Sed quia hîc antiquitatis notitia valdè iuuabit, breuiter ad vtriusque vel alterius speciei indifferentiam conuincendam, hanc sequimur argumentationis & historiæ methodum. Obseruamus primùm, in omnibus penè Ecclesijs reseruatum fuisse Sacramentum, si quid non consumptum in sacrificio maneret; prouisumque id esse semper, vt superesset aliquid ad Fidelium communionem etiam extra sacrificium; quod facilè colligimus ex 14. can. Concilij Niceni: vel ad ægrotātium & morientium Viaticum, vt 13. can. eiusdem Concilij: vel ad priuatam ac domesticam communionem, cùm Fideles plerique domi suæ partem Sacramenti reconditam haberent. Cuius communissimæ consuetudinis, eo maximè loco & tempore cùm persecutiones vigebant, vt tutò Ecclesiæ adiri non potuerint, locupletissimus testis est Tertullianus lib. de Oratione, & ad vxorem lib. 2. & Cyprianus ser. 5. de lapsis, & Hieronymus in Apolog. pro libris suis contra Iouinianum. qui mos durauit etiam ad Bedæ tempora, vt ex eius lib. 4. historiæ Anglorum cap. 24. constat. Reseruabatur etiam ab eis qui solitariam vitam ab Ecclesijs & vrbibus remotissimam degebant, vt quando vellent, sumerent. Hinc multos in Ægypto narrat Basilius in Epist. quadam ad Cæsaream Patriciam, *Sacramenti plurimum semper domi habuisse.* Item seruabatur ad vectationem, vt tutamen esse posset in itinerum mari terraque faciendorum periculis. quod intelligimus ex historia memorabili Satyri fratris Ambrosij ab ipso Ambrosio descripta, & Tharsitij Martyris apud Bedam in Martyrologio ad 15. Augusti. Præterea seruabatur ad dispensationem, ac communionem publicam siue sacerdotum, siue laicorum,

Reseruatio Sacramenti, & eiusdem causæ variæ.

certis quibuſdam ieiuniorum ſolénium diebus quibus ex more Eccleſiaſtico Sacrificium peragi non ſolebat,&proinde nec conſecrari. Sacrificium enim eſt actus lætitiæ, & temporibus publici luctus ſæpe non fiebat. Hinc Græci in Quadrageſima non conſecrabant niſi duobus in ſeptimana diebus,Dominica & Sabbatho: reliquis diebus ſumebant de præſanctificatis, & appellabatur Liturgia προηγιασμένων. Vide 52.can. Conſtantinop.Concilij.Hieroſolymitani quoque (teſte Leone.9.ad Michaëlem Conſtantinopolitanum) ſi quid ſuperfuerat Euchariſtiæ,reſeruabant in Pixide ad communionem proximæ diei. Latinæ inſuper Eccleſiæ omnes teſte Innocentio.1. (Tom 1. Conc.)Epiſt.ad Eugub.Epiſcopum, id ex Apoſtolica traditione obſeruant,ne illo biduo Paraſceues & Sabbathi ſancti,cum Apoſtoli in mærore fuerunt, vnquam Sacramenta celebrent, ſed ex præſanctificatis faciant Communionem.Quod in hunc vſque diem ſeruati videmus. Aſſeruabatur etiam antiquitus in Ro.Eccleſia(teſte Euſebio lib.5.hiſtoriç cap 24.) vt in ſymbolum pacis ac communionis Eccleſiaſticæ,ſolenniter tranſmitteretur externis Epiſcopis & Preſbyteris Catholicis, ad Vrbē Religionis iuuandæ cauſa venientibus. Denique ad cultum,ad ſolennes ſupplicationes, ad miraculorum & ſanitatum operationes,ad abigendos dæmones, alijsq́ue de cauſis plurimis, aliquot ſeculis aſſeruatam Euchariſtiam omnium Eccleſiarum monimenta teſtantur. His ita conſtitutis, inquirimus deinde, in qua maximè ſpecie reſeruabatur,vel(quod idem eſt)cōmunicabatur ex reſeruatis. Ac per ſe quidem indifferens eſt, nec quicquam intereſt in qua ſpecie aſſeruetur,vnâ, alterâ, vel ambabus. Vnde apud Chryſoſtomū Epiſt. priori ad Innocentium, aſſeruatam fuiſſe Euchariſtiā videmus in Eccleſia Conſtantinopolitana in ſpecie Sanguinis: apud Hieronymum, ſeruatam & geſtatam in vtrâque ſpecie ab Epiſcopo Tholoſſano Exuperio,Epiſt.ad Ruſticum. *Nihil illo*(inquit)*ditius,qui Corpus Domini in caniſtro vimineo,Sanguinem portabat in vitro.* Et D.Iuſtinus Apolog. 2. narrat aliquid & de Pane & de Calice tranſ-

Reſeruatio oſtenatt indifferentiā.

miſſum

missum ad absentes. Sed asseruatio in vnica specie panis multò communior inuenitur; quæ & ad Sacramenti reuerentiam est semper visa commodior. Nec alio modo in omnibus ferè Patrum locis commemoratis vt asseruaretur, fieri potest. Siue enim domi diutiùs seruabatur, sicut in persecutiōe: siue ad longa itinera, siue ad vsum Eremitarum, siue ad communionem Græcam Quadragesimalem, quæ quinque continuis diebus ex præsanctificatis fiebat, non nisi in panis specie esse potuit. Quid enim potuit committi in Christum Religionemq; contemptius, quàm modicum vinum cōsecratum, quod facillimè vel æstu, vel frigore, vel motione corrumpitur, varijsque casibus necessariò effunditur, vel calidis, vel frigidis regionibus, vel longis itineribus asseruare ad multos dies, nedum (quod Eremitæ faciebant) ad aliquot menses? Deniq; mos ille Quadragesimalis Græcorum apertè conuincit cōtra Hæreticos indifferentiam. Cùm enim aliàs Græci in vtraque specie Communionem faciant, tamen ex præsanctificatis cum communicant, non nisi vnica specie panis vtuntur. Insuper nec Latini vnquam, cùm ab ipsis Apostolorum temporibus vsi sint præsanctificatis ad communionem illius sacri bidui mortis Dominicę, aliam quàm vnam panis speciem reseruarunt: cùm tamen biduum saltem, vtcunque commodè, altera etiam pars custodiri potuisset. Eademque Ecclesia nostra, præ Græcanicis & alijs omnibus orbis Ecclesijs, optimè semper & sensit & fecit circa venerabilem Eucharistiam; id semper eligens in rebus indifferentibus, quod ad commoditatem fidelis populi & honorem Sacramenti maximè valeret. Videre enim licet in Epistola Leonis. 9. ad Michaëlem Imp. nuper citata, quomodo Græci Eucharistiā relictam à sacrificio sæpè infoderint in terra, alijsque modis irreuerenter tractauerint. Nec verò solùm rei congruentia probat asseruationes istas factas fuisse maximè in panis specie, sed ipsa quoque testimonia prædictorum Patrum; quæ aut exprimunt solum Corpus reseruatum, aut certè necessariò de eo solo intelliguntur. Quod enim seruabatur à

2. Ab ipsis verbis Patrum.

Fidelibus domi, apud Hieronymũ dicitur *Corpus Christi.* Quod apud Cyprianum est, vocatur *Sanctum Domini in arca.* Quod circumferebatur apud Ambrosium, dicitur *inuolui in orario, & ad collum ligari.* Quod portabatur à Tharsitio Martyre, sic componebatur in eius veste, vt reperiri ab Ethnicis non potuerit. Quod Leoni asseruabatur in Hierosolymitana Ecclesia, custodiebatur in pixide. Quod apud Paulinum est, ab Ambrosio iam moriente deglutiri non potuit. Quæ omnia & alia plæraque intelligi non possunt nisi de specie panis.

Intincta Eucharistia probat indifferentiã cõmunionis.

Deinde & illud animaduertimus, in primitiua Ecclesia tantam fuisse indifferentiam & libertatem in vsu specierum, vt cum propter ariditatem oris aut imbecillitatem, ab his qui in extremis erant, Eucharistia sicca percipi aut deglutiri non potuerit, tum madefacta vel communi vino, vel etiam consecrato, ori infunderetur, aut per modum offulæ perciperetur. Nam id iubet Conc. 4. Carthaginense cap. 76. præcipiens ori ægrotantis infundi Eucharistiam. & Toletanum 11. cap. 11. talibus haustum sacri Calicis sufficere ad communionem declarat. Est autem interdum in antiquitate difficile scitu, vtrum sic infusa Eucharistia, cuius sæpè fit mentio, significet tantum speciem Sanguinis, an Corpus tantùm alicui liquori non consecrato immistum, an idem Corpus Sanguine ipso humectatum vt commodius perciperetur. Quorum omnium quicquid fuerit, non dicent Aduersarij esse Communionem quam flagitãt. Itaque omni modo existet contra necessitatem Communionis sub vtraque specie argumentum: maximè, quia intingebatur solum propter deglutiendi commoditatẽ, non propter alterius speciei necessitatem. Illud igitur Eusebii lib. 6. Hist. cap. 44. de Serapione moriente, cui dicit sacerdotem transmisisse per puerum, cum ægrotaret ipse, parum Eucharistiæ, vt infusum præberet, illiusq; ori instillaret: quibusdam putatur fuisse Corpus, quod volebat madefieri, & sic infundi: aliis videtur fuisse Sanguis reseruatus communiter in Ecclesiis propter huiusmodi difficultatẽ senibus laborantibus obuenire solitam.

Porrò

Porrò quod narrat Prosper lib. 4. de prædict.dimid.temp.cap. 6.in Ecclesia Carthaginensi Eucharistiā tinctam, datam fuisse puellæ cuidam dæmoniacę, cuius guttur ita obsederat Satan, vt 82. dies corpore sano & valido nihil prorsus deglutire potuerit: *Peracto sacrificio*(inquit)*matutino,cùm puella inter cateras breuem particulam corporis Domini tinctam à sacerdote perciperet, semihora mandens trayçere non valuit,dæmone adhuc nondum fugato,&c.*Ex his verbis conijcio,Communionem exhibitam aliis in vnica tantùm Corporis specie, puellæ peculiariter tinctam fuisse in Sanguine propter traiectionem faciliorem. Deinde paulò pòst: *Faciem igitur puella sustentante sacerdote,ne fortè Sanctum proyceret, & Pontifice admonitione cuiusdam adstantis Diaconi applicante salutarem Calicem gutturi eius, Sacramentum quod adhuc ore gestabat, cum laude Redemptoris statim transglutiuit. Tum lætitia,tum voces in gloriam Dei. Et oblatio gratiarum actionis rursum pro ea fit,sacrificijq; percipiens certam partem, prisco reddita est vsui.* Ita Prosper, docens puellam iam sanatam iterum communicasse perceptione vnius partis sacrificij, quam antè vocauit idem auctor *breuem particulam Corporis Christi tinctam.* Ex omnibus his id liquet, in antiquitate indifferens saltem fuisse & liberum, magnam vel paruam Sacramenti partem, vnam vel alteram,simul vel seorsim, mixtim vel separatim species Sacramentales percipere.

Hæc autem Aduersarij non tam soluunt, quàm fuga sibi consulunt, respondentes, se non posse diffiteri, quin antiquitas sæpe communionem vna specie peregerit,nimirum in priuatis ædibus, in mari, in cryptis, in syluis, &c. sed publicè in Ecclesijs, sacerdotum ministerio id vnquam factum pernegat. Quibus, D. Hieronymi verbis in Apologia contra Iouinianum rectè responderis: *An alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licebit.* Sacramenta quæ olim Apostoli per domos administrabant, non fuerunt alia quàm quæ postea in Ecclesijs publicè dispensata sunt. Baptismus domesticus non minus requirit ad necessitatem,

quàm publicus. Nec Viaticum infirmorum aut Eremitarum, domi aut foris, aliud est aut minùs sacrum, quàm idem publicè in Ecclesia sumptum: cùm Christus aliud Sacramentum non destinarit priuato, aliud publico vsui. Deinde, historiæ extant plurimæ etiam de publicis Communioribus alterius partis. Nam hæc ipsa, quam puellæ in vrbe Carthaginensi administratam diximus, publica fuit, facta in solenni conuentu, in Ecclesia S. Stephani, in matutino & summo sacrificio. Præterea Cyprianus ser. 5. de Lapsis, simile narrat de solo Sanguine administrato in suæ vrbis publica Ecclesia, seipso præsente. Diutissimè etiam in Ecclesijs, præsertim per Africā, infantes Communionis sacræ vnà cum cæteris semper fiebant participes, vt ex hoc ipso Cypriani loco, & aliorum monimentis videre licet: eos autem non in alia quàm in Sanguinis specie communicari potuisse manifestum est. Hìc rursus tergiuersatur Hæreticus & dicit, vtcunque dispensatum fuerit infantibus, tamen toti populo communiter non nisi sub vtraque specie distributum fuisse. Quasi disputemus quid fuerit positum in communissimo vsu antiquitatis, & non solum quid veteres tanquam licitum exercuerint pro rerum & temporum ratione, sine Sacramenti vllo detrimento; scientes, nō minùs illos verum percepisse Sacramentum qui in vna qualibet specie, quàm qui in vtraque sumpserunt. Quanquam nec illud Aduersarijs facilè erit ostendere, omnes Ecclesias antiquas populum communem publicè semper vtraque specie communicasse. Contraque potiùs valde probabile est, & nescio an certum, Ecclesias Anglicanas etiam ante tempora Bedæ præbuisse publicè plebi fideli solam panis speciem, sicut hodie. Vide lib. 2. Histor. suæ Gentis ca. 5. Idem colligitur ex Nicephoro, aliquando factum fuisse Constantinopoli, in historia mulieris Macedonianæ sectæ, quam aliàs allegauimus. Et Gulielmus Abbas lib. 1. vitæ Bernardi idem factitatum insinuat in monasterio Clareuallēsi per Bernardum. Id quod etiam, tametsi nulla essent antiquitatis aperta testimonia aut exempla Maiorum mandata literis, tamen ra-

Vnius speciei cōmunio in Ecclesijs publicè.

Sup. ca. 26.

Rationes ex antiquitate pro Commu-

men ratione facilè liceret efficere. Quæro enim qui fieri potuerit, vt commodè ab omnibus communicaretur sub specie vini, tum cum in vna vrbe amplissima, ferè nō nisi vna esset Ecclesia, & in ea penè non nisi vnum sacrum, vt Aduersarijs inprimis placet, qui istas priuatas seu minores Missas in primitiua Ecclesia non agnoscunt: cùm ingens fuerit percipientium numerus, & Communicationis ad singula sacra quotidianus & frequentissimus vsus, quî fieri potuit, vt vna cōsecratione, Sanguinis tanta copia efficeretur quæ posset tam numerosæ plebi sufficere? Ex quo vase debuit consecrari? certè in omni historia Ecclesiastica, non nisi ex Calice manibus tractabili, vnde & bibi honestè posset, vnquam confectum Sanguinem legimus. Neque enim decuit, neque licuit, neque institutioni Christi, aut Sacramenti mori congruebat, vt ex dolijs aut alijs similibus vasis vinatijs conficeretur. Supersunt adhuc in quibusdam Germaniæ Monasterijs primorum eius gentis Apostolorum Calices (quod Rhenanus in Tertullianum non negat) valdè parui, ex quibus aliquot millia hominum vel tantillum bibere non potuerant. Calices aurei & argentei à Constantino donati Ecclesię, pendebant singuli libram vnam, vt ex vita S. Syluestri apud Damasum didicimus: pocula certè valde minuta, & ad ingentem multitudinem communicandam nullo modo idonea. Neque verò solebant duo aut plura pocula consecranda collocari in vno Altari (quod acceperimus) cùm id Christi institutioni & verbis parū conueniat. Et cùm primum id alicubi factitari cœptum est, à Gregorio 3. Epist. ad Bonifacium in 4. Tom. Conc. vt Christi exemplo repugnans, qui vnum tantùm accepit Calicem, castigatum & reprehensum est. Multoq; minùs licuit bis in vno sacro consecrare, vt ita priori Calice exhausto, nouus propinaretur. In summa, nos nō assequimur, nec Hęretici possunt demonstrare, quo modo amplificata Religione nostra, in maximis Parochijs, populus vniuersus, Paschatis præsertim tempore, potuerit commodè ex Sanguine communicari: cùm præsertim Innocentius 4. in tit. de celeb. Miss. cap.

nione panis tantum.

Calices antiqui.

Ex parte, dicat, non esse decens tantum Sanguinem conficere, vt vel in vno amplo Monasterio quilibet religiosus de mero Sanguine bibat. Hîc igitur Hæretici ratione & auctoritate tam apertè conuicti, quid tandem comminiscuntur? Dicam. Calices quidem (inquiunt) licet tantum singuli in singulis altaribus essent, nec illi tam grandes vt ex vno totus populus percipere posset, nec soliti consecrationis repetitione iterum præparari: tamen hac ratione potuit omnibus esse satis, si semel euacuato poculo, iterum impleretur, & tertiò, & quartò, & ita deinceps. Neque enim opus est, vt vinum secundò infusum cõsecretur, cùm omne vinum eo ipso quòd in Cœna Dominica porrigitur & sumitur, consecratum sit verbo Domini in Sanguinem eius. Ita illi. Quæ sententia ipsa suî absurditate refellitur; nec opus erit alio contra eam argumento, cùm antè probatum sit, Sacramenta hæc non fieri vsu & sumptione, sed Dominicorum verborum ad elementa applicatione.

Responsio Hæreticorũ.

Suprà, ca. 14

Cur Ecclesia demum sustulerit indifferentiam vtriusque speciei: & de loco Gelasij.

CAP. XLVII.

HÆc omnia ergo quæ diximus & multò adhuc plura atque grauiora Ecclesia Dei animaduertens; videns verum Sacramentum alterutra specie percipi, integrumque Christum sub quauis particula existere, nõ maiorem gratiam ex vtraque quàm altera dari, idem vtroque genere significari, vtrunque communicandi ritum & Sacramenti institutioni, & Christi, Apostolorum, ac Patrum exemplis, Ecclesiarumque omnium vsui quadrare; cogitans rem esse per se liberam, & proinde ad substantiam inuariabilem Sacramenti non pertinere; memoria tenẽs se esse dispensatricem Mysteriorum Dei, & in hoc inprimis Sacramento (auctore Augustino ad Ianuarium) quo deinceps ordine sumeretur moderatricẽ constitutam; suggestione Sp. sancti, & longo rerum vsu porrò animaduertens, quanta pericula, scandala, errores, contemptus, profa-

profanationesque rei omnium sacratissimæ, ex Calice promiscuè concesso oriri queant; videns in populo numerosissimo, & magis ac magis fide labascente indeuoto, grauissimos casus indies necessariò accidere, vsque etiam ad effusionem dum transfunditur aut bibitur, sæpissimeque aut humi, aut vestibus, aut barbis, aut mappis aspergi vel necessariò accipi, cùm vix aut ne vix quidem in summa (præ reliqua multitudine) celebrantium Sacerdotum paucitate, seuerissimis legibus, summaque obseruantia, satis caueri possint huiusmodi; videns præterea plurimos non nisi magno nauseæ periculo vnquam bibere vinum; videns apud aliquot Gentes, & maxima regna, vinũ nõ haberi, & vix importatum posse seruari; reliquaq; quæ infinita sunt, sapientissimè obseruans: Tandem posteriorũ conciliorũ Decretis statuit, vt cùm antè magis liberũ esset, in posterũ plebi, atq; etiam Clero non celebranti, non nisi in Panis tantùm specie dispensaretur: quod & æternum esse voluit, nisi illud rursus eadem Ecclesiastica auctoritas, probabili ratione rerũ ac temporum, quibusdam fortè remitteret. Neque hîc nos latet, hæc omnia ridicula videri Hæreticis, siue Caluinianis, siue Lutheranis. qui vtcunq; aliquid rei consecratę dilabatur, humi aspergatur, aut euomatur, aut à canib⁹ etiam lingatur; tamẽ nihil in Sanguinẽ Domini cõmitti dicunt; quippe qui secundùm Lutheranos tum solum cũ ore accipitur, præsens existit, secũdùm Caluinianos autẽ nunquã: vt, ꝑpterea his casibus aliud subijciatur nihil quàm merum vinũ. At Ecclesia non ex istorũ errore, sed ex vera & sibi indubitata corporis Dominici pręsentia, cũcta moderatur: Et hęc, ꝑpterea magna semper esse iudicauit, atque circa Sacramẽti administrationẽ exquisitissimã curã haberi voluit. Scio quoq; in his locis vbi Sanguis olim distribuebatur nõ cõficientibus, alijs quibusdã rationibus, sed eis valde impeditis & incõmodis (si ꝑmiscuo vulgo fieret) his effusiõis aut irreuerẽtiæ periculis occursum esse. Cernũtur enim hodie ex antiquitate relictę quædã fistulæ argẽteæ ac aureæ, velut canales, Calicibus vetustioribus adiunctę, vt per eas sine effusione

Fistulæ.

hauriri

hauriri poſſet Sanguis è Calice. quarum in ordinario Romano fit mentio, & adhuc in Miſſa ſolenni Pontificis adhibentur, vbi miniſtri Cardinales aut illuſtriores perſonæ communicant ſub vtraque ſpecie, poſteriorem ſpeciem fiſtula haurientes. Sed iſta inſtrumẽta nõ fuiſſe in vſu apud plebem in Parochialibus Eccleſijs, planè exiſtimo, ſed tãtùm in ſacris Cardinalium, Canonicorum, Monachorumque conuentibus; cùm & hodie viſantur tantùm in antiquioribus Monaſterijs Ordinis Præmonſtratenſis, & veriſimile ſit, conſuetudinem communicandi ſub vtraque ſpecie, magis inter Religioſos & illuſtres clericos, quã cæteros laicos extitiſſe. Vtcunque ſit, certè illæ fiſtulæ omni populo multis de cauſis non erant commodę. Denique id etiam ſcimus, non fuiſſe in primitiua Eccleſia horum periculorum eam curam aut cogitationem, vt propterea vna pars Sacramenti deſeretur à populo. licet vel ex vno Tertulliani loco (de Corona militis) cùm dicit, *traditione Apoſtolica anxiè obſeruari, ne quid Panis aut Calicis cadat in terram*, Maiores noſtros videamus non fuiſſe hac in re adeò negligentes. Sed hoc aſſerimus, longo vſu & animaduerſione rerum effectum eſſe, vt omnia incommoda nunc perſpiciantur magis quàm priùs; populíque Chriſtiani multitudinem ac irreligioſitatem ad hęc pericula gignenda multò procliuiorem poſtea fuiſſe; ſcandalaque ac errores ſequentibus ſeculis paſſim circa hoc Sacramentum fuiſſe multiplicata; quibus pro ratione temporũ nunc magis quàm vnquam antea occurrendum erat. Olim vel non animaduertit Eccleſia quantum eſſet periculum, cùm paſſim ab omnibus Sacramentum hoc domum deferretur; vel ſaltẽ quia tum feruor deuotionis ſingularis extitit, non fuit ex eo tanta profanatio, quanta nunc foret. Vnde & poſtea profanatione perſpecta, mos ſublatus eſt. Olim ante animaduerſa pericula, in vitro & ligno conſecratum eſt: nunc id nullo modo licet. Olim infantibus diſpenſatum eſt: ſed notata tandem ex effuſione & vomitu, qui frequens & facilis in illa ætate eſt, magna irreuerentia; & præterea opinione neceſſitatis, de qua antea in multis fortè

Profectus Eccleſiæ quoad reuerentiam Sacramenti.

tis fortè Ecclesijs dubitabatur, penitus sublata, illa omnis consuetudo sanctissimè in posteriori Ecclesia cessauit. Et qui sunt iam, qui audeant, Ecclesiæ per Sp. sanctum profectum, in huius maximè Sacramenti honore curando, negare, vel impedire?

Sed obijciunt quoddam Gelasij Decretum ex Epist. ad Maioricum & Ioãnem Episcopos, in hæc verba: *Comperimus quosdam, sumpta tantummodo corporis sacri portione, à Calice sacrati cruoris abstinere. qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. quia diuisio vnius eiusdemque Mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.* ita Capitulum. D. Thomas breuiter respondet, intelligi hoc de solis sacerdotibus conficientibus, iuxta illud Concilij Toletani. 12. *Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? &c.* Putatque integritatem Sacramenti tolli, tantummodo, si sacerdos per vnius tantùm partis consecrationem aut communionem Mysterium diuidat; non item si quis alius extra sacrificium vnam tantùm partem percipiat. iuxta quem sensum etiam Gratianus, qui totam Gelasij fortasse vidit Epistolam, præsens Capitulum citat de Cons. dist. 2. cum hoc titulo præfixo, *Corpus Christi sine eius Sanguine sacerdos non debet accipere.* Sed recentiores diligentiori antiquitatis studio causas dicti Capituli animaduertentes, respondent, potiùs factum esse Decretum propter Manichæorum sectatores Priscillianistas, qui tunc viguerũt passim per Africam, Hispaniam, & reliquas vicinas prouincias. Hi igitur cùm horribili superstitione (vt auctor est D. Augustinus Hæres. 46.) execrarentur vinum, ab eoque in vniuersum abstinerent, tanquam *à felle Principis tenebrarum*, nedum in vsum Sacramenti ac Religionis admitterent, essentq; tandem à populo ac Pastoribus notati, quòd prorsus recusarẽt poculum Dominicum, non solùm in perceptione, sed etiam (si qui Sacerdotes essent) in ipso sacrificio; tum cum adhuc liber esset vsus, ac frequens apud plebem Sanguinis perceptio,

Gelasij Decretum.

Manichæi & Priscillianistæ.

Calice ad ipsos quoque sumendi ordine creberrimò veniẽte: iubentur tandem à Pontifice, aut integra Sacramenta sumere, aut nullam eorum partem attingere. Vt ita hîc damnentur isti soli, qui ex hac quam diximus hæresi & superstitione abstinuerunt, prorsus damnantes vnam partem Sacramenti: non illi, qui nulla falsa persuasione imbuti, ad maiorem Sacramenti honorem ab altera specie abstinerent. Neque enim alij Mysteriũ hoc sacrilegè diuidunt, quàm qui in vniuersum damnant & auferunt alterum ex elementis quæ Christus ad Sacramenti cõfectionem & vsum assumpsit. Catholici verò qui vtrunque in Sacramento agnoscunt & adorant, & pro temporum ratione ac vsu, Ecclesiæque præscriptione, vel vtrũque, vel alterutrum religiosè & pacificè sumunt, Mysterium non diuidunt. Voluit ergo Gelasius Pontifex, vt meliùs discernerentur impij illi & superstitiosi Abstemij, omnem populum Christianum vtranque partem sumere, vt ea ratione si qui essent qui ex hac superstitione abstinerent, deprehenderentur ac damnarentur pro Manichæis. Et hanc esse Decreti sententiam facilè intelliget is, qui sermonem 4. D. Leonis de Quadragesima perlegerit: vbi ita de ijsdem Hæreticis conqueritur. *Manichæi* (inquit) *ad tegendam infidelitatem suam nostris audent interesse Mysterijs, & ita in Sacramentorum communione se temperant, vt tutiùs lateant. Ore enim indigno Christi Corpus accipiunt, Sanguinem autem redemptionis nostræ omnino haurire declinant. Quod ideo vos scire volumus, vt huiusmodi homines his manifestentur indicijs, vt ita notati ac proditi, à sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur, &c.*

Licita sæpè ex causis fiunt illicita ab Ecclesia.

Neque verò id est aut in reliquis Religionis nostræ capitibus, aut in hoc ipso Sacramento nouum, vt quædam quæ per se licita sunt, fiant ex prohibitione propter coniunctum aliquando errorem certis temporibus & personis illicita: multaque damnantur à Patribus, non quòd fiant, sed quia ex superstitione aut hæresi fiunt. Meminisse licet ex his quæ suprà diximus, offulam ex vtraque specie temperatam antiquitus ritè perceptam ab infirmis, & conciliorum auctoritate approbatam. Sed

Intincta Eucharistia.

post-

postquam ijdem ipsi Priscillianistæ, cùm iam propter Decretum priorum Pontificum in vnicæ speciei participatione diutiùs superstitiosam sectam occultare non poterant, incepissent Sacramentum intinctum potiùs quàm distinctas species sumere, & deinceps diu ex intincto se simularent Catholicos: tum ipsa etiam specierum permixtio prohibita est; Braccarensis Concilij Patribus hos homines damnantibus, ipsámque intinctionem tunc temporis auferentibus: *Audiuimus* (inquiūt) *quosdam schismatica ambitione detentos, intinctam Eucharistiam pro complemento Communionis porrigere: quosdam etiam expressum tantùm vinum in Sacramento Dominici Calicis offerre, &c.* Vnde videmus tum damnari ista, cum ex errore, hæresi, superstitione, ac schismate Manichæorum fierent: cùm aliàs multorum Conciliorum approbatione, ægrotantium necessitati, mysticæque significationi sanctissimè concessa sint. In summa, si quis circa vsum eius Sacramenti, in quo penè solo symbolum pacis ac vnitatis positum est, pacis Ecclesiasticæ turbator ac contentiosus esse velit, hoc ex Paulo habeat finale responsum, quòd *nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* 1.Cor.11.

Et hæc hactenus de speciei alterius ad alteram comparatione; totaque Sacramenti confectione, significatione, partibus, contentis, & adiunctis, deque omni existentię modo, pro mediocri facultate nostra diximus.

**
*

Eiusdem de Eucharistia, qui est de Sacrificio,

Liber Secundus.

Non omne Sacramentum est Sacrificium: tamen idem potest esse & Sacramentum & Sacrificium.

CAP. I.

SACRAMENTA Ecclesiæ, præter gratiam & sanctificationem quam animis vtentium conferunt, etiam ad cultum Dei & Religionis obsequium, sicut omnia quæ ceremonia in Religione Christiana peraguntur, pertinent. Ita enim diuinitùs comparatum est, vt ijs ipsis Mysterijs, per quæ nobis Deus summa beneficia largitur, à nobis vicissim sancta veneratione colatur. Vt ita duo in singulis Sacramentis obseruentur: vnum acceptum à Deo, vt gratia ac remissio: alterum à nobis donatum ac Deo quasi retributum. In Sacramentis tamen cæteris sex, sanctificationis significatio ac efficientia primarium est, in eoque vis & ratio Sacramenti, causaque institutionis maximè cernitur: cultus verò est quiddam quasi secundarium & minùs intentum: neq; tātus aut talis existit, licet externus sit & ad latriam pertineat, vt Sacrificium propriè dici queat. Errantq; docti quidam non mediocriter, qui ita definiunt aut explicāt Sacrificij rationem, vt ea Sacramentis reliquis cum Eucharistia communis esse videatur, licèt id totum huic peculiari Mysterio excellentiùs nō negent attribui. Ita enim tradendum, itaque credendum est, in illis alijs Sacrificium non nisi impropriè omnino reperiri (quod suo loco docebimus) nec sacrificij tractationem quicquam

Non omnia Sacramenta sacrificia.

Inf. cap. 3.

quam

quam ad ea pertinere. Eucharistię autem vnicum Mysterium, hinc optimum, maximum, diuinissimum donum, quo nihil potest à mortalibus capi augustius, tribuens: illinc excellentissimum Religionis officium, quo nihil potest reddi Domino gratius, continens: sic est ex priore verum Sacramētum, vt ex posteriore sit propriè dictum Sacrificium, non solùm excellētius, sed planè aliter, quàm cætera omnia virtutum, Sacramentorũ, aut cæremoniarum officia. & hæc duo, vtraque summa, in hoc Mysterio ita colligata sunt, ac natura & explicatiõe permixta, vt vtrum vtri præstet, quod prius, quod posterius, quomodo vnum, quomodo diuersa ac distincta sint, difficillimè intelligas. Certè sunt officijs, finibus, effectis valdè vicina, nec Scripturę, nec Patrum tractatione explicatè vspiam distincta, aut à se inuicem separata. Institutione verò, ministro, actione, elementorum materie, verborum formis, & speciebus accidentalibus ac contentis rebus planè eadem. &, nisi fallor, magis primariè instituitur ad cultum & oblationem, quàm ad Sacramentum & perceptionem: quanquam ipsa perceptio multorum iudicio intra Sacrificij fines ponatur. Quare eorum institutum mihi non placet, qui Sacrificium re & tractatione reijciunt in postrema inter effecta & adiuncta huic Sacramento: cùm ea substantiâ ac natura vix secerni queant, mutuoque de se inuicem varijs Veterum sermonibus dicantur. Sic enim Augustinus Epist. ad Honoratum: *Sacrificium corporis Christi est fidelium Sacramentum.* & paulò antè: *Magnum Sacramentũ in Sacrificio noui Testamenti.* Nisi fortè impropriè hîc accipiatur Sacramenti appellatiô pro Mysterio. In libro verò de Corp. & Sang. Domini (nam eo titulo sæpe citatur à Lanfranco & Gratiano) dicit, *Sacrificium constare Sacramento, & re Sacramenti.*

Eucharistia & Sacramentum & Sacrificium.

Ep. 120. ca. 24.

Cap. 19.

Ergo intolerabilis est hic error Hæreticorum à Vvicleffo cœptus, qui ea pręcipuè de causa negant hoc esse Sacrificium, quia est Sacramentum. cùm illa duo ita minimè repugnent aut aduersa sint, vt multorum iudicio omnia sacrificia veteris Testamenti, etiam Sacramenta fuisse putentur: aut si illud non est

verum (vt certè non videtur, quoniam Concilio Florentino videtur repugnare, vbi legimus vetera Sacramenta à sacrificijs sæpe distingui) tamē *sacrificia pro peccatis* omnia pro certo fuerunt Sacramenta. Vt nihil dicam de exactissima huius Mysterij figura, *Agno Paschali*, qui rectè pro Sacramēto defendi potest. de quo Augustinus alicubi dubitat fueritne sacrificium, quòd Iudæi illum hactenus etiam inter gentes faciant, sicut olim in priuatis ædibus, vbi sacrificare non licebat. Tamen Philo in vita Mosis planè asserit, fuisse sacrificium ante Legem & sacerdotium Aaronicum institutum, & certo priuilegio patribusfamiliâs concessum. quod & Scripturis consentaneum est Exod. 12. Deut. 16. Luc. 22. Marc. 14. Et hîc quidem miror, cùm isti Eucharistiam vel tantùm Sacrificium, vel tantùm Sacramentum esse contendant, nec vtrunque esse posse affirmēt, cur potiùs Sacramentum esse velint, cùm Scriptura vtrunque taceat, & ipsa rei actio atque confectio nihil habeat cęteris Sacramentis simile, operi verò sacrificali omnia simillima.

Agnus Paschalis.

☙ *Sacrificium aliud propriè, aliud impropriè dictum, etiam Augustino: illud externum, hoc internum.*

CAP. II.

SED quoniam plenam de Sacrificio disputationem instituimus, ne rei aut verbi ignoratione fallamur, placet definire primùm Sacrificium, & multiplicē verbi notationem indicare. Certè (auctore Gregorio & Isidoro) dicitur ab eo quod est, *sacrum Deo facere*, vel quòd sit *sacrum factum:* quoniā & ipsa actio & rei dedicatio vocatur Sacrificiū, & ipsa nōnunquam res dedicata. & hoc totū vel cōmuniter, vel ꝓpriè in sacris auctoribus sumitur. Propriè dictū sacrificiū fit per dedicationē ac confectionē alicuius rei sensibilis, animatę aut inanimatę, in honorem Dei: de quo genere vniuerso in libris Mosis. Impropriè verò vel cōmuniter sacrificiū dicitur omne opᵘˢ bonum, omnisq; virtutū actus, & in vniuersum quicquid facimus quod in Deū fine vel officio referri potest. Ita Dei laus, Psal 49.

1. q. 1. ca. multi. Isid. de Diu. off. & de etymolog.

Sacrificium bipartitò sumptum.

Sacri-

Sacrificium laudis honorificabit me. Ita contritio, Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Sic eleemosynæ à Paulo appellantur *Hostiæ*, Heb. 13. & corporis castigatio, *Sacrificium* Ro. 12. & Martyrium, Sap. 3. in quo sensu apud Augustinum. 10. Ciuit 6. Christus sacrificat Ecclesiam, & Ecclesia sacrificat seipsam, & quisq; nostrûm sacrificat animam suam. In quibus omnibus locis & alijs innumeris ex nonnulla analogia & similitudine quę inter hęc opera in Deum relata, & propriè dicta sacrificia intercedit, appellatio ijs rebus per catachrésin accommodatur, quæ propriè & verè in eas non quadrat. qui modus traducendi vocabula est Scripturæ, ipsiq; Christo Domino, item Augustino, omnibusque Platonicis familiarissimus. Sic enim transfertur Circũcisionis vocabulum ab vno Sacramẽto quod propriè significat, ad mũditiem cordis & aurium. Ita ieiunium quod propriè à cibis est, vt significet cessationem à peccatis. Ita Christus transtulit nomen matris, fratris, ac sororis, in eos qui voluntati Patris obtemperant. Ita corda & corpora nostra dicuntur templa Sp. sancti. Ita nos ipsi nostrarum actionum in Deum relatarum sacerdotes. In quibus omnibus si quis ita desipiat, vt hæc aut non translatè sed propriè dici putet, aut (quod absurdius est, quod tamen Hæreticorum est) ea sola ita appellari iudicet, vt cætera omnia non sint talia qualia appellantur, ineptissimum esse oporteat. ac si quis *vitulos labiorum* ita sacrificia esse contenderet, vt negaret vnquam in veris vitulis sacrificatum esse.

Translatio vocabulorũ.

Mat. 12. 1. Cor. 3. 6. Apoc. 1. 5.

Heb. 13.

Sed quia ad rem inprimis facit, vt hunc locum Augustini de Sacrificio quatuor capitibus libri 10. de ciuit. 4. 5. 6. 7. comprehensum diligẽter tractemus (nam ex eo malè accepto multi errarunt turpiter) ita obseruandum est inprimis, Augustinum nonnunquã indifferenter & permixtim locutũ de vtroq; genere, quia vtriusq; appellationis sacrificia, quoad eũ scopum, quẽ ipse sibi in ea disputatione pręfixit, sunt similia. Differit enim contra Platonicos, latriã soli Deo deberi: & ad eã pertinere (vt certè pertinet) omne etiã spirituale sacrificiũ, omnemq;

Locus Augustini definientis sacrificium.

virtutis

virtutis actionem, quod illi ægriùs concesserunt quàm de ijs, quæ propriè & simpliciter dicūtur sacrificia. Vt proinde oportuerit Augustinum artificiosè hîc varia & aliàs distincta genera ad vnum sacrificij nomen & rationem deducere. Vt non minùs de vno genere, quàm de altero dici queat, *Sacrificans Dijs eradicabitur.* Secundò notandum, eum ijsdem ipsis locis apertè distinxisse hoc vtrunque genus, & nomine, & definitione, sed obscuriùs, vt etiam docti impingant. Nam vnum genus appellat sacrificium visibile in pecore trucidato aut aliqua alia re terrena consistens. Et *hoc est* (inquit) *quod homines appellant sacrificium.* En tibi propriè dictum sacrificium. & definitur sic, non absolutè, sed ex comparatione ad hæc minùs propriè dicta sacrificia: *Sacrificium* (inquit) *visibile est inuisibilis sacrificij Sacramentum, hoc est, sacrum signum.* Et hanc definitionem explicat, cùm ostendit omnia mactata pecora in veteri Testamento repræsentasse spiritualia sacrificia studiosarum actionū, dilectionisque Dei ac proximi. itemq; ipsam Eucharistiam continere visibile sacrificium, apertè significans vnionem Fidelium inter se. Alterum verò genus appellat inuisibile, verū, ac perfectum Sacrificium, & ita definit: *Verum sacrificium est omne opus quod agitur vt sancta societate inhæreamus Deo, &c.* Neque voluit hac descriptione comprehendere propriè dictum Sacrificium, neque communem aliquam vtrique generi notionem indicare: sed data opera distinguens vtrunque, cum prius illud aspectabile, commemoratiuum, ac significatiuum in pecoris aut alterius rei corruptibilis confectione positum explicuisset, nunc alterum genus quod in omni virtutis opere vt in Deum refertur, contineri voluit, descripsit: placuitque sapientissimo viro vocare hoc *verum sacrificium*, non quòd sit in specie, nomine, aut ratione sacrificij magis verè & propriè dictum quàm illud prius quod ab hominibus rectè vocatur sacrificium, sed quòd in genere operum quæ in Deum referuntur, hoc quod per aliud significatur esse bonum, & est, non ex significatione, sed ex natura & ipso officio laudabile, Deoque magis gratum, & saluti

Exo. 22.

Sacrificium propriè dictum.

Sacrificium impropriè dictum.

Verum Sacrificium quare vocet.

ſaluti noſtræ conducibile, ſit potiùs dicendum verum & perfectum, quàm illud quod non præcipitur, neque expetitur, neque fit, quia per ſe bonum eſt aut Deo gratum, ſed ex commemoratione ſolùm & ſignificatione alterius rei quæ per ſe expetenda eſt, laudabile dicitur. Verbi gratia, Chriſtus appellat ſe *veram vitem*, non quòd ſit vitis propriè dicta, aut quòd ſit aliquid melius in illa ſpecie rerum quàm ſit naturalis vitis, ſed quia ex analogia rei ad rem & appellatio vitis in illum rectè quadrat, & res ſignificata, quia incomparabiliter eſt præſtātior re ſignificante, vera etiam ac perfecta præ illa dici queat. Rectè ergo D. Thomas. 2. 2. q. 85. Art. 3. vult Sacrificium pertinere ad Religionem, eamq; eſſe certam ac ſpecialem virtutem, natura ac ſpecie à cæteris virtutibus earumq; actibus diſtinctam: cuius propria vis ac ratio ſit, tantum vt ad Dei reuerētiam fiat, cùm nihil præterea in ſe omnino boni aut laudabile habeat. vt ex ſacrificijs omnium Gentium planum exiſtit: cùm illa non laudentur ex opere, quod per ſe bonum non eſt, imò etiam aliquando ex ſe malum eſt, ſed tantùm ex eo quòd ad Dei cultū ordinantur. Quis enim non intelligit, mactare pecus aut exurere, non eſſe per ſe laudabile, nec aliunde pro virtutis actu haberi, quàm quòd referatur ad Dei proprium & præſcriptum obſequium? Quis illud quoque non videt, cæteras virtutes habere ſuos actus proprios, in quibus earum laus & bonum verſetur, vt ieiunare, pœnitere, dare eleemoſynam, miſereri pauperis, & ſimilia: & tamen præter bonum quod ex ſua ſpecie habent, poſſe etiam & debere referri ad Dei honorem, dum Religioni tanquam ſuperiori virtuti ac imperanti circa alienos actus obtemperant? eoque modo dum hæc referuntur ad aliam ſpeciem quàm cuius propriè ſunt, nomē & rationem quaſi Sacrificij ſubire poſſe? Et certa fide omnibusque modis hæc ſententia defendenda eſt contra quoſdam, qui cùm ipſi falſò putent, Sacrificium non eſſe poſitum in peculiari virtute, ſed eſſe quaſi conditionē adiunctā omni laudabili actioni quatenus refertur in Deū, & quo quodq; opus ſit Deo gratius ac melius,

Io. 15.

Religio qualis virtus.

eò esse magis propriè Sacrificium, conātur etiam Scripturam & D. Augustinum, propter ea quæ attulimus, in eum sensum ac sententiam iniustissimè impellere. Sed Augustinus quidem ita accipiendus est, vt diximus: Scripturæ verò tam accuratè præcipiunt de externis sacrificijs omnium generum, vt qui illa non esse alterius rationis intelligunt, quàm cæteras virtutum actiones, nihil prorsus videant, præsertim cùm ita nōnunquam loquantur, vt planè negent, virtutes esse sacrificia. Vt cùm dicit Dominus Osee. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificiū: scientiam Dei plusquàm holocaustum*: innuit certè, misericordiam & fidem non esse propriè dicta sacrificia. Et Psal. 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique*, tum paulò post: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus:* significans prius verè & propriè dici, hoc posterius non nisi Metaphorica quadam appellatione.

Ad argumenta. Sed qui contra veterem Theologiam volunt in sacrificijs nullam peculiarem virtutem constitui, nituntur ostendere, vera sacrificia non hoc solo nomine laudari, quòd ad Dei cultum destinentur, sed etiam quòd ex officio sint honesta, quomodo virtutes cæteræ, & proinde ab illis hac ratione non differre. Id docent exemplo vnius Sacrificij Christi quod in Cruce peregit. quod cùm omnium, vel saltem nostro ac multorum iudicio sit propriè dictum Sacrificium, tamen commendatur non solùm à fine, quòd in honorē Dei ordinetur: sed maximè omnium ab humilitate, cùm propter eam exaltauerit illum Deus &c. Philip. 2. Sed leuia sunt ista, & rem non attingunt. Non enim negamus, varia virtutum officia esse coniuncta Sacrificiorum actibus, vel ipsis potiùs sacrificantibus: & inprimis humilitatem, charitatem, obedientiam, personas sacrificantium vel ornare, vel etiam ad sacrificandum mouere. Neque enim Christus suscepisset hoc difficillimum munus, in vilissimo genere mortis constitutum, nisi fuisset Patri obedientissimus, & omnium humillimus: Sed ipse actus sacrificij quo seipsum sustulit è medio, & volens deposuit animam suam, non erat vllo modo laudabilis per se, sed potiùs illicitus, nec

commen-

commendatus aliunde nisi ex Dei pręceptione, & ordinatione, & potestate excellentiæ ad honorem Dei & humani generis Redemptionem applicaretur. Quòd Abraham tentarit mactare filium vnigenitum, commendatur ab obedientia: sed occidere innocentem, per se non erat actus commendabilis aut bonus. Quod autem porrò obijcitur, præter cultum Dei, Sacrificia etiam fidem & spem ex futurorum bonorum præfiguratione excitare: respondetur, id quoque licèt secundariò ad honorem Dei pertinere, nec ad aliam virtutis speciem referri quàm ad Religionem. Adeoq; vera sunt ista, vt nec Eucharistię confectio, seu Corporis Christi in eadem oblatio sit per se cõmendabilis, nisi quòd referatur ad Religiõis obsequium. Licet enim res illa, id est, Corpus Christi, secundùm substantiã præstet omnibus officijs virtutum, vndecunq; sint per se expetibilia: tamen illę actiones circa Corpus Christi, vt à nobis benedicatur, vt coniungatur ad species panis, vt frangatur, vt intingatur, vt comedatur &c. (in quibus sacrificatio consistit) tantùm à præcepto, instituto, fine, non autem ab ipso officio sanctæ & legitimæ iudicantur: nec comparabiles existunt virtutum actibus, quę factores bonos per se & Deo gratos reddunt. Hinc fit, quòd interna sacrificia ab Augustino *vera*, in Scripturis Deo etiam magis grata dicantur (cùm sint actus per se boni in hominis interno officio positi) quàm omnia propriè dicta Sacrificia non solùm veteris, sed etiam nouæ Legis. Nam de singulari etiam sacrificio nostro dici potest: *Misericordiam volo, & non Sacrificium.* Et quod dixit Scriba, & collaudatur à Domino Marc. 12. *Diligere Deum ex toto corde, &c. est maius omnibus holocautomatibus & sacrificijs.* Et hoc quidem modo se habet externum sacrificium ad interna. ex quorum inter se comparatione Augustinus vtriusq; generis rationem & discrimen definiendo aliquousque explicauit.

Gen. 22.

Sacrificij externi seu propriè dicti definitio; oblatio, mutatio,

CAP. III.

Sed nunc omiſſo illo interno minùs propriè dicto, de externo ſolo diſſerendum eſt. quod genus non ex comparatione ad aliud, ſed vt in ſe eſt atque exiſtit, ita deſcribi poteſt, vt ſit, *exhibitio ſeu oblatio alicuius rei ſenſibilis per aliquam eius rei confectionem, conuerſionem, aut mutationem, ipſi Deo, ad naturæ tributum perſoluendum, in agnitionē ſupremi in nos dominij ſummiq; beneficij facta.* In qua deſcriptione illa præſertim duo, *oblatio* & *mutatio*, reliquos etiam Religionis actus à propriè dictis ſacrificijs ſecernunt, ipſaque inprimis Sacramenta & Sacramentalia omnia. quæ licèt in operationibus ſacris circa res ſenſibiles conſiſtant, tamen quia non offeruntur, nec immediatè ad Dei honorem exhibētur, ſed ad noſtram potiùs ſalutem procurandam inſtituta ſunt, Sacrificia nō dicuntur, nec certè ſunt. Nam ſacrificiorum ratio ne intelligi quidem poteſt niſi in his quæ Deo verè offeruntur & ſiſtuntur: cùm D. Paulus Hebr. 5. apertè dicat, *Pontificem aſſumptum eſſe vt offerat dona atque ſacrificia.* Ex altera particula illud quoque habemus, Sacrificium in mutatione rei ſenſibilis poſitū eſſe, nec eſſe ſatis ſi offeratur Deo, niſi etiam mutatio aliqua interueniat in creatura Deo repræſentata. Nam alioquin Primitiæ, Decimæ, Primogenita, Religioſæ perſonæ, aliaq; innumera quæ Deo in Lege offerebantur, ſacrificia dici queant: cùm tamen nec illa, nec reliqua donaria Templorum ſeu Altarium in veteri vel in noua Eccleſia, ſacrificia dici debeant: cùm non modò Paulus paſſim ad Hebr. ſed D. Chryſoſtomus etiam ſuper illud, *Superius cum dicit ſacrificium & oblationem, &c.* hæc duo genera rerum diuinarū planè diſtinguat. Nec aliud certè diſcrimen cogitari poteſt, quàm quòd dona oblata, maneant integra in ſua propria ſpecie; quæ autem ſacrificantur, nō item, ſed ferè in alias ſpecies tranſeāt, cùm vel mactata, vel toſta, vel contuſa, vel frixa, vel alia aliqua ſacerdotis actione prorſus confecta ſunt: quēadmodū Leuit. 2. & 6. in varijs ſacrificiorum generibus planū efficitur. Et quoniam hæc exacta mutatio ſæpè fiebat, non ſolùm in Lege Moſis, ſed

Externi Sacrificij definitio abſoluta.

Heb. 9. & 8. Hom. 18. in Heb. 10.

sis, sed etiam Naturæ, per gladium primùm, aut per ignem, aut vtroque modo, factum est vt Græcè sacrificium θυσία dicatur. θυσία.
Quæ vox licèt vulgò referatur tantùm ad ea quæ mactatione & iugulatione conficiuntur, tamen Theophylactus vult pertinere vel ad ea maximè quæ igne tolluntur & sacrificãtur, cùm θυσίαν à θύεσθαι, quod est θυμιᾶσθαι, hoc est *ardere* vel *suffitum edere*, deriuatum afferat, in 8. ad Hebr. Et apertum est quidem ex illa præparatione Abrahæ ad immolationem filij sui, cum Gen. 22. ferro ignem fuisse adhibitũ: itemque in Gentilitate & ignem, & gladium. sic enim Poëta Æneid. 12.

Tum ritè sacratas Inflammant, ingulant pecudes. Eusebius autem lib. 1. de præp. Euang. cap. 6. inducit profanum Porphyrium lib. de esu carnium differentem contra sacrificia Iudæorum, & contendentem, antiquitus non aliter sacrificatum esse, quàm per resolutionem ac exhalationem florum & herbarum in fumum, eumque suffitum vocatum Græcè θυμίασιν, vnde & θυσίαν dici contendit, falsoque referri ad sacrificia sanguinea. Ita ille. Id ergo constat, nomen sacrificij in omnem actionem conuenire quæ rei offerendæ substantiam tollit, aut magnam alioquin mutationem inducit, quomodocunque illa accidat, ferro, fractione, flamma, tunsione, frixione, molitione, farrisq; varia aspersione. Vnde & *immolare* pro *sacrificare* dictum est. quod item transfertur ad ea quæ ferro iugulantur, vt Virgilius:

Pallas te hoc vulnere, Pallas Immolat. & Genes. 22. *Arripuit gladium vt immolaret filium.* Denique quia Sacrificium sæpè habet coniunctam multiplicem & operosam actionem, inde & *facere* tantùm, hoc est, operari, est *sacrificare*. Nam & *facere* Facere. *Pascha*, & *occidere Pascha*, & *immolare Pascha*, dixerũt Euãgelistę. Mat. 26. Mar. 14. Et has rerum exhibitiones per mutationem ac confectionem Luc. 22. similibus actionibus approbauit nonnunquam ipse Deus, per se quoque oblatas victimas igne cœlitus demisso transmutãs. Sic Abelis sacrificium *inflammatum* diuinitus ex interpretatione Gen. 4. Theodotionis putat Hieronym⁹ lib. qq. super Genes. Quod magis patet in Gedeonis, Heliæ, Salomonis in dedicatione

 Templi,

Templi, & aliorum Patrum ſacrificijs. Iud 6.& 3.Reg.18.& 2. Par. 7. Ex quibus omnibus tùm eos errare perſpicuum eſt, qui volunt Sacrificij propriam rationem & vnicam in oblatione eſſe poſitam, ita vt ad eam Tranſmutatio omnino non requiratur; tùm etiam eos, qui iudicant ſola mactatione, inflammatione, aut externa alia vi ſacrificia fieri: Cùm nihil planè interſit quo modo tollatur aut immutetur ſacrificium, modo in Dei honorem totum transferatur: adeoque meliùs & ad Religionem aptiùs fieri, ſi res poſſit ſine omni vi, verbo ſolo confici, quomodo in noſtra Euchariſtia mirificè perficitur. De quo plura ſuo loco.

Inf. cap. 15. 19.

Cauſam autem huius exquiſitæ immutationis adeoque deſtructionis ſi quis quęrat, cùm ipſa tantum donatio vel oblatio rei ſatis præ ſe ferat agnitionem ſummi in nos dominij, hanc eſſe exiſtimo: quòd iſta rei confectio varia faciat ferè rem oblatam humanis vſibus eſſe ineptam, vt ita videatur offerens ſe propriæ rei poſſeſſione exuere, vſumq; omnem & fructum donare Deo, ſic vt nunquã ad ſe redeat, nec in aliũ vſum mortaliũ. Quod maximè obſeruabatur in eo genere quod vocabatur *Holocauſtum*, quod totũ erat in Dei honorem exhauſtũ & combuſtum. In reliquis quidem aliqua particula nonnunquã ceſſit ſacerdoti, nonnunquam etiam populo, veluti diuina quadam redonatione plebi ſui conceſſo commertio per modum ſacramenti. Sicut nũc in noſtro excellentiſſimo Myſterio, vbi de re ſacrificata ſemper ſacerdos, ſæpè etiam populus in ratione Sacramenti communicat, iuxta illud Pauli, *Qui edunt hoſtias, participes ſunt Altaris.* Alia eſt etiam cauſa cur rerum externarum corruptione fiãt ſacrificia, repræſentatio nimirũ mortis Dominicæ, quæ erat neceſſaria in omni ſacrificio poſt lapſum, eamq; debebãt omnia reliqua ſacrificia ſuo quodã modo imitari. Quę oblatio in eo poſita erat propriè, quod Deo Patri vitã & ſpiritum tradiderit, & ex viuo mortuũ, ex homine ſe nõ hominem reddiderit: vt ita ipſum *eſſe humanum* Deo Patri pro nobis donaret. Et quia ſacrificia populi Dei ſunt antiquiora omnibus

1. Cor. 10.

Genti-

Gentilium ſacris,ea quoq; in hoc genere, auctoribus neſcientibus,noſtrorum ſimilia ſemper extiterũt. Ea enim poſtea fuit ex peccato ignoratio Religionis, vt non ſolùm Gentes, cùm cultum ſacrificiorum ſtudioſè exhiberent, ſed nec Iudæi quidem vulgares in tam multo pecorum ſanguine effuſo intelligerent,ſe Chriſti Paſſionem, id eſt, verum & abſolutum ſacrificium imitari,vt dixit Auguſtinus Epiſt.120.

Variæ diuiſiones Sacrificiorum externorum.

CAP. IIII.

QVÆ verò iam hoc loco, inſtitutionis ordine, tradi poſſunt,vulgaria ſunt, nimirum ſacrificia omnia priori definitione comprehenſa, tribus modis diſtingui: materia,forma,fine. Ex materia viua,dicebatur *victima*,non tamẽ ab eo,ſed à deuictis hoſtibus, cùm ea de cauſa offerretur, nomen habens: Alterum genus erat ex materia inanimi, ſolida vel ſicca, vt ex farre, ſale, ſimila, & huiuſmodi: & *immolatio* à mola vocabatur apud Latinos: Tertia ſpecies erat in materia liquida, vt in vino, & *libamen* dictum eſt. Forma autem faciendi ſic diſtinguebantur: nonnunquam tota hoſtia cremabatur, vt in *Holocauſto*: nonnunquam altera pars igne abſumebatur,altera ſacerdoti ceſſit, vt in *Peccato*, ſeu *Hoſtia pro peccato*: Nonnunquam vna pars incendebatur, ſecunda erat ſacerdotis, tertia eius qui obtulit: vt in *hoſtia pacifica*. Quæ etiam tria genera fine diſtinguuntur: vt primum fieret tantum in honorem Dei, ſecundum pro remiſſione peccati, tertium pro gratiarum actione. Sacrificia etiam ſic ex proprio vel accidenti diſtingui poſſunt: vt vnum ſit abſolutum, non dependens ex alio, non repræſentans aut præfigurans aliud, nec in vllo ritu Religionis aut commemoratione poſitum:in quo genere ſolum eſt ſacrificium Crucis:Alterum eſt commemoratiuum ac alterius ſignificatiuũ, Religionis ceremoniæ ſeu Sacramento ſemper coniunctum,nunquã in abſoluta actione conſiſtens.Huiuſmodi ſunt ad vnum omnia alia

1. 2. 3. 4.

tam

tam Naturæ, quàm veteris ac noui Testamenti sacrificia. Neq; enim nostrum Eucharisticum est absolutum, sed præ omnibus alijs magis commemoratiuum ac etiam figuratiuum. Quamobrem qui in ratione sacrificij, vocem *ceremoniæ* aut *commemorationis* collocarent (quod multi faciunt) definitionem vitiosam facerent, & proprijssimè dictum Crucis Sacrificium excluderent. Non ita tamen peccaret, qui poneret *signum* in descriptione omnis sacrificij externi: quo modo Augustinus lib. 10. Ciuit. cap. 5. cùm & ipsa oblatio corporis Christi in mortem posset dici Augustiniano more signum sui interni sacrificij, hoc est, dilectionis Dei Patris, & nostri: quæ eo maximè tempore in illo claruit. Sed de sacrificij tota definitione variaq; acceptione hactenus.

In omni Lege Sacrificium externum Deo deberi.

CAP. V.

NVNC porrò dicendum est, hoc genus seruitutis in Sacrificio positum, quod ad eũ cultum præcipuè eximieq; pertinet, quẽ *Latriam* Theologi appellant, Deo deberi, & in omni Lege tanquam sibi peculiare obsequium ab eo requiri: quodque non minùs, sed multò magis in nouo, quàm in veteri Testamento à fidelibus exigatur. Id autem totum luculentissimis rationibus ex Naturæ inductione, Scripturis, & Patribus ita efficiemus.

Ratio ab instinctu Naturæ.

Primùm, hic summus honoris ac Religionis actus oritur ex primo & communissimo Naturæ instinctu, quo ducimur ad publicè coram omnibus agnoscendum supremum Creatoris in nos & nostra Dominium: in omnibusque extitit, quicunque agnouerunt esse Deum vnum vel plures. Sed Naturæ generalissimus instinctus & institutio ita nõ deficit vnquam, vt magis in omni lege & hominum conditione cum fide vel certiore de Deo cognitione crescat. Hoc autem esse maximè Naturę consentaneum, cùm per se manifestum est, tùm ex omnium Gentium moribus colligitur: cùm nulla vnquam fuerit tam barba-

barbara gens quæ ſacrificia non fecerit (vt pulchrè dixit Auguſtinus lib.10.cap.4.de Ciuit.) *ijs, quos aut putauit, aut credidit, aut finxit eſſe Deos*. Quę tamen res magis claret in populo Dei, & priùs quàm in Gentilitate, vt in duobus primis fratribus, Geneſ.4. in altari & ſacrificio Noë egredientis de Arca, Geneſ.8. & in Abraha, cùm primùm benedictionis omniũ Gentium promiſſionem ſuſceperat: in Melchi-ſedec, in Iob, & reliquis ſanctiſſimis Patribus: qui omnes aut libera animi inductione, aut Diuina reuelatione, pro illorum temporum cõditione ſacrificauerunt. Quòd verò rerum externarum exhibitionem Naturæ lex requirat, hæc ſunt in cauſa, quòd homo ipſe animo & corpore cõſtet; quòd rebus ſenſibilibus permoueatur; quòd non modò animum, ſed ſe totum, externaq; omnia, ipſumq; mundum vniuerſum ſua cauſa conditum, Deo debeat; imò quòd ipſum Chriſtum propter nos natum & ſacrificatum ſenſibiliter Domino Deo noſtro debeamus, qui nos non ſpiritualibus ſolis officijs, quibus lõgè omnibus excelluit, ſed carnis ſuæ Sacrificio redemit. Quòd niſi Deus indulgenter nobiſcum ageret, & prouideret, ne graues abuſus ex mortalium mutua cæde ac ſanguine acciderent, iuſtè requireretur à nobis, vt nos ipſos, vel chariſſimos liberos, aut de humano genere ac ſanguine aliquid in tributum naturæ Deo penderemus. Nam & primogenita in Lege erant Dei, ſed commutationem admiſit, Exod.34. & iuſtè Abrahæ præcepit vnigeniti filij oblationem Geneſ.22. ſed obedientia contentus & ariete, non acceptauit. Nec vnquam voluit hoc genus hoſtiæ per ſe & promiſcuè eſſe licitum. Temerariũ enim erat facinus Iephte Iud.11. in ſacrificatione filiæ, ſi Ambroſio lib.3. Off.cap.12. & Hieronymo in Ierem.7. & Nazianzeno orat. de Maccabæis, & Auguſtino lib.7.quæſt.in lib.Iud.(vbi etiam de ſacrificijs humanæ carnis prolixè diſſerit) credamus. In Domino Ieſu tamẽ ſolo acceptum eſt humanę carnis ac Sanguinis proprium ſacrificium: vt iam orbis terrarum nõ habeat aliam victimam, quàm in Dei & hominis carne poſitam, qui modus eſt indubiè lõgè

Gen.12.
Gen.14.
Iob.1.

excellentissimus & proprijssimus. Et quia impuri spiritus tale aliquid sciebant Deo deberi, fecerunt cultores suos sacrificare *filios suos & filias dæmonibus, & sanguinem innocentem effundere.* Psal.105. Vnde pulchrè dixit Eusebius lib. 1. de præp. Euang. ca.10. In rebus viuis fidelibus maximè præscripta sacrificia, quia vitam propriam debemus Deo, animamque seu sanguinem bestiæ esse piaculum & commutationem pro anima nostra. ideoque animal capite comprehensum, sacerdoti in Lege sisti, & ab eo manus capiti imponi, quòd sit hostia & pretium pro capite eius qui offert. multaq; alia præclara in eã sententiam.

Iam verò non solùm id Natura communis parens, vt Dei eminens Dominium singuli agnoscamus, præscribit: sed etiam quoniam ad societatem nati sumus, vt id publicè fiat, ad Religionem aliquam, vnde Respublica oritur, constituendam, voluit. Hinc Aristoteles Metaph. 12. ad populum continendum, sacrificiorum Religionem cõstitui oportere tradit. Et Ethic. 6. inter Magistratus, sine quib⁹ Respub. existere nequit, numerat *Sacrificos*, illisq; in ciuitate principẽ locũ tribuit, Polit. 7. cap. 8. Et si memoria vetera repetamus, nullã vnquã videbimus iuxta Naturæ præscriptum institutam πολιτείαν sine sacrificio. Neq; verò istud ex Naturæ deprauatione, sed ex optima & prima institutione processit: adeò vt quidam existiment, etiam ante lapsum, vel si non fuisset lapsus Adamus, tamen sacrificium futurum fuisse. Id vtcunque sese habeat, certè D. Paulus Hebr. 7. ita cõiunxit Legem & Sacerdotium, sacrificium & legitimum populum, vt nulla possit esse separatio. *Sub sacerdotio* (inquit) *Leuitico populus accepit Legem*, factus est legalis, vel legitimabatur, νενομοθέτητο dixit. Populus autẽ legitimatur sub sacerdotio, quia coit cum Deo ac inter se per externũ Sacrificij & Sacerdotij opus. Sicut enim per Religionis actus priuatos & internos fit quędã societas vniuscuiusq; hominis cũ Deo, ita per publica & externa sacrificia fiunt societatis fœdera cùm hominũ inter se, tùm etiã inter Rempub. atq; Deũ, de illi seruiendo, & ab illo vicissim beneficia recipiendo: vt simus nos illi in popu-

lum, &

lum,& rurſus ille ſit nobis in Deum. Tale fœdus fit in ædificato Altari Geneſ.28. inter Iacobum eiuſque familiam & Dominum. Tale pactum priùs inijt Abraham pro ſe & ſemine ſuo etiam per ſacrificium, Geneſ.15. Similibuſque etiam ſacrificiorum quaſi pactis conuentis Dæmones ipſi non ſolùm certas perſonas, ſed hominum conuentus maximaſque Nationes ſibi ſociarunt. Hinc enim omnes Reſpub. Gentilium extiterũt, nec alio fundamento conſtitui poterant: hoc tantùm à legitimis ſocietatibus differentes, quòd ea quæ Gentes immolant, *dæmonibus & non Deo* offerunt, vt Paulus 1. Cor.10. dixit. Deinde verò non ſolùm legitimus Dei populus fit & diſcernitur ab alijs non ritè conſtitutis & quaſi per falſa ſacra initiatis Rebuſpublicis, verùm etiam per Sacrificium vnus Status, Teſtamentum, vel Lex (nam Natura varias iuſtas Reipub. formas eſſe voluit) ab alio ſtatu ſub eodem Deo & in eadem fide diſcernitur. De quo agit Apoſtolus cap. etiam.7. ad Hebr. cùm diſſerit, ex tranſlatione vel mutatione Sacerdotij fieri mutationem Legis. In qua tota Epiſtola accuratam facit diſputationem de abrogatione veteris Legis, ſed non niſi per aliam: non quæ careat Sacerdote, ſed quæ ſummum habeat Sacerdotem, eumque iureiurando factum: non talem qui careat hoſtia aut ſacrificio, ſed qui habeat quod offerat, æternumque habeat, & in alio ordine habeat. Mutatio enim Sacerdotij & Sacrificij, & non ſublatio ac carentia ſacrificij, conſtituit quamcunque in populo fideli Reipub. formam. Adeo vt cum Daniel cap.3. deſcriptam velit Rempub. in Religione valdè perturbatam ac in atheïſmum inclinantem, dicat, populum eſſe ſine holocauſto, ſacrificio, oblatione, incenſo.

Ratio per antitheſes Statuũ petitas à Sacrificijs in Scripturis.

Ex his nunc obſeruandum eſt, omnem in Scripturis comparationem variorum Statuum, ſeu fidelium, ſeu infidelium, ſemper habere coniunctam comparationem Sacrificiorum. Prima comparatio & antitheſis facta eſt à Malachia cap. 1. habens coniunctum vaticinium de transferendis Sacrificijs veteris populi in nouam oblationem noſtram. Et quia

collatio rerum ex oppoſito aduerſantium debet eſſe ex rebus ſimilium generum, inſtituit contentionem apertam inter Sacrificium & Sacrificium, Sacerdotem Sacerdoti opponit, locum loco, Altare Altari cõfert: panem pollutum, animalia cæca & clauda, oblationi mundæ comparat: contemptum nominis, gloriæ nominis apud Gentes futuræ opponit. Et vt intelligamus de veris Sacrificijs locutum, ſic compellat ſacerdotes: *Ad vos* (inquit) *ô Sacerdotes qui deſpicitis nomen meum, & offertis ſuper Altare meum panem pollutum, & cæcum, & claudum, & debile immolatis, non eſt voluntas mihi in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomẽ meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, &c.* Vbi præter reliquam antitheſin quam proſecuti ſumus, illud quod dicit, ex Sacrificio hoc nomẽ Dei ſanctificari magnumq́; fieri in Gentibus, planè probat de vero ac propriè dicto Sacrificio dici. Eſt enim verus & proprius effectus externi Sacrificij (ſicut dicit Philo lib. de Victimis) vt Deus coram hominibus publicè colatur. Quod & Propheta Pſal. 28. inſinuauit, cùm inquit: *Afferte Domino patriæ Gentium, afferte gloriam nomini eius, tollite hoſtias, &c.* Porrò argumenta vulgaria, quibus probatur hic locus pertinere ad verum externumq́ue Miſſæ Sacrificium, & non ad ſpirituales oblationes, ſunt valida & planè bona. Primùm, verbum *ſacrificare* & *offerre* per ſe ſumptum ſine termino diminuẽte, ſemper in Scriptura propriè pro actu externi ſacrificij accipitur. cùm verò dicitur, *hoſtia laudis, hoſtia vociferationis, ſacrificium contritionis*, & ſimilia, ex adiunctis facilè intelliguntur impropriè accipi. Secundò, Sacrificium hoc, de quo loquitur Propheta, eſt vnum: ſpiritualia autem ſacrificia tot ſunt, quot ſunt Chriſtianitatis bona opera. Tertiò, iſtud eſt proprium Sacrificium nouæ Legis & Gentium, non Iudæorũ. Sed ſpiritualia precum & operum ſacrificia ſunt Iudæis nobiſcum communia. Quartò, hoc de quo Malachias, ſuccedit Iudaïcis, eorumq́ue loco offertur: ſed oratio, ieiunium, charitatiſq́ue

tisque opera nullis sacrificijs succedunt,sed cuilibet generi cõiunguntur.Quintò,Hæreticorum maximè iudicio nostra opera sunt inquinata,vtcunq; speciosa videantur; sed hæc prophetica oblatio per se munda est,& ita per se munda præ veteribus hostijs, vt à nobis vel à pessimis Sacerdotibus pollui omnino non possit. Hîc enim in Testamento nostro nõ possunt sibi seligere optima quæque, & Domino in sacrificium donare languidum,claudum,debile,sicut priùs in veteri: cùm vnica nunc sit hostia ita constituta, vt commutari non queat; ita munda, vt nullo nostro opere contaminari possit. Porro Patres & quotquot vnquam ex professo hunc locum tractarunt catholicè,de sacrificio Eucharistiæ interpretati sunt:etiã tum quando de Sacrificio precum loquuntur aut etiam de Sacrificio spirituali. Vbi Hæretici fallunt & fallũtur.Patres enim Sacrificium nostrum,quia eulogia & prece mystica conficitur,nonnunquã oblationem precum vocant & spiritualem hostiam, quia victima hîc existens non habet crassam, carnalem, cruentamque consecrationem aut immolationem, sicut victimæ Iudaicæ. Vide Tertullianum lib.3. contra Marcion.in fine. Iustinum in Tryphone,Irenæum lib.4.cap.32. Hieronymum in Zachar. 8. Augustinum lib.1.cont.aduersarium Leg.ca.8. licèt lib.2. cõt. literas Petiliani de sacrificio laudis exponat. item Cyprianum lib.1.ca.16 cont.Iudæos,Cyrillum lib.de adoratione in spiritu & veritate.Eusebium lib.1.de præpar.Euang.Damascenũ.lib.4. de orthodoxa fide,ca.14.Theodoretum super Malach. ca.1.

Secunda antithesis.

Alterius inter Iudæos & Christianos, quoad Sacrificij diuersitatem, comparationis fundamenta iecit Apostolus ad Hebr. ca.vltimo: cùm nos habere Altare quidem affirmet, sed tale in quod sacerdotes tabernaculi nullum ius habeant. *Habemus* (inquit) *Altare de quo non habent potestatem edere qui Tabernaculo deseruiunt*. Vbi Græcè θυσιαστήριον dixit,hoc est, *Sacrificatoriũ*. quod non nisi ad verũ Altare,quod est Sacrificij sedes,potest referri. Et Hæretici hoc loco *Aram* transferunt. Neque verò non erat fas Iudæis, credere in Christum, aut spiritualia officia cordis

 colere.

colere.& optimus auctor Haymo in hunc locum dicit: hoc sacrificatorium esse *Altare Ecclesiæ, vbi consecratur Corpus Christi.* Sed quomodo non solum Altare huius status altari successerit veteri, sed etiam panis pani, Sanguis sanguini, Agnus agno, pecus pecori, Pascha Paschati cesserit, potes legere apud Augustinum contra Vrbicum in Epist.86. ad Casulanum. Illa vero quę extat apud Apostolum.1.Cor.10. trium statuū, duorum fidelium, tertij profani, ex analogia Sacrificiorum collatio, pulcherrima est. vnde facilè cernemus, officiū Eucharisticū veris sacrificijs semper cōparari. Et primum cōfertur ab effectu hostijs Iudaicis, cum inquit: *Videte Israel secundùm carnem. Nónne qui edunt hostias, participes sunt Altaris?* Sic vicissim: *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Rursus ad illegitimum statum: *Fugite à cultura*, hoc est, à Sacrificio *Idolorum.* Et quasi reddens eius rei rationē: *Calix* (inquit) *cui benedicimus, nónne est communicatio Sanguinis Domini?* hoc est, habemus alterum sacrificium latriæ Dæmonum repugnans. Sacrificium enim perceptum, semper facit hominē participem eius cui sacrificatur: & absurdum est, vt idem sit Deo & Diabolo sociatus sacrificio. Sed antithesis exactior est ex sequentibus, cum ait: *Quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & nō Deo. Nolo vos fieri participes dæmoniorum. Non potestis Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum, &c.* Obserua, Calicem calici, mensam mensæ, participationem participationi, immolationē immolationi comparari. idq; tantum in Eucharistia factum est, nō autem in cæteris Religionis, Sacramētorum, aut Cæremoniarū officijs.

Tertia antithesis.

Postremo illud addi potest ex D.Augustino lib.10.ciuit. ca. 21. Nisi sacrificiū esset Deo peculiare, in omni Religionis forma, sancti Angeli & homines id tantopere non refugerent sibi exhiberi: vt Act.14. Apocal.19. idque nunc in nouo Testamento, vbi Hæretici nolunt illud ad Deum propriè pertinere. Neque superbi spiritus id tantopere expeterent; qui tamen non minus sibi nunc, quàm alijs olim temporibus sacrificari cupiunt.

Ratio ab exemplis & bonorum & malorū tum Angelorum tum hominū.

cupiunt. Imò (quod caput eſt in hac cauſa) antiquiſſimorum Hæreticorum aut Gentilium operâ effecerunt aliquando, vt in ipſa Euchariſtia ſibi cultus cõſtitueretur, planè per modum Sacrificij. Quod certè nõ factitaſſent, niſi ad imitationem eius cult s ſacrificalis, quem Deo Chriſtiani in hoc ſolo Sacramẽto tribuimus. Sic teſte Iuſtino Apolog. 2. in Mithræ myſterijs noſtri Sacramẽti cultus mimicè dæmoni repræſentabatur. Sic Pepuziani ac Cataphryges apud Auguſtinũ & Epiphaniũ cõficiunt Euchariſtiã ex ſanguine quem minutis punctionibus de infantum corporibus exprimunt. & hoc (inquit Epiphani⁹) *ad apparatum Sacrificij*. Ita multo fœdius Manichæi cõſperſione humani ſeminis ſuper panem Euchariſticũ execrabilem oblationẽ fecerũt. Artotyritæ offerebãt cũ pane Dominico caſeũ, cuius rei reddunt cauſam ad ſacrificium pertinẽtem, apud Auguſtinum hæreſ. 28. ad Quotuultd. Deniq; apud antiquiſſimos Ophitas erat altare ad Euchariſtiæ oblationem, ſub quo alebant colubrum, quem incantationibus effecerant, vt circa Euchariſtiam ſe obuolueret, horribiliterque lambendo hoſtiam quaſi ſanctificaret. In quibus omnibus iſti Sacrificiorum noſtrorum varias operationes imitati ſunt, & id totũ in dęmonum cultũ referebant. Sic tum fecit Satan, vt cum cultus ſacrificij Eccleſiaſtici in ſola Euchariſtia conſtitutus eſſet, eũ omnem his ſuperſtitionibus ad ſe transferret. Nunc vero illud potius tẽtat per Hæreticos, vt totũ hoc genus cultus omnino auferatur, ne in orbe terrarum quicquam vel ſibi, vel ipſi Deo ſacrificetur. Quod ſtudiũ impoſtoris ſpiritus elegãter obſeruauit Petr⁹ Cluniacẽſis, æqualis Bernardi, in Tract. cõtra Petrobruſſianos, qui Sacrificij huius primi hoſtes extiterũt; docẽs, id tentatũ eſſe ab Hęreticis, vt Chriſtiani, qui plurib⁹ beneficijs, quã cæterę omnes gẽtes, à Deo affecti ſint, & propterea ad Sacrificiorum obſequium præ omnibus alijs teneantur, Sacrificiũ tamen è religione explodant. vt ita nuſquam illa peculiaris Diuinitatis ſeruitus in toto orbe extet: non apud Chriſtianos, vbi nunc eſſe deberet: nõ apud Iudæos, ꝓpter deſtructũ Templũ,

Aug. Hær. 28. 26.
Epiph. Hær. 49.

Aug. Hær. 46.

Aug. Hær. 17.

Diaboli ſtudiũ auferẽdi Sacrificium omne.

vbi esse non potest: non apud Saracenos, qui præcepta sacrificiorum à Mahomete non acceperunt: non denique apud Paganos, qui & pauci sunt, & apud quos ita Naturę lumen extinctum est, vt vix esse Deum intelligant. Ita scripsit ille. Et de sacrificio in communi, deque eius necessitate in omni lege & Repub. tam nostra, quàm externa, ita disseruimus.

De Sacrificio Christianorum. vbi cogitandum inprimis, quòd Redempti sumus à Sacerdote, idq; per Sacrificium, & hoc non aliud quàm Corporis eius.

CAP. VI.

Sacerdotium Christi, eiusque Sacrificium.

NVNC de Christiano Sacrificio peculiariter, quia id hoc loco quęrimus, paulo accuratiùs tradēdum videtur. Hîc ergo illud primùm admiramur & suspicimus, hoc nimirum genus externi cultus tam esse excellens, tamque Deo gratum, vt non voluerit solùm per Christum genus nostrum redimi, sed tantummodo per Christum Sacrificatum. Potuit enim reconciliationis nostræ opus per innumerabilia in totâ vitâ clarissima & Patri gratissima opera perfecisse. Solùm nascēdo potuit, potuit sola Circuncisione, solo ieiunio, solo Baptismo, sola sitis vel famis perpessione, vna accepta alapa, vna facta prece consummasse omnia. (Neque enim putandum est, hęc & cætera sanctissima opera fuisse sacrificia omnia, sicut illi existimare debent, qui mortis eius Sacrificium tantum Metaphoricè dictum volunt.) Sed Dei summa sapientia voluit, vt non redimeremur nisi officio sacerdotali: nec nisi summo & proprijssimo actu Sacerdotis, qui in sacrificando est positus. Nam quę fecit Christus omnia, erant quidem sacerdotis, cum ipse à prima conceptione Sacerdos fuerit: sacerdotalisque persona & potestas longè antecelluit regiæ aut cuicunque alij humanę dignitati. quod in infinitam Sacerdotalis Ordinis prerogatiuam commendari Christianorum animis maximè velim. Non tamen omnia, sed plurima erant etiam sacerdotalia munera.

cuius-

cuiusmodi erant, prædicatio Euangelij, remissio peccati, Sacramẽtorum institutio. Quæ omnia faciebat vt Sacerdos: quibus tamen non redemit nos, nec opus propter quod venit consummauit, sed cùm fecisset hęc omnia, adhuc *coarctabatur* Luc. 12. *donec perficeret illud* aliud in quo vno proprium Sacerdotis munus consistit. Neque enim per reliqua, ne sacerdotalia quidem officia, voluit æternus Pater generi nostro reconciliari. Summa enim volũtas & beneplacitum eius erat in Sacrificio, vt propterea ipse Christus inducatur à Propheta Psal. 39. veluti cum Patre paciscens de hac summa voluntate per Sacrificium implenda. *Oblationem, & holocaustum, & pro peccato non postulasti: ecce venio*, inquit. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam*, hoc est, vt meipsum sacrificem. Quem locum pulcherrimè exponit Apostolus, & ad Sacrificiũ nouum accommodat ad Hebr. 10. Neque perfunctoriè est illud apud Paulum pertranseundum, quomodo propter hoc verũ & proprium Sacrificium futurum, incredibili molimine, inenarrabili ratione, non hominis mortalis, sed Sp. sancti inunctione præ omnibus participibus suis, ipsius Patris vocatione, non vulgariter, sed in sermone iurisiurandi, in Ordine qui fuit Aaronis appellatione antiquior, ipsiusque Abrahæ Ordine (nam & is Sacerdos fuit) dignior (quod enim habuit ex Abraham, minus erat, quàm quod illi assimilabatnr in Melchisedec) in Ordine (inquam) æterno Melchisedeci, in cuius personæ & functionis similitudine in lege Naturæ erat præmonstratus, in isto Ordine erat, præfinito à Deo tempore, non tam factus postea in vita sua (sicut reliqui) quàm planè natus Sacerdos. De quo certè est ille *grandis sermo* D. Pauli cap. 5. ad Hebr. *& ininterpretabilis ad dicendum.*

Hostia Christi in Corpore eius.

Deinde notandum, eodem Apostolo auctore, eiusdẽ Epist. cap. 8. necessarium esse & huic Sacerdoti habere aliquid quod offerat. nec tali ac tanto Sacerdoti ipso cœlo excelsiori, & ad maximum Religionis opus quod vnquam extitit nato & vocato, quicquã fuisse in omnibus creaturis reliquis ad victimam

ſatis dignum ac conueniens, præter Corpus ipſius Sacerdotis: eaque vna hoſtia Corporis ſui, & non alia, Seruatorem noſtrũ ſacrificaſſe, reliquaque omnia in quibuſcunque rebus poſita ſacrificia & impleuiſſe, & abrogaſſe: propterea que dixiſſe, cùm ingrederetur mundum: *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi* Hinc Theodoretus Dialog. 1. *Chriſtus* (inquit) *quoad humanitatem Sacerdos appellatus eſt: non aliam autem hoſtiam quàm ſuum corpus obtulit.* Et elegãtiſſimè Auguſtinus lib. 4. Trinit. ca. 14. *Quis* (inquit) *tam iuſtus & ſanctus Sacerdos, quàm vnicus Filius Dei? Quid tam congruenter offerretur pro hominibus & ab hominibus, quàm humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quàm caro mortalis? Quid tam mundum pro vitijs mortalium, quàm caro nata ex vtero virginali? Et quid tam gratè offerri & ſuſcipi poteſt, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectũ Sacerdotis noſtri?* Sic ille. Euſeb. verò lib. 7. Demonſtr. Euang. cap. vltimo, ſicut multa philoſophatur diuinè de hoc ſummo Sacerdote noſtro, ita quo modo Deus Pater perfecerit Filio ſuo corpus ſacrificabile, quo modo Eccleſiæ rationabilem hoſtiam pro brutis victimis præparauerit, quomodoque hæc Humanitatis Chriſti coaptatio ad Sacrificium fuerit in capite libri ſcripta, quaſi omnium Myſteriorum maximum, multis pręclarè diſſerit. Nos id tantùm cogitemus hoc loco, quanta ſit iſta ſapientia Dei, qualem legem, quàm excelſum Sacerdotem, quàm mundam, dignam, & in ſeipſa infinitè placentẽ Deo hoſtiam habeamus, cuius ſola ſigna in veteri & naturæ Lege ita complacuerunt Deo, vt ex eis *odorem ſuauitatis odoratus eſſe* dicatur. Geneſ. 8. Certè qui *reſpexit ad* Sacerdotem *Abel & ad munera eius*, quomodo non reſpiciet in faciem Chriſti ſui, cuius ipſa per ſe perſona ſacrificata, eſt ſuprà quàm dici poteſt grata, eadem & hoſtia & Sacerdos exiſtens?

Theodoret.

Aug.

Euſ.

☞ *In Sacrificio Corporis Chriſti duo ſunt poſita, Redemptio mundi, & Religio populi Dei: illud in Cruce, hoc in Eccleſia.*

CAP.

CAP. VII.

NVNC igitur quia perfectio noui Sacerdotij ac Testamenti non patitur aliam hostiam quàm ipsam Christi carnem, est inprimis obseruandum, per hanc vnam hostiam tùm Religionem, Legemque, ac Testamentum nouum, id est, modum externi cultus esse constiruendum (illud enim Sacerdotij ac Sacrificij proprium esse antè docuimus) tùm etiam cùm hac hostia perfectior aut dignior nulla expectari aut esse queat, per eam etiam consummationem & Redemptionem esse faciendam. Illud volo, parari Victimam noui Testamenti ad duos fines seu duo officia: Vnum est, vt cultum in populo Dei statuat: alterum, vt consummet opus reconciliationis nostræ. Hoc officium habuit Corpus Christi in Cruce, illud habet in Ecclesia. Nam præfigurabatur hæc hostia & prænuntiabatur, non solùm vt in Cruce consummans, sed etiam vt in Ecclesia cultum sacrificalem constituens. Id omnes Patres contestantur: & apertissimè D. Augustinus lib. 1. cont. Aduers. Leg. cap. 18. *Omnia* (inquit) *vetera sacrificia erant vmbra Sacrificij Ecclesiæ, &c.* Ne quis autem Hæreticus dicat, hoc Corpus præfiguratum in cæteris sacrificijs, aptatum esse à Deo ad nullum aliud Sacrificium, quàm Crucis, audi eundem lib. 17. ciuit. cap. 20. *Mensa* (inquit) *quam Sacerdos noui Testamenti exhibet, de Corpore ac Sanguine suo est. Id est enim Sacrificium quod successit omnibus sacrificijs quæ immolabantur in vmbra futuri. Propter quod etiam agnoscimus vocem illam in Psal. 39. eiusdem Mediatoris, Corpus autem aptasti mihi, quia pro illis omnibus sacrificijs & oblationibus Corpus eius offertur, & participantibus ministratur, &c.* Ergo nō solùm ad Crucem, sed etiam ad Mensam coaptatur Corpus Christi pro reliquis sacrificijs. Vide Damasc. lib. 4. cap. 14. de orth. fide, & Isidorū lib. 1. de Offic. cap. 17. sed maximè omnium D. Leonem serm. 8. de Passione: *Nunc* (inquit) *carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differētias hostiarum vna Corporis & Sanguinis tui implet oblatio. Et sicut vnum est pro omni victima Sacrificium, ita nunc vnum de omni gente fit Regnum.*

Sup. cap. 5.

Aug.

Dam.

Isid.

Leo.

His igitur teſtimonijs efficitur, veteres victimas omnium generum, non minùs hoſtiam Altaris, quàm Paſſionis repræſentaſſe, nec magis ad Crucem, quàm ad menſam aptatū eſſe Corpus Sacrificij. imò ſi cultum populi omnibus veteribus ſacrificijs coniunctum cōſideremus, ea hoc tantùm Altaris, nō item illud Mortis imitata eſſe: quædam etiam quoad modum vel materiæ ſimilitudinem magis præfiguraſſe hoſtię Eccleſiaſticę rationem, quàm eiuſdem in mortem ſacrificatæ. Cuiuſmodi fuit illud Melchiſedeci ſacrificium, qui ratione materiæ in qua ſacrificabat, Eccleſiæ potiùs actionem quàm Crucis expreſſit: licet Chriſtus in morte etiam perfunctus ſit ſacerdotio non Leuitico, ſed Melchiſedeciano. Sit igitur fundamentum diſputationis: tale Sacrificium à Chriſto inſtituendum fuiſſe, quod nouam Legem ac Teſtamentum conſtituat, rationemq́ue cultus ſupremi ad nouum ſtatum pertinentis contineat. ſed hoc non potuit eſſe in hoſtia Crucis, vt in Cruce oblata eſt: ergo alium eiuſdem hoſtiæ modum & cæremoniam inſtituit.

In Sacrificio Corporis Chriſti, non vt in Cruce, ſed vt in Cœna (vbi Noua Lex, Nouum Teſtamentum, Nouum Paſcha, Nouum Sacerdotium) verſari Religionem noſtram.

CAP. VIII.

Prima ratio.

Qvòd autem in crucis officio Religionis noſtræ cultus inſtitui non potuerit, vel ex eo manifeſtum eſt, quòd illud in ſeipſo vnica actione eſt finitum, & actu conſumptum, licèt eius vis æternùm operetur. Neque enim ſacerdotes rurſus facere Sacrificium Crucis, neque populum ad talem Religionis cultum conuenire, neque Chriſtum iterum ſic pati aut ſic offerri oportuit. Ergo ſimpliciter in eo genere actionis non potuit collocari cultus nouæ Legis.

2. Inchoatio nouæ Legis.

Secundò, per Sacrificium Crucis non diſtinguitur propriè ſtatus noui populi à ſtatu qui fuit in Lege vel ante Legem: quia eſt commune quiddam & quaſi tranſcendens bonum, vel ſuſ

comme-

commemoratione, vel vi atque effectu ad omnem Legem indifferenter pertinens: cùm cultus ac cæremonia cuiusque Legis eò & non aliò tetenderit, neque alia quàm Religio Crucis à primi Abelis sacrificio vsque ad nouissimam cuiusque fidelis oblationem in omnibus legitimis ritibus extiterit. Et propterea qui in populo veteri intelligebant quò omnia illa sacrificia essent referenda (sicut Patriarchæ & spirituales in plebe plurimi) suo modo ad nouum Testamentum pertinebant, & Crucis veri cultores erant, licèt cultus tunc in ipso corpore Sacrificij non fuerit collocatus. In summa, vterque populus suo cultu tendit in Sacrificium Mortis Dominicæ, sed hoc discrimine (sicut obseruauit Augustinus lib. 20. cõt. Faustum ca. 21.) quòd ante aduentum per victimas similitudinũ promittebatur, post ascensum per Sacramentum memoriæ celebratur. Vbi & Sacrificium Crucis vtrique comparans, facit illud veritatem & quasi medium scopum vtriusque sacrificij in cultu positi, tam nostri, quàm Iudæorum. Ex quo sequitur, sacrificium Crucis non per se distinguere status, licèt statim ad illud Sacrificium perfectum, vel dum perficeretur, omnium præteritarum cæremoniarum vis ac obligatio cessauerit, & veritati exhibitæ conuenientior cultus institutus fuerit. Vt sic Sacrificium Christi in Cruce sit causa cur nouus cultus institutus fuerit quo Lex à Lege distingueretur, non autem ipsa ratio distinctionis externæ vel constitutionis vllius peculiaris Testamenti. Et hæc est causa, cur non possit rectè dici, Legis veteris sacrificia mutata esse in Sacrificium crucis, sed in Sacrificium Ecclesię. Terminata sunt quidem illa in Passionem tanquam in veritatem, quo etiam & nostrum refertur, & in quo incepit: Neque sacrificium Crucis successit sacrificijs veteribus, quomodo neq; nostrum succedit Sacrificio Crucis, sed ab eo & posterius hoc vnum & alia multa priora dependebãt. Et Patres quandocunque de translatione, mutatione, aut successione Sacrificiorum inter se loquuntur, docent illa priora mutata in nouum Ecclesiæ, aut hoc Ecclesiæ illis successisse in ritu noui Testamenti.

 Vide

Vide Augustini locum paulò superiùs citatum ex 17. Ciuit. cap.20. Et Paulus ipse quando argumentatur à translatione Sacerdotij ad mutationem Legis, non tam propriè respicit illum vnicum actum sacerdotalem Christi peractum in Cruce, quàm totum officium Sacerdotij nostri & ipsius, incepti in Christo, & per eum nunc æternum cultum nouæ Legi congruentem in Ecclesia constituentis.

Ad Paulum.

3. Deinde sacrificium quod distinguit status, & constituit status, propriumque est noui Testamenti, est ritus à Deo præceptus Ecclesiæ, teste Augustino: sed Sacrificium Crucis non est alteri quàm Christo mandatum: ergo Legis nouæ cultus in eo non collocatur. Sic enim contra Faustum lib. & cap. allegatis, appellat Sacrificium Ecclesię *ritum in manifestatione noui Testamenti præceptum, pertinentem ad illum cultum qua latria dicitur, & vni deo debetur.* Ita ille.

4. Rursus immutabilitas ac æternitas nouæ Legis non ab alio quàm Sacerdotio æterno dependet: Sacerdotij verò æternitas ne intelligi quidem potest sine suo proprio actu, id est, Sacrificio, eoque æterno, ac non mutabili vel reprobabili mandato. sicut mandatum vetus apud Paulum Hebr.7. dicitur esse reprobatum propter infirmitatem ac imperfectionem. In Cruce verò actus Sacerdotij Christi non fuit æternus. Ex quo sequitur, æternitatem nostræ Legis non in ipso crucis Sacrificio constitui, licèt ab eo efficiatur. Ad hoc argumẽtum plurimum valet illud quod D. Cyprianus ser. de Cœn. Dom. tradit, Carnẽ Dominicam ita fuisse in Sacramentum & hostiam conficiendam, vt nõ sectione, aut comestione, aut alia imminutione deficiat, quomodo Capharnaïtæ in manducando Domino conceperunt: sed sic præparandam, vt semper offeratur, sed tamen nunquam deficiat, ne non esset satis ad totum orbem Christianum pro victima Religionis suæ. *Qua* (inquit) *sublata aut consumpta, nulla esset futura Religio.* Quo optimo loco planè cõuincitur, Religionem Christianorũ, eiusque æternitatẽ esse cõstitutã in Victima Ecclesiæ & Altaris, in crucis oblatione nõ itẽ.

Aeternitas nouæ Legis.

Cyp.

Hinc

Hinc Chrysostomus super. 9. Hebr. dicit: *Hostiam nostram quam Ecclesia offert esse inconsumptibilem.* Et Eusebius Emiss. Hom. 5. de Pasch. vocat, *perpetuò currentem Redemptionem, perpetuã oblationem,* & *perennem victimam.* Omnesque Græci & Latini dum illud interpretantur, *Tu es Sacerdos in æternũ secundùm Ordinem Melchisedec,* ita differunt, vt intelligas hãc æternitatem cõstitui non solùm in æternitate personæ Christi, quòd semper viuat & interpellet pro nobis, sed quòd fungatur per Ministros ac Vicarios suos quotidiano ac perpetuo Sacerdotio in Sacrificio Ecclesię, habeatq; in noua Lege æterni Sacerdotij æternã victimã. Pręclarus est Lactantij locus cap. 14. lib. 4. instituit. *Iesum Sacerdotẽ cõfecisse sibi Templũ magnũ & æternũ,* hoc est, Ecclesiã, *in quo Templo* (inquit) *æternũ Sacerdotiũ habeat necesse est secũdùm Ordinẽ Melchisedec.* Et Arnobius huius pręceptor in Psal. 109. *Per Mysteriũ* (inquit) *panis & vini factus est Sacerdos in æternũ.* Et in Psal. 110. ad illũ versum, *memor erit in seculũ Testamẽti sui:* & ad proximũ, *Mandata eius cõfirmata sunt in seculũ seculi,* dicit: *hoc est Testamẽtũ æternũ, cõfirmatũ, per quod dedit escã Corporis timẽtib⁹ se.*

Chrys. Emiss. Lactant. Arnob.

Sed ipsæ sacrę Scripturæ atque Sacramenti prima institutio apertissimè conuincunt, nouã Legem eiusq; æternitatẽ (quoad externã Religionẽ dico) propriè institui ac collocari in Sanguine huius Sacrificij, cùm Paulus clarè dicat: *Hic Calix nouum Testamentũ in meo Sanguine:* Similiter & Lucas. Matthęus autẽ sic, *Hic est Sanguis meus noui Testamenti:* Ecclesia verò sic, *Calix Sanguinis, noui & æterni Testamenti.* Ex quibus Diuinis verbis illud habemus, sic se habere hunc Sanguinem ad nouum Testamentum, sicut se habuit Sanguis taurorũ & vitulorũ ad vetus: & sicut vetus Testamẽtum est confirmatũ per Sanguinẽ sacrificij quem Moses Exod. 24. accepit in craterem vt eo conspergeret populum, ita & nouum per hunc Sanguinem Sacrificij nostri primùm dedicatum fuisse. Est enim hoc Sacramentum tam mirabiliter institutum, vt per illud Sanguis effusus & immolatus in Cruce commodè possit aspergi toti populo fideli per prius Sacrificium in mystica morte peractum.

5. Nouum Testamentum. 1. Cor. 10. Luc. 22. Mat. 26.

Valde-

Valdeque quadrant hæc. Illud enim ſacrificium, cuius ſanguine aſpergebatur populus, fuit primum ſacrificiũ poſt Legem datam,& ideo peractum,vt in eo fœdus illius Teſtamenti inter Deum & populum conſtitueretur. ita hoc in ipſo momento mutationis veteris fœderis,cùm iam Chriſti Paſſio currere incepiſſet ſed peracta nõ eſſet,Sanguine immolato aſperſit Apoſtolorum Eccleſiam, eamque in nouum populum Deo obſignauit.Congruunt deinde vtriuſque Teſtamenti condendi ritus:ſicut enim vetus non eſt initum,niſi ſolenni modo,adhibitis Sacerdotibus, conuocato populo, præſentibus ordinibus, euocatis inter Deum & hominem teſtibus,erecto Altari,peracto ſacrificio,ſanguine in pateram ſumpto (*neque enim*,inquit Paulus Hebr. *9. prius Teſtamentum ſine ſanguine dedicatum eſt:*) ita & nouum multò præſtabiliori Sanguine, & non diſſimilibus ritibus dedicãdum erat,neque id alibi quàm in Cœna ſanciri potuit. Ibi enim cùm Legiſlator nouus adhuc liber eſſet, ſuíque iuris,haberetque poteſtatem cõuocandi ſuos,adhibendi teſtes,conſtituendi hæredes & Vicarios,ſuamque voluntatem declarandi coram Eccleſia (quæ ferè ibi tota in Apoſtolorum perſonis in grandi cænaculo conuenerat) tunc inſtituit Teſtamentum Legemq; æternam: non in Cruce, vbi non gerebat extrinſecus perſonam publicam, non Sacerdotis, non promulgantis Legem,non liberi, non Patrisfamiliâs, nõ mandantis nec præcipientis,ſed nouiſſimi hominum, à Deo & ab omnibus ſuis ipſiſque Teſtamenti hæredibus quaſi deſerti ac derelicti,ad quem iam tum nemo ſuorum vel vocatus accedere auderet. Quamobrem Paulus non docet, nouum Teſtamentum initum morte Chriſti, ſed confirmatum eſſe, roburque accepiſſe:vt ſicut vulgò homines priùs faciunt Teſtamentum, tum moriuntur, deinde poſt mortem incipit valere Teſtamentum: ita in Chriſti Teſtamento accidiſſe credẽdum ſit. Sic deinde congruunt ipſæ verborum formulę,vt facilè perſpiciamus, Chriſtum ad inſtitutionem ſui Teſtamenti imitatum fuiſſe ſtata verba Moſaica, ita pronunciantis, *Hic eſt Sanguis fæ-*

Ad Paulum.

deris

deris(vel,vt Paulus legit,*Hic est Sanguis Testamenti*)*quod mandauit ad vos Deus*: cùm Legislator noster ita viciſſim dicat, *Hic est Sanguis noui Testamenti*. Et quòd ad ſolennem formam condendi Teſtamenti in ſanguine pecoris alludat, id planè oſtendit, quòd non dixerit ad priorem ſpeciem, *Hoc est Corpus noui Testamenti*, ſicut ad Calicem. cuius rei ratio alia non extat, quàm quòd cæremonia prioris Teſtamenti hoc loco implenda non poſuit dedicationem in corpore victimæ, nec pactum inter Deum & hominem,ſed in eiuſdem victimæ exhauſto ſanguine. Proinde Euangeliſtæ,& Paulus, ac Liturgiæ omnes in forma Calicis non temerè & caſu,ſed ſtudio,*noui Testamenti* vocabulum apponunt,& ita apponunt, vt doceant, Teſtamentum nouum planè fundari in illo Sanguine, non propter futurum (ſicut Hæretici obganniunt)ſed propter tum peractum Sacrificium ac immolatum Sanguinem. Neque enim erat ſanguis futuri ſacrificij in quo dedicauit Moſes vetus fœdus,ſed eius victimæ ſanguis fuit quæ iam antè erat immolata & conſecrata Deo. Ita in præſenti tempore poſuit Seruator Teſtamentum ſuum in Calice quem demõſtrabat.Dicit enim ſecundùm Lucam & Paulum,*Hic est Calix nouum Testamentũ in meo Sanguine.* Reliquam enim ſententiam circa præſentiam fecerunt obſcuriorem, vt clariùs demonſtrarent, in illo ſancto poculo immolato initum eſſe iam tum fœdus noui Teſtamenti.Quæ etiam cauſa fuit(ſicut rectè Recentiores notarunt)quòd Euangeliſtę efferant in præſenti tempore, *effunditur*,& non, *effundetur*. Sic enim Grςcè,& non per futurum,legitur. vt ſciamus etiam tum ſacrificatum,pro peccatis effuſum, & Apoſtolis cùm biberent multo magis intimè aſperſum, quàm olim ſanguis vituli cùm ad initiationem veteris Teſtamenti in populum aſpergeretur.

Ad Hæreticos.

Reliqua etiam omnis collatio quam Paulus inter duo Teſtamenta inſtituit, non ſolùm in ſanguine fuſo & aſperſio ad dedicationem vtriuſque Legis & populi cernitur,ſed ita ad cætera officia & ritus penè vniuerſos refertur, vt nunquam vnius ad alterum exacta correſpondentia intelligatur, niſi Seruato-

6.

rem in Cœna & ſacrificaſſe, & Teſtamentum ſuum dedicaſſe confiteamur. Vide enim mihi comparatum Miniſtrum Miniſtro, Tabernaculum Tabernaculo, Sancta Sanctis, vmbrā imagini, figuram veritati, exemplaria cœleſtium ipſis cœleſtibus, inutiliores hoſtias melioribus hoſtijs, ſanguinem Sanguini, aſperſionem aſperſioni, munditiem carnalem munditiei conſcientiæ, temporales promiſſiones melioribus promiſſionibus, & cætera ſimilia, quæ Apoſtolus accuratè proſequitur in illo annuo Expiationis ſummo officio, quod in exemplum totius Chriſti propitiatoriç actionis propoſuit. Nec certè impleri potuit in illo ſolo Sacrificij genere quod in Cruce peractum eſt, licèt illic Paulus propter Hebrçorum imbecillitatem, de ratione Sacerdotij quod eſt poſitum in nouo Sacramento, nihil dixerit expreſſè. Quod & D. Hieronymus in Epiſt. ad Euagriū, ideo factum fuiſſe annotauit, ne Iudæis infidelibus Sacramentum proderet. Sed applicemus parumper animum ad ea quç gerebantur à veteri Pontifice in illo ſacrificio pro peccato Leuit. 16. vt, ſicut Paulus ex eo ſumit argumentum, oportere Ieſum pati extra portam Hebr. 13. ita nos comprobemus, oportuiſſe ipſum ſe immolare, antequam eijceretur tanquam anathema extra ciuitatē ad mortem Crucis. Fuerunt autē in illo vniuerſo ritu iſta prçcipua. Primùm, victima erat per conſecrationem Deo dedicanda, & morti deputanda, ſic vt poſt illā deſignationē ad futurum ſacrificiū non potuerit de mortis ac immolationis obligatione eximi, iuxta illud Leuit. 27. *Omnis conſecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur.* Sed hoc non eſt impletum in Cruce, ſed in cœnaculo, vbi ſolenni cæremonia ſe primùm in mortē conſecrauit. Circa quod tempus illud apud Ioannē cap. 17. *Ego pro eis ſanctifico meipſum,* illum dixiſſe aliàs commemorauimus. Secundum fuit, vt victima offerretur ad oſtium Tabernaculi. Tertium, vt ſanguis inferretur à Pontifice ipſo intra velum tabernaculi ſecretioris. Quartum, vt intrà & extrà in omnia vaſa ſacra & ſacrificiorum inſtrumenta, populi immunditijs inquinata, ſanguis aſpergeretur.

Leu. 16.

Comparatur Sacrificium Expiationis & Sacrificium Christi.

Sup. lib. 1. de Euch. ca. 9.

retur. Quintum, vt reliquus ſanguis non acceptus in Calicem effflueret ad cornu Altaris, vtq; corpus victimæ tandem deportaretur extra caſtra. Et hoc vltimum (Paulo interprete) impletur, dum patitur extra portam, & dum ſanguis ex punctura lateris effluxit in terram ad cornu Crucis. Reliqua autem debebant omnia impleri ante deportationem per aliquam functionem ſacerdotalem & propitiatoriã, quę niſi in Cœna eſſe non potuit. Quare apud Iſychium varijs locis quinti lib. ſuper Leuit. & Gregorium Nyſſ. in vita Moyſis, oſtium tabernaculi eſt illud grande cœnaculum, hoc eſt, Eccleſia, in qua ſe priùs obtulit quàm eijceretur extra ciuitatem. Nam & *ædificauit ſibi domum* in Sacrificium Sapientia, & non ſub dio, vt in Cruce, ſed *in ea parauit ſibi menſam, immolauit victimas, & miſcuit vinum ſuum.* Prouerb. 9. Apud iſtos etiam Corpus Chriſti eſt *Tabernaculum quod fixit Deus, & non homo*, quod apud Moſen Exod. 15. eſt *Sanctuarium quod firmauerunt manus eius*, & *habitaculum quod operatus eſt Dominus.* Et Sap. 9. *Tabernaculum præparatum ab initio.* quod etiã Dauid *Arcam ſanctificationis* dixit, Pſal. 131. ac Apoſtolus certè nomine *cœli* ac *cœleſtium* (vt multis placet) intellexit, cùm dicit *Pontificẽ noſtrũ per ſemetipſum ingreſſum eſſe ſemel in cœlũ*, ſeu *in ſancta nõ manufacta, æterna redemptione inuenta*, ſicut alter Pontifex ſemel quotannis *in Sancta Sanctorũ, quæ erant exemplaria horum verorũ*, hoc eſt, ipſius Corporis Chriſti, & nõ vulgariũ cœlorũ. Quod indubiè Corporis Chriſti tabernaculũ oſtẽſum eſt Moyſi in monte, cũ ad eius, & nõ ad cõmuniũ cœlorũ exemplar & ſimilitudinẽ omnia facere iuberetur. Hoc ergo interius Tabernaculũ, verũ cœlum ac cœleſtia continens, intrauit noſter Pontifex in diebus carnis ſuæ cũ pontificali interpellatione, in qua *exauditus eſt pro ſua reuerentia*, cùm ſe comedendo & bibẽdo, in ſemetipſum ingreſſus eſt, ineffabili ſacrificali opere ſanctificans & emundans ſuũ Corpus, verũ ſanctuarium ac Altare noui Teſtamenti, interiori aſperſione proprij Sanguinis, nõ à ſuis, ſed ab immunditijs filiorũ Iſrael. Quo tẽpore etiã corpora ac corda Diſcipulorũ *intelligibili*

Iſych. Nyſſ.

Sanguine aspersit, dixit Isychius, tanquam summa noui Testamenti ac Sacrificij organa futura. Si autem ingressum Christi in cœlum, quem Paul⁹ tam studiosè coaptat Pontificis ingressui in interius Tabernaculum, accipiamus pro illa ascensione Domini in visibile cœlum, certè nec tempus quadrabit, nec ex illo vllus sacrificalis ritus impletus videri queat, cùm multò antè, totum Redemptionis opus eiusque postremum actum, in eo quòd extra portam tanquam anathema eiectus est, consummauerit. Et indubiè quicquid erat sacerdotalis muneris in introitu cum sanguine in Tabernaculum, si veritas figuræ respondeat, debebat totum impleri ante mortem ac Sacrificium peractum in Cruce. Neque enim vel in sepultura, vel in inferno, vel in Resurrectione, vel in Ascensione, vel in ipso cœlo aliquid propriè facit sacerdotale, nisi respectu nostri Sacramẽti, quod ipse per nostrum ministerium continuò efficit & offert.

7. *Comparantur Sacrificiũ Agni paschalis & sacrificium Christi.*

Deinde Sacrificium Agni paschalis perfectissimum exemplar immolati Domini extitit, quod totum siue tempus, siue modum oblationis, siue locum, siue vsum consideres, propriè impletur in Sacrificio Cœnæ. Illud enim Moses fecit vna nocte antequam exiret ex Ægypto & populum liberaret è seruitute. ita vna nocte antequam Christus populum suum assereret in libertatem, Cœnam hanc fecit: illum Agnum in vna domo, hoc Pascha Corporis etiam in domo. Illic aspersio sanguinis, hîc quoque aspersio. Illic Religio trãsitus Domini, hîc quoque Religio transitus Illud æternum memoriale, hoc in Christi memoriam. Vnde sic ratiocinamur ad principalem causam: Fecit Christus transitionem primam à veteri Lege in nouam per nouum Pascha. Fuit autem nouum Pascha priùs in Cœna, quàm in Cruce. Ergo ibi est constituta noua Lex, nouus populus, & Testamentum. Quòd autem Christus verè fuit Pascha in cœnaculo pridie quàm pateretur, contra Hæreticos qui illum tantùm vel in Cruce, vel in cœlo Pascha cõstituunt, omnis antiquitas docet. Sic enim Tertullianus lib. 4. cõt. Marcion. docet, illud Pascha, quod tãtopere desiderabat Dominus manducare

Nouum Pascha.

Tertul.

ducare antequam pateretur, non fuisse Iudæorum, sed suum Pascha, cùm carnes pecudum non tantopere expetiuerit. Origenes verò super 26. Matth. *In grandi* (inquit) *cœnaculo Corporis sui fecit Pascha nouum cum Discipulis suis.* Isychius lib. 2. in Leuit. *Priùs figuratam ouem cum Discipulis suis, postea suum Sacrificium fecit.* Et ibidem, Christum in hoc Sacramento *arietem secundum* appellat. Quomodo Augustinus in Epist. 86. contra Vrbicum, *pecus noui Testamenti*, & *ouem.* Beda etiam, *in Sacramento vitulum saginatum*, lib. 4. super Lucam cap. vltimo. Chrysost. super illud Matth. 26. *Et accipiens Calicem: Si figura* (inquit) *in Agno Paschali liberauit populum à seruitute Aegypti, multò magis hæc veritas liberauit orbem terrarum.* Ita ille de Paschate in Sacramento dixit. Quòd ergo *Pascha* fuerit impletum in Sacramẽto, & quòd ibidem *Pascha nostrum immolatus sit Christus*, est fundamentum totius doctrinæ Christianæ, ipsius Tridentini Concilij iudicio comprobatum. Ex quo claret contestatissima Ecclesię veritas, in illa vna mensa vetera & noua sibi mutuò occurrisse, ibique nouum Testamentum incepisse, planeque venisse Regnũ Dei quod intra nos est. Nam sic multi rectissimè exponunt illud Luc. 22. *Ex hoc non manducabō illud, donec impleatur in Regno Dei*, hoc est, in Ecclesia. Et de Calice similiter: *Donec illud bibam nouum in Regno Dei*, hoc est, in Sacrificio noui Testamenti. Vt sic & Agnus, & Calix vetus significentur impleri in Sacramento protinus instituto, vbi nouum Pascha comeditur & bibitur in Regno Dei. Vide Venerab. Bedam super hunc locum Lucæ, cap. 91.

Orig. Isych. Aug. Beda. Chrysost. 1. Cor. 5. Sess. 22. cap. 1.

Postremò, vt concludamus hunc locum, obseruandum est tum primùm mutatam esse Legem, Statum, & Testamentum, omnemque rationem Sacrificij & anterioris Sacerdotij, cùm nouum Sacerdotium est à Christo institutum, nouique Sacerdotes ordinati. Sed super institutione & mandato huius Sacramenti inchoatum est nouum Sacerdotium, noui creati sacerdotes, in isto verbo, *Hoc facite.* Ergo necessum est, vt ibi primũ dedicetur nouum Testamentum. Et quomodo Lex, Testa-

8. Nouũ Sacerdotium. Mat. 26.

mentum, Pascha, noua esse cœperint in Sacrificio Cœnæ, & qua ratione reliquę figuratiuę pro peccatis operationes magna ex parte in eodem Sacrificio impletæ sint, explicatum est satis.

In Cœna institutum esse Sacerdotium & Sacrificium secundum Ordinem Melchisedec.

CAP. IX.

Nvnc verò ipsum Sacerdotium Ecclesiæ hîc inchoatū quoque esse, panisque ac vini Melchisedecianum ritum proprijssimè impletum esse, & argumento, & omnium Theologorum, qui vnquam ante hanc hæresin extiterūt, communi sensu docebimus. Argumentum autem sic facimus, oportuisse Christum constituere Sacrificium Ecclesiæ cui esset coniunctus cultus in illo genere rerum sensibilium, in quibus ille sacrificauit qui figurauit eius æternum sacerdotium in hoc ipso noui Testamenti cultu perenni. Sed Melchisedec pręfigurabat cultum perpetuum Ecclesię per oblationem panis & vini: Proinde si vnquam Christus hanc suî, quatenus sacerdos erat, amplissimam figuram impleuit, profectò in Cœna sacrificauit. Non sumo argumentum ex ipso ordine, sicut multi suo quodam sensu non malè, qui differunt, nisi in pane & vino sacrificatum esset, Christum nunquam fuisse Sacerdotem secundùm Ordinem Melchisedec, cùm nō in Cruce secundum eum Ordinem sacrificasse putent. Quia Ordo, licèt ferè habeat aliquam magis peculiarem rem & materiam circa quam inter sacrificandum versetur, tamen quia idem Ordo (vt verbi gratia, Aaronicus) habet nonnunquam multiplicem rem & ritum sacrificationi subiectum (nam & animata & inanimata, sanguinea & sanguinis expertia, vt sal, panes, vinum, oleum, & similia,) non tam propriè distinguitur aut constituitur Ordo ex materia sacrificabili, quàm ex vocatione ac modo inunctionis ac inaugurationis suæ. poteſtque fieri (& certè ita fuit) quòd Christus in Cruce fuerit Sacerdos secundùm Ordinem Melchi-

Christus nunquā sacrificauit secundū ordinem Aaron.

Melchisedec, cùm tamen in illo actu vel modo sacrificationis, Melchisedec Christo propriè nō fuerit assimilatus, cùm is nūquam sacrificauerit (quod nouerimus) vel seipsum, vel aliâs cruētas victimas. Ita enim statuimus, Christum certo quodam genere vocationis ac vnctionis, ipsoq; iureiurando, à Patre cōstitutum Sacerdotem, hoc est, ordinatum sic, vt eius vocationis in multis imaginē gesserit Melchisedec, & propterea vocatum Sacerdotē secūdùm eū Ordinē. & in hoc, & nō in alio Ordine, nō solùm impleuisse hui⁹ sui Ordinis, sed etiā Ordinis Aaronici, & cuiuscūq; alterius Ordinis figuratiua sacrificia omnia. Aliud enim est, implere figurā talis Ordinis, aliud in illo vel ex illo ordine sacrificare & implere. Christus impleuit in Cruce expressè sacrificia omnia cruenta Aaronica, sed nō vocatione, deputatione, inūctione, vel ordinatione Aaronis, verùm Patris iussu, & inunctione Sp. sancti, & proinde omnis actus sacrificalis siue cruentus, siue incruētus, quem fecit ad aliquem certum Ordinem, processit ex auctoritate vocationis, quæ nō fuit Aaronica, sed Melchisedeciana (nam actus sacrificatiōis Agni Paschalis, quē fortasse tribus annis, quibus habuit familiā, Paschali tempore fecerat, nō erat tantùm Sacerdotū, sed quodā certo priuilegio, omniū patrumfamiliâs, vt antè ex Philone notauimus.) Ex quo sequitur, Christū Aaronicè nunquā sacrificasse, vtut actus quē gessit, vel ipsa materia sacrificij, fuerit Aaronicis victimis simillima. Nescio enim quo modo horret animus dicere, Christum redemisse genus humanum sacrificio alterius Ordinis, quàm sui. Cùm apertè Paulus pronunciet, consummationem non esse per Leuiticum, sed per Melchisedeci Ordinem. Paulus verò cùm ad Hebræos de ipso per se Ordinū discrimine differit, non tam vrget materiam aut ritum sacrificalem, quàm ipsam vtriusq; consecrationē, potestatē, & veluti charactérē ordinatiōis, ex quo antiquitas, stabilitas, immutabilitas, & dignitas Melchisedeciani Ordinis præ Aaronico cernitur. In quibus quoq; rebus, licèt subobscuriùs, etiā illā liberā Legis Naturę sacerdotalē potestatē eidē nouo Ordini cōfert,

Sup. cap. 1.

Heb. 7.

dum

dum cap.7.Abrahamum Melchiſedeco cõparat & longè poſtponit. Melchiſedec autem illis primis temporibus (niſi fallor) conſtitutus fuit non tam ex Ordine primogenituræ,aut carnalis ſucceſſionis propagatione,quàm ex ſpeciali ſummi Dei immediato mãdato ac vocatione,præter cæteros omnes eius ſtatûs Patriarchas. Vt non ſolùm ritu & materia, ſed ipſo etiam ordinationis ſuæ modo ac poteſtatis æternitate, vtpote quæ ſurrogationem aut ſucceſſionem non patiatur,typum FilijDei gereret.De qua re vide Epiphanium Hæreſ.55. Huic Melchiſedec etiam nõ dubitamus certum ritum & rem, nimirũ oblationem panis & vini propter Eccleſiaſtici Sacrificij præfigurationem præſcriptam eſſe diuinitus:cùm antea hoc genus ſacrificij ferè apud Patres nõ extiterit,cùm in Lege Naturæ cruenta ferè eſſent vniuerſa, ad imitationem potius Abelis, quàm Caini. itaque illum celebri Sacerdoris nomine ac officio primum claruiſſe in Scriptura,& in antiquitate nonnunquam(vt apud Cyprianum Epiſt.ad Cecilium, & in tremendis Myſterijs noſtris) vocatum Summum Sacerdotem. Sic igitur habet res:Hunc,licèt in exemplum Sacerdotij Chriſti propoſitũ à Deo, non tamen congruenter potuiſſe omnem modum & materiam ſacrificalem à Chriſto vſurpatam imitari, quia non potuit nec debuit ſe neci ad Sacrificium tradere; & propterea illud tantùm vnicum reliquum Sacrificium, quod in pane & vino conſtitutum eſt, atque ad cultum ac Religionem æternam nouæ Legis propriè pertinet,imitandum ſeu præfigurandum accepiſſe.

Vt ad propoſitum ergo reuertamur,non ratiocinamur à toto ordine,quaſi Chriſtus nil geſſerit extra Cœnam ex poteſtate Ordinis Melchiſedeci,hoc eſt,ex vocatione ſua: ſed aſſerimus,hunc præcipuum typum in pane & vino ſpecialiter conſtitutum tanquam ſui Ordinis proprium munus(cùm aliter eũ nunquam ſacrificaſſe credibile ſit) à Chriſto neceſſariò adimplendum fuiſſe: Vt ita non ſolùm Ordine, dignitate,ac vocatione, ſed etiã Ordinis illius proprio officio,ſeu materia,fuerit

Melchi-

Melchisedeco assimilandus. Indignum enim esset, vt qui exactè compleuit omnes figuras positas in alieno, hoc est, naturali & Aaronico Ordine, vnam illustrissimam figuram, eamque solam, in suo Ordine, simili Sacrificio non impleret. Ex his facilè potest perspici, frustrà hîc Hæreticos, vt impediant hoc argumentum, se torquere & quęrere quomodo aliorsum conueniat Christo cum Melchisedec, quàm in sacrificio panis & vini: cùm nos nō negemus, multis alijs modis, & inprimis ipso Ordinis charactére cōuenire; sed in hoc etiam similes esse debere, quòd in simili materia sacrificauerint, cum omni antiquitate, nullo Patrum excepto, asseueramus. Quorum etiam iudicio illam alteram tergiuersationem ex Grammatica petitam contemnimus, dum impudenter sophisticantur isti, Melchisedecum nunquam obtulisse panem & vinum, sed ea tantùm ad commeatū Abrahæ & socijs proposuisse: cùm Scripturam *protulisse*, non *obtulisse*, dicere contendant, adeò vt ne Sacerdotem quidem fuisse nonnulli Hæreticorum ausi sint affirmare propter verbi Hebraici indifferentiam, quo & Sacerdos & Satrapas significari queat. Isti audaciæ opponim' ipsum Paulum & Sp. sanctum qui per os Dauid ex Genes. 14. statuit, Melchisedec fuisse certi Ordinis Sacerdotem. Reliquæ assertioni opponimus Cyprianum Epist. 3. lib. 2. vbi accuratè docens eum & obtulisse Sacrificium Deo, & illud fuisse propriū Sacrificium illius Ordinis, & in eo gessisse typum Sacrificij Christi in Altari, vtroque verbo & *offerendi*, & *proferendi*, pro eo quod est, *in Sacrificium proponere*, vsus est. Qui locus eodem etiam modo tractatur ab Eusebio lib. 5. Demonst. Euang. cap. 3. ab Arnobio, Cassiodoro, & omnibus qui quicquam scripserunt in Psal. 109. ab Ambrosio lib. 5. de Sacramentis ca. 1. & de ijs qui Myst. init. cap. 8. à Hieronymo in Matth. 26. & in Epist. ad Euagrium, à Chrysostomo Hom. 35. & 36. in Genes. & de proditione Iudæ. ab Augustino in Psal. 33. conc. 1. & lib. 17. & 18. de ciuit. Dei. à Damasceno lib. 4. cap. 14. de orthodoxa fide. & ab Athanasio atque Photio apud Oecumenium super 5. ca. ad He-

Ad tergiuersationes Hæreticorum.

Gen. 14.

Heb. 7. Ps. 109. Cyp.

Eus. Arnob. Cassiod. Amb. Hier. Chrys. Aug. Dam. Athan. Photius. Oecum.

Clem. Alex. In Sacrificio Melchisedec quæ mutatio fuerit.

ad Hebræos. Sed summopere notandus est locus apud Clementem Alexandrinum. 4. Stomatum, vbi docet, Melchisedec etiam aliquo ritu cōsecrasse illum panem quem legimus eum Gen. 14. obtulisse: vel (quod idem est) solenniter protulisse. Vnde colligere licet, illum multa sacerdotali ritu peregisse circa elementa, vt sacrificium verum fieret, quæ Scriptura non commemorauit. Nam in comestione (quod quidam autumāt) sacrificationem illius panis & vini constitutam fuisse, mihi non persuadeo: multisque alijs modis, mutationibus, fractionibus ante manducationem propositæ res in Sacrificium confici poterant. Et certè colligere possumus ex Theodoreto q. 63. in Genes. panes cum vino in massam farinæ redactos Abrahæ veluti in communionem, & Deo in Sacrificium exhibitos. Et Epiphanius, quem solent Aduersarij citare, ac si diceret, Melchisedecum panem & vinum Abrahamo in cibum, nō Deo in Sacrificium obtulisse, Hær. 79. apertè confitetur, illum sacrificasse. & Hær. 55. docet, illum Abrahæ & socijs dedisse panem & vinum, *vt Mysteriorum ænigmata designaret*. Et Clemens loco allegato dicit, illum *sanctificatum nutrimentum* dedisse Abrahæ in typum Eucharistię. Vnde constat, istos putare, primùm illum obtulisse res propositas Deo, tum more Christianorum Sacerdotum populo eas impertiuisse. Ad quam rem etiam vide insignem locum apud Theodoretum super Psal. 109. quomodo & Deo, & Abrahamo protulerit panem & vinum: & quomodo Christus adimplens eam figuram, exorsus est Sacerdotium Melchisedec in Cœna nouissima. Vnde id liquidò cōstat, non ex eo sequi iam, Melchisedec non obtulisse Sacrificiū Deo, quia in eodem genere rerum cibauit exercitum: pręsertim cùm probabile sit, non eum ad necessitatem aliquam supplendi commeatus id fecisse, quia eo Abraham tum victor & spolijs onustus abundabat: sed ad eam partem Sacrificij ac Sacramenti nostri expressè repræsentandam, quæ post peractam oblationem in Mysteriorū perceptione sita est. Illud quoq; ex contextûs circunstantijs, ex Paulo ad Hebr. 7. ex Cypriano Epist.

Theodoret.

Epiph.

no Epist. citata, planè colligitur, illam duplicem benedictionem, qua Melchisedec & Deo & Abrahę benedixit, nō fuisse vulgarem, aut ciuilem bene precandi vel gratulādi formulam: sed sacerdotalem vtranque, ac nostræ Eucharistiæ, hoc est, sacrificalis gratiarum actionis, figuram. Dum enim Deo benedixit, *debitos hymnos cecinit*, inquit Iosephus Antiq. lib. 1. ca. 10. & Theodoretus q. allegata super Genes. *Vicissim* (inquit) *Abraham ab eo benedictionem consequitur, quia typum gerebat sacerdotij Dominici*. Ita ille. Et certè oblatio Abrahę, ipsi Melchisedec vicissim facta, fidelis plebis in Sacrificio oblationes & noui Testamenti munera potest designare. Quarum omnium illa in medio sententię adiecta clausula, *erat enim Sacerdos Dei Altissimi*, rationem reddere potest, licèt proprijssimè proximæ antecedenti particulæ, videlicet, *Panem & vinum obtulit*, tāquam causæ redditio Veterum iudicio respondeat. Quod autem Hęretici negant Hebraicè reperiri particulā causalem, sed sic legi, *& erat Sacerdos*, ineptum est: cùm illud *&* apud Hebręos passim vim habeat causalis, vt Psal. 59. & 127. *Da nobis auxilium de tribulatione, & vana salus hominis*, pro *quia* dixit. sic Genes. 22. *Nunc cognoui quia diligis Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo*. quod etiam notauit Laurentius Valla passim in Latinis Scriptoribus reperiri. Vt vno verbo dicam, impudentissimum est & Hæreticis proprium, talibus apiculis in summo Religionis nostræ fundamento populum ludificari. Nos autem non tantùm putamus ea sententia reddi causam cur oblationem fecerit (quod omnes Interpretes faciunt) sed præterea (saluo meliori iudicio) ex ea maximè reddi causam, cur tale, panis & vini, sacrificium illis temporibus non tam vulgare fecerit. Neque enim à quoquam multum dubitari poterat, cur vir Princeps, Rex, & Paterfamiliâs sacrificaret, cùm id reliqui omnes Patriarchę, & hic ipse Abraham sæpius fecisset. In causę enim redditione non tantùm dicit, quia *sacerdos* fuit: (quod satis erat, cur simpliciter sacrificauerit) sed quòd fuerit *sacerdos Dei Altissimi*, quod apud Hebræos in sacra Scriptura habet

ferè aliquid ſingulare, & ſignificat aliquod excellens officium circa filium Dei, reſpectu æterni Patris, qui ferè nomine *Altiſſimi* intelligitur. vt Luc. 1. *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* & ibidem: *Filius Altiſſimi vocabitur.* & in Cantico Zachariæ de Ioanne: *Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, &c.* vt illa appellatio nõ ſolùm excellentiam in ſuo genere denotet, ſed aliquod peculiare officium in Myſterio geri, quod poſtea ab ipſo Filio Dei obeundum ſit erga æternum Patrem ſuum. Ex quo planũ eſt, non ſolùm ſacrificij in communi cauſam reddi, ſed illius maximè quod in pane & vino conſtituitur.

Chriſtum peregiſſe duo Sacrificia, vnum in Cœna, aliudin Cruce: eaq́ue quomodo ſe habeant & inter ſe, & ad Eccleſiæ Sacrificium.

CAP. X.

NVNC verò vt ab iſtis figuris antiquiſſimis ad viciniora & cauſæ magis coniuncta argumenta veniamus, ex prædictis aſſumimus, Seruatorem noſtrum bis in Ordine Sacerdotij ſui peregiſſe hoc diuiniſſimum opus Religionis & Sacrificij, ſemel ad conſummationem omnium ſacrificiorum, & copioſiſſimam atque nunquam finiendam Redemptionem, plenamq́ue atque exactam ſatisfactionem pro hominum omnium peccatis, in quocunque ſtatu, aut per quodcunque officij genus aliàs remittantur. Et erat factum hoc Sacrificium poſt omnia genera ſacrificiorum quæ vnquam in quauis Lege extiterunt, vt ad illud non ſolùm omnia vetera, ſed & hoc noſtrum tũc pridie ab ipſo inſtitutum referri debeat. Quod Sacrificium non tantùm quia non oportuit Chriſtum iterum pati & mori, non potuit reiterari, ſed nec ipſa ratione Sacrificij abſoluti & (vt ita dicam) conſummatiui debuit vllo modo in æternum repeti, cùm non eſſet inſtitutum ad vllius alterius præſtantioris recordationem, ſed ipſo actionis genere in ſe abſolutũ & perfectum exiſteret, omnium peccatorum pretium & pœnã præſtans, Redemptioniſq́ue opus pleniſſimè abſoluens. quod nulli alteri,

alteri, ne ipsi quidem oblationi eiusdem victimę in mensa, cōuenire potuit. Præter hoc igitur, & ante hoc mortis Sacrificium, aliud pridie instituit & fecit ipse; idque nec cruentè, nec pœnali modo (quod ad opus per se maximè satisfactoriū pertinet,) nec absoluta aut consummatiua ratione (cuius ea est conditio, vt ad aliud non referatur, nec ab alio dependeat) sed mystico, velato, cæremoniali, & sacramentali modo, a[illegible]onis genere tali, quod in significando atque repręsentando mortis Sacrificio non minùs consistat, quàm alia aliorum temporum & Statuum sacrificia, licèt excellentiori modo & meliori hostiâ id faciat. Quod Sacrificium ex ipsa Christi præceptione licèt Ecclesia semper vt præteriæ Passionis commemoratiuum fecerit, facietque vsque ad finem seculi, cùm alia omnia essent ad futuram mortem præsignificandam, non præteritam commemorandam: tamē Christo Domino per se hoc primùm faciente, alium quendam respectum habuit ad Sacrificium Crucis, quàm nunc habet. Nam præter hoc quòd in ipsa penè media Passione peragebatur, quorundam iudicio Doctorum ita cum Sacrificio Crucis concurrit, vt nō aliud Sacrificium, sed ipsius Sacrificij in Cruce pars esse videatur. ita tamen propriè Sacrificium, vt iudicent ipsam mortem non fuisse Sacrificium, nisi ex ea parte, quatenus in mensa pridie Passionis sua voluntate immolatus esse credatur. Id ego non ausim affirmare, imò planè contrarium assero, quia non solùm se verè & voluntariè obtulit morti dum Sacrificium hoc in Cœna peregit, vbi voluntariè semetipsum obligauit ad Passionem Crucis, dum se consecrauit Domino: sed voluntariè etiam tradidit animam in ipsa Cruce; in quo propriè & rectè ponunt isti rationem Sacrificij vtriusque. Lege Augustinum lib. 4. Trinit. cap. 13. quomodo nec in Cruce sublata sit inuito anima, sed à volente deposita. Proinde licèt in Cœna priùs se sanctificando in mortem, cùm adhuc sui iuris esset, repræsentaret ipsam mortem postridie futuram voluntariam, tamē non existimo propter solam mactationem mysticam in Sacramento, opus sacrificij Crucis fuisse

voluntarium, cùm vtrunque Sacrificium voluntariam mactationem tempore, opere, & actionis modo distinctam contineat, vt propterea diuersa sint Sacrificia à Christo tum peracta. Extat pulcher locus apud Leonem ser.7.de Passione, qua ratione *præuenerit mortem suam Dominus* per voluntariam oblationem in Sacramento. & apud Isychium lib. 2. in Leuit. cap. 8. [illegible] tam apertè mactationem in Sacramento statuit, vt non vereatur dicere, *Christum seipsum occidisse cùm cœnaret cum Discipulis*. Et Venerab. Beda super Marc. in illud cap. 15. *Prima die Azymorum*, dicit, *Dominum in Cœna sacrasse Passionis suæ exordium*. Sed planè diuinè hæc tractat D. Gregorius Nyssenus orat. 1. de Resurr. vbi hæc habet verba memorabilia: *Memento Dominici dicti, Nullus tollet animam meam sed ego pono eam à meipso. Hoc mihi stet firmum, & quæstio de triduo mortis fuerit explicata. Nam qui omnia pro potestate atque authoritate administrat, non expectat ex proditione necessitatem, vel Iudæos grassantes, vel Pilati iudicium iniquum, vt illorum hominum scelus ac malitia principium esset salutis nostræ: sed pro ineffabili, arcanoque, & qui ab hominibus cerni nequit, Sacrificij modo, sua dispositione præoccupat impetum violentum, & sese oblationem offert pro nobis, simul Sacerdos & Agnus qui tollit peccata mundi: Sed dices mihi, quando hoc accidit? tum cum Corpus suum ad comedendum, & Sanguinem familiaribus præbuit ad bibendum. Homo enim oue vesci non potest, nisi mactatio præcesserit. Qui igitur dedit Discipulis suis Corpus ad comedendum, apertè demonstrat, iam perfectam & absolutam esse Agni immolationem. Non enim ad edendum Corpus animatum victimæ esset idoneum. Iam ergo latenter pro potestate sua inuisibiliter & ineffabiliter Corpus immolatum erat, & anima illic erat, vbi eam potestas administrantis collocauerat.* Sic dicit ille: Non quòd planè existimet, Dominum tum fuisse verè inanimem & mortuum, sicut postea in Cruce, sed vt ostendat, hæc quæ in Mysterio fiunt, non tantùm per aliquam externam repræsentationem aut ludicram similitudinem ac fictionem, vt fit in actionibus comicis, & in quibusdam

Leo. Isych. Beda. Nyss. Ioan. 10.

dam etiam Ecclesiæ cæremonijs, cùm Passio Christi sacris quibusdam ritibus spectanda proponitur: sed alio, altiori, ac nobis inscrutabili modo, verè quoque ac realiter geri, ita vt non sit falsum dicere, Christum mori, occidi, immolari, animam deponere, frangi, & *pati multa* (inquit Chrysostomus Hom. 24. in 1.Cor.10.) *in Sacramento, quæ noluit pati in Cruce.* Et Gregorius Dialog. lib. 4. cap. 58. & Hom. 37. in Euang. dicit, *Dominum semel mortuum, tamen iterum pro nobis in Mysterio hoc immolari & pati.* Sed de eo aliàs. Nunc tantùm id agimus, an obtulerit se Christus in Cœna, & quomodo id se habeat ad actionem Crucis, & ad confectionem Ecclesiæ quæ nunc in Missa fit.

Chrys. Greg. P. Inf. cap. 11. 12. 13.

Nam licèt id commune sit his tribus, Cœnaculo, Cruci, Ecclesiæ, quòd vna sit omnium istorum hostia, & quòd in his omnibus vel re, vel mysterio verè moriatur & immoletur Christus, vt semper rectè dicatur, Cypriani & aliorum verbis, *Sacrificium nostrum Passioni Christi respondet,* & rursus. *Passio Christi est quam agimus:* tamen ex temporum diuersitate, & modo agendi, alijsque accidentibus, est aliquid singulorum proprium, quale est illud præter ea quæ diximus, quòd Christus cùm immolauit in Cœna, habuit & sacrificauit Corpus mortale, sicut in Cruce, quod nunc Ecclesia non facit. Et licèt tractatione vicinissima sit, tamen & apud Catholicos, & apud Hæreticos alia quæstio est, an Christus seipsum in Cœna immolauerit, hoc est (vt nunc loquimur) Missam fecerit: alia an Sacerdos in Missa offerat Christum: cùm ex Catholicis nonnulli olim negauerint, vel certè dubitauerint, an Christus ipse perceperit Sacramentum quando instituit, vnde & ambigere potuerint, an ipse tum obtulerit, quando alijs præceptum offerendi in institutione Sacramenti dedit. Sed nunc primùm in Concil. Tridentino apertè determinata res est Sess. 27. cap. 1. vt proinde id denegare Hæreticum esse credatur, licèt cætera de Missæ Sacrificio rectè sentires. Et non dubito esse sententiam Patrum

Cyp. li. 2. ep. 3. Con. Trid.

commu-

communissimam,maximè verò Cypriani Epist.ad Cæcilium. Nec à quoquam potest negari, qui constituit immolationem in consecratione, cùm Christum consecrasse omnes concedant.

Ad obiectionem. Causam qualemcunque dubitationis id dedit,quòd ex bina sacrificatione vna videretur superflua,vel illa quæ in cœna, vel illa quæ in Cruce: vel saltem altera esset insufficiens. Sed sine negotio respondetur sic:primùm non fuisse superfluum Sacrificium crucis,quia præstitit generalem Redemptionem,deponens Sanguinem tanquam commune pretium,quod esset applicandum nobis per Sacramēta, fidem, & opera.sine quorum aliquo mors ipsa Domini nulli vnquam actu applicauit pretiū quod soluit.Secundò,non fuit superfluum Sacrificium Cœnę, quia mortem Christi applicauit (quod mors Christi ipsa non fecit)Apostolis,alijsque sicut nunc nostraMissa.Tertiò,si illud Sacrificium cœnæ fuisset solum factum ad institutionem Sacrificij Ecclesiastici, & vt exemplo nos Dominus in illo Sacrificio præiret (quod in Cruce fieri non potuit, nec debuit) inutile aut incongruum non fuisset.Quartò,licèt Christus potuerit redemisse omnes mortales illo vno priori actu sacrificādi in Sacramento(siue personam sacrificantem,seu rem sacrificatam respicias, quæ vtraque erat Deo infinitè grata) tamen per varietatem modi sacrificandi,definiuit ac limitauit vim, vsum, valorem,ac effectum rei.Hæc enim omnia Dei voluntate,non potentia constituuntur aut mensurantur: vt existimem (saluo meliori iudicio) ex ipso opere non habuisse alium effectum aut maiorem virtutem eam Missam quā Christus fecit in cœna,quàm hodie cuiuslibet Sacerdotis sacrum in Ecclesia.Neutrum ergo Sacrificium Christi superfluum, neutrū in suo genere deficiens. Et sicut vnus actus meritorius Christi non repugnabat alteri, aut respectu alterius habebatur insufficiēs vel superuacaneus,licèt in singulis operibus infinitè meruerit, propter varios modos merendi: sic multò minus isti duo distincti modi Sacrificiorum in Christo sese impediebant. Et hæc qui-

quidem hactenus peculiariter de Missa Christi in Cœna in sua persona. reliqua deinceps indifferenter tractabimus, vt ad disputationem sequentem nihil intersit, loquamur ne de Sacrificio Cœnæ, an de Sacrificio Ecclesiæ, licèt præcipuè differendum nunc sit de actione Sacerdotis circa hoc Sacramentum post Dominicam Passionem, siue Christus ipse post Resurrectionem (quod multis placet) consecrauit, siue alij quicunque legitimi Sacerdotes conficiant.

In Missa non ideo minùs proprie esse Sacrificium, quia est Commemoratiuum: imò eò magis esse Sacrificium, quo magis est Commemoratiuum, continẽs scilicet realem immolationem Corporis Christi, sicuti realem præsentiam.

CAP. XI.

HIc igitur primùm statuimus, opus illud quod circa Panem & vinum, Corpusque ac Sanguinem Domini in Missa exercetur, esse peculiare Sacrificium commemoratiuum, Ecclesiæ præscriptum ad repræsentationem præteritæ Passionis: sicut olim mandata fuerant alia ad futuram Redemptionem prænunciandam. Sic dixit auctor libri de fide ad Petrum cap.19. *In illis* (inquit) *carnalibus victimis figuratio fuit Carnis Christi quam fuerat pro peccatis oblaturus, & Sanguinis quem erat effusurus: in isto autem Sacrificio est cõmemoratio Carnis Christi quam iam dedit, & Sanguinis quem effudit. in illis prænunciabatur occidendus, in hoc annunciatur occisus.* Sed & Paulus. 1. Cor. 11. planè innuit, hãc sacram actionem recordationis ac annunciationis mortis Dominicæ causa fieri. Et ipsa Christi institutio seu potestas data consecrandi idem planissimè demonstrat, dicente Domino apud Lucam: *Hoc facite in meam commemorationem.* Neque verò ea memoria (vt hîc Hæretici imperitè obstrepunt) consistit in prædicatione, aut liberis concionatoris verbis, sed in ipsa operatione ac confectione Mysteriorũ. quæ (præsupposita fide de veritate Corporis ac Sanguinis præsentis)

1.Cor. 11.

Luc.22.

Ad Hæreticos.

longè expressissimam Passionis repræsentationem continent. *Hoc* enim *facite*, & *hoc quotiescunque feceritis*, dixit. Atque concedunt hîc nobis Hæretici tandem, ipsum opus esse per se commemoratiuum Passionis Dominicæ, & eatenus rectè dici Sacrificium commemoratiuum, quatenus est opus sacrum repræsentans ac in memoriam reuocans Christi mortē quę erat verum Sacrificium: itaque Sacramentum nostrum non esse sacrificium alia de causa aut ratione, nisi quòd verum sacrificium designet: & proinde à Græcis Patribus semper appellari *commemoratiuum Sacrificium*, tanquam particula diminuente, ac si dicamus *sculptum hominem*. quomodo videtur tradere Chrysostomus Hom. quadam aduersus Iudæos, & Magister Sentent. Lib. 4. dist. 12. apertè, cùm inquit: *Vocatur sacrificium illud quod offertur ac consecratur à Sacerdote, quia memoria & repræsentatio est veri Sacrificij & immolationis factæ in Cruce.* Ita ille. Qua etiam ratione dixit Augustinus Epist. 23. ad Bonifacium: Pascha vocari illam annuam cæremoniam qua Ecclesia veri Paschatis memoriam colit, cùm tamen verum Pascha non sit. Vbi itidem docens, ex rerum similitudine nomina sæpe indi ijs rebus quibus propriè non competunt, adfert huius Sacramenti exemplum: *Nónne* (inquit) *semel immolatus est Christus in seipso? Et tamen in Sacramento omni die populis immolatur, nec vtique mentitur qui interrogatus eum responderit immolari, &c.* vt ab istis non tam vera oblatione, quàm loquendi quadam consuetudine Christus in Eucharistia sacrificatus dici videatur. Ita penè hæc tractat Caluinus Institut. cap. 18. qui locus à Catholicis non est plenè explicatus.

Alia etiam obiectio.

Responsio.

Sic igitur sentiendum est, duos errores Hæreticorum (pręter eum quem paulò antè refutauimus) extitisse ex falsa vocabuli *commemorationis* interpretatione: priorem circa substantiam Sacrificij, cùm putarent non aliam esse causam cur Sacrificium diceretur, quàm quòd esset nuda imago & exemplar eius rei quæ erat verum Sacrificium. alterum circa effectum &

ctum & vsum eiusdem Sacrificij, cùm affirmarent, eius nullum esse alium vsum, quàm vt nos memores reddat Passionis Dominicæ. Vtramque falsitatem maximeque hanc posteriorem can.4. Sess.22. explosit Concilium Trid. his verbis: *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium esse nudam commemorationem Sacrificij in Cruce peracti, non autem esse propitiatorium, anathema sit.* Maiores certè nostri cum Eucharistiæ confectionem appellarunt nonnunquam *commemoratiuum Sacrificium*, aut *exemplar Sacrificij Crucis*, non ita dicebant, quòd iudicarent hæc vocabula non consistere cum Sacrificio vero, vt propterea non esset propriè dictum Sacrificium, quia esset commemoratiuum: falsúmque est, illud adiunctum Sacrificio esse particulam imminuentem significationis veritatem, cùm tantùm sit vocula comparationis vel distinctionis à Sacrificio absoluto, quod nec vsu, nec actione est alterius repræsentatiuum. Quin potius ita contrà disserendum est, omnia vetera, quæ vel aduersariorum iudicio vera sacrificia fuerunt, figuratiua ac commemoratiua etiam fuisse, nec posse à quoquam fingi aliquod legitimum Sacrificium, quod idem non fuerit significatiuum mortis Dominicæ. Vnde ita exaduerso argumentamur: Præcipuæ repræsentationes Passionis ac Sacrificij Dominici in omni Lege fuerunt sacrificia. sed voluit Christus vt in hac Eucharistica actione excellentior & apertior repręsentatio Sacrificij sui extaret, quàm in alio vnquam opere: ergo in Eucharistia debuit esse verum Sacrificium. Si hîc quisquam obijciat, *esse commemoratiuum*, *figuratiuum*, *vel repræsentatiuum*, non pertinuisse ad formalem rationem sacrificiorum veterum, nec illa ita ferè nuncupata esse à Patribus, licèt quoddam adiunctum veluti ad vsum pertinens in repræsentatione Passionis positum esset, cùm ipsa sacrificatio in immolatione, hoc est, mactatione seu confectione rei consisteret: Respondemus, nec nos id requirere, vt ista sint de formali ratione oblationis, sed esse satis, quòd sint omnibus sacrificijs (Christi Passione

excepta)annexa,nec ea veri nominis ſacrificio repugnare. Fatemur enim formam ſacrificij ſitam in mactatiōe; ſed ꝓpterea in ea collocatam vt luculentior fieret repręſentatio Paſſionis, quę mactatum Dominum exhibuit,& eò fuiſſe exactius Sacrificium omne quò meliùs repræſentaret, hoc eſt (vt nunc dicimus)quò magis eſſet commemoratiuum.Et quod ad hanc cōditionem attinet,ita excellit Sacrificium noſtrum, vt cùm cætera cuncta mactatione aliarum hoſtiarum obumbrarent tantùm occiſionem Domini, hoc Euchariſticum eiuſdem hoſtiæ quaſi eadem mactatione admirabiliter repetitaPaſſionem graphicè demonſtret, vt vel hoc nomine præ omnibus alijs *Sacrificium Miſſæ* vocetur magis commemoratiuū ac figuratiuum, magiſque etiam Sacrificium. Denique hæc eſt genuina cauſa, cur veteres hoc ſacrificium potius commemoratiuum vel repræſentatiuum,quàm ſacrificia Iudaica vel alia in Lege Naturæ vocarent,quòd nimirum ipſa actio ſecundùm ſuam ſubſtantiam,per quam hîc immolatur Dominus, ſit figuratiua, & ſecundùm ſuum eſſe commemoratiua. Eſt enim non, qualis olim fuit pecudis, vulgaris externa mactatio, ſed ſacramentalis, & non minùs vera,quàm fuit illa in Cruce.Et ſic ſeſe habet ad mortem Dominicam, quam Auguſtinus appellat *immolationē in ſemetipſo*, id eſt, in ſua natiua forma, ſicut ſe habet præſentia ſacramentalis Corporis ad modum exiſtendi eiuſdem Corporis in ſua natiua ſpecie. tamque verè mactatur ac immolatur in Sacramento,quàm eſt in Sacramento.& quantum ſuperat exiſtentia Domini in Sacramento, eius ſpiritualem præſentiam ac communem exhibitionem in Manna, & in ſerpente exaltato,& in imagine Crucifixi, & in reliquis Sacramentis nouæ Legis, aut in alia quauis re vbi tantùm communi loquendi figura, aut propter repræſentationem, præſens dici queat: tantum ſuperat mactatio & oblatio Chriſti in hoc Sacramento omnes alias vmbraticas oblationes eiuſdem Chriſti, per quas immolatus eſt in pecudibus Abelis, aut Aaronis, aut in Agno paſchali,aut in ipſo pane Melchiſedec, aut denique in vnigenito

Qualis præſentia, talis immolatio.

pito

nito Isaac ad victimam præparato. Et quando D. Augustinus loco paulò antè citato, ad docēdum, nomina nōnunquā & appellationes dari rebus ex aliarum reiū similitudine quā gerūt, cœpit duplex exemplum ab hoc Sacramento: Vnum, qua parte est Sacrificium, alterum qua parte est præsens, vt Sacramentum, Corpus Christi: Propter prius, voluit immolationem in Sacramento quotidianam, ex similitudine alterius immolationis ita dici: propter secundum, dixit *Sacramentum Corporis secundùm quendam modum vocari Corpus.* indubiè innuens & hanc existentiam, & hanc immolationem esse figuratiuam, commemoratiuam, & sacramentali similitudine correspondentem alteri modo existentiæ, alterique modo mactationis quæ in sua natiua specie facta est. Nisi verò poneremus nos rationem huius Sacrificij in immolatione seu mactatione sacramentali, non esset hîc tantopere laborandum: cùm hi qui in alijs partibus Missæ aut sacræ actionis Sacrificij substantiam (sed non satis solidè, vt postea docebimus) constituunt, facilè faterentur, non propriè immolari Dominū in hoc Sacramento, sed tamen propriè sacrificari. & concederent isti, Augustinum sic conferre immolationem in Eucharistia immolationi Crucis, sicut confert diem celebrationis Paschatis Ecclesiastici ipsi Paschati Christi: vt ita in vtroque sit talis appellatio, quæ reuera non competat sed tantùm æquiuocè, id est, ex similitudine vulgari quam habent ad rem repræsentatam.

De loco Augustini.

Inf. cap. 15. ad 21.

Ac dicet mihi aliquis, certè videri Augustinum non aliter comparasse immolationem in Sacramento immolationi in seipso per mortem Crucis, quàm comparauit annuam celebrationem Paschatis ipsi Paschati. igitur cùm celebratio Paschatis non sit reuera Pascha, neque immolationem sacramētalem esse veram immolationem. & per consequens nec sacrificium quidem esse nisi per commemoratiuam similitudinem. Dicendum, Augustinum id agere idq; docere tantùm, earum rerum nomina dari imaginibus & sacramentis, propter similitudinē, quarum sunt imagines & quarum sunt sacramenta, quocunq;

modo similitudo intercedat. Sed non vult eandem rationem similitudinis inter omnes res quę sunt sibi similes intercedere. aliter enim Sacramentum fidei est simile ipsi fidei, aliter Sacramentum Corporis est simile Corpori, aliter Dominicus dies est similis Resurrectioni, aliter immolatio in Sacramento est similis immolationi in Cruce, aliter sepultura in Baptismo est similis sepulturæ veræ, itaque in cæteris. Id quidem commune est omnibus istis, vt propter similitudinem quocunque modo interuenientem inter rem repræsentantem & repræsentatam, fit communio nominum. Vt autem istorum quodlibet minùs vel magis verè ac propriè accipiat nomen ab altero mutuatum, id pro ratione & natura similitudinis, quæ inter res sibi inuicem comparatas intercedit, accidit. Quis enim non videt, illam sacramentalem fidem infusam infanti appellatam ab Augustino *sacramentum fidei*, dici fidem veriùs & alia ratione, quàm quilibet dies Dominicus dicitur Resurrectio Domini? cùm tamen propter similitudinem ad rem repræsentatam vtrinque vtrique nomen tribuatur. Sunt quædam res quæ per modum similitudinis ac imaginis deriuantur, capiunt esse, & quasi dependent ab alijs, cùm tamen minùs verè non existant in illo genere quàm ea ad quæ referuntur. Illustrissimum exemplum est in Filio Dei, qui per modum similitudinis esse ac appellationem accipit. Quicquid enim est, est imago, figura, character substantiæ Dei: quæ tamen appellatio & natura Dei non minùs propriè illi competit, quàm ipsi Deo Patri à quo existit. Sic existentia Christi sacramentalis dependet à propria natiua existentia, ad quam comparata existit per modum figuræ & similitudinis. Est enim Corpus Christi Eucharisticum, Sacramentum corporis Christi in propria forma, illiusque in eadem prorsus singulari natura admirabilis character atq; exemplar. Ita denique mactatio seu immolatio in Eucharistia, tota est, quicquid est, figura commemoratiua, imago, repręsentatioq; occisionis in Cruce: ab eaque deriuatur, nomenque & rationem ca-

nem capit. ſed nihilominus tam verè eſt Sacrificium ſeu immolatio, quàm fuit in Cruce. Neq; vero hîc Auguſtinus cum dicit, imaginibus ſæpè tribui nomina rerum quarum ſunt imagines, adfert indifferenter exempla à picturis vel alijs triuialibus rebus (in quo decepti ſunt doctiores quidam) ſed datâ operâ adduxit ea tantùm in exemplum, in quibus Myſterium, Sacramentum, ſacramentalisque ſimilitudo inuenitur. qualia ſunt *Paſcha* & *Dominicus dies* apud ipſum in Epiſt. 119. ad Ianuarium. Quæ omnia multò veriùs longeque alia ratione participant nomina rerum quas repręſentant, quàm pictus aut fictus homo appellationem hominis. Quod cùm non animaduertiſſent Scholaſtici, non ſatis accuratè tractarunt illud, Quomodo Chriſtus immoletur in Sacramento: quemadmodum ex q. 72. art. 3. p. 3. D. Thomę videre licet, eiusque ſequacium ac Interpretum varijs ſcriptis, qui minimum momentum ponunt ad Sacrificij & immolationis proprietatem in hac quam diximus ſimilitudine, quæ inter Sacrificium Miſſæ & Sacrificium Crucis intercedit: ſed ideo propriè dici immolationem Domini tradunt, quòd ſimilem effectum habeat cum immolatione in Cruce. Sed multò melius dicitur, ſimilitudinem ac imaginis appellationem in Sacramentis nouę Legis nunquam excludere veritatem: & in hoc vnico ac ſingulari Sacramento etiam identitatem cum illa re, cuius dicitur Sacramentum, conſtituere. Vt in Euchariſtia, ſiue ſubſtantiam Corporis, ſiue actionem Sacrificij ſpectes, non ſit ex nuda ſimilitudine externa qualiſcunque commemoratio vulgaris, ſed tam expreſſa ſubſtantialis repręſentatio, vt non vmbra, ſed per emphaſim ipſa imago appelletur à Paulo, Hebr. 9. quam placuit Græcis nominare *eiuſdem vel ſimilis formæ correſpondentiam*, id eſt, ἀντιτυπίαν. quo modo planè Corpus Chriſti hîc eſt figura Corporis naturaliter exiſtentis, & immolatio hîc imago immolationis in Cruce.

Patres omnes attestari huic reali Sacramentali Immolationi; eamq́; eos similiter per realem sacramentalem Præsentiam explicare.

CAP. XII.

ET hanc viam secuti sunt Patres Græci & Latini omnes, dum & hoc Sacrificium *exemplar Sacrificij Crucis* vocant, & tamen eius generis exemplar esse insinuant, vt non dubitent esse idem Sacrificium cum Passione Dominica. Id autem fieri obseruabitis maximè, quando docent, ex identitate Corporis in multis Altaribus cum ipso Corpore quod visibiliter habuit in terra, identitatem etiam Sacrificij Ecclesiastici, & in seipso respectu diuersorum temporum & locorum, & etiam respectu immolationis factæ in Cruce. Vt sicut non differt per se & secundùm substantiam Corpus à Corpore in pluribus Altaribus, aut in Altari & in Cruce: ita verè secundùm substantiam non differat immolatio in vno pane ab immolatione in altero pane, neque ab immolatione in Cruce: licèt propter repetitum Sacramentum dicatur sæpiùs offerri, sicut sæpiùs fieri Corpus. Et per hanc explicationem præoccuparunt Patres nostri omnes obiectiones Hæreticorũ ex Epist. ad Hebræos sumptas de vnico noui Testamenti Sacrificio cõtra numerum & repetitionem vnius vel plurium hostiarum, quam ab Apostolo explosam isti volunt. Sic enim dixit Chrysostomus Hom. 17. ad Hebr. *Hoc Sacrificium est exemplar illius. id ipsum enim semper offerimus, nec nunc quidem alium Agnum, cras alium, sed eundem ipsum. proinde vnum est hoc Sacrificium. alioquin quoniam in multis locis offertur, multi Christi essent.* Et inferiùs: *Non aliud Sacrificium, sicut Pontifex veteris Legis, sed idipsum semper facimus: magis recordationem Sacrificij operantes.* Ita ille. Vbi videmus, eum nec refugere vocabulum *exemplaris*, nec *recordationis*, tum, cum docet prorsus hoc nostrum ita esse idem Sacrificio Crucis, quemadmodum vnus idemq́; est Christus qui varijs locis ac temporibus existit & offertur. Similem quoque comparationem inter vnitatem Corporis in pluribus locis, & identi-

Chrysost.

identitatem Sacrificij in pluribus Sacramẽtis fecit Primasius, cum in 9. ad Hebr. sic scribit: *Diuinitas Verbi Dei, quæ vbique est, facit vt non sint plura Sacrificia sed vnum, licet à pluribus offeratur: sitq; vnum Corpus quod suscepit in vtero virginali, & non multa corpora, ita etiam & vnum Sacrificium, non diuersa, sicut Iudæorum erant.* Sic dixit. Consentit Ambrosius in hanc viam tractationis, tam quoad vocabula *recordationis* & *exemplaris*, quę attribuit huic Sacrificio, quàm quoad identitatem eius cum Sacrificio Crucis. *Hoc* (inquit) *Sacrificiũ exemplar est illius. Idipsum enim semper offerimus, nec nunc alium Agnum, crastina die alium, sed semper idipsum proinde vnum est Sacrificium. Alioquin hac ratione, quia in multis locis offertur, multi Christi essent. Et sicut qui vbique offert, vnum Corpus est, non multa corpora, ita etiam & vnum Sacrificium. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem eius fit quod factum est. Non enim aliud Sacrificium, sicut Pontifex veteris Legis, sed idipsum semper offerimus.* Sic dixit ille super 10. Hebr. Horum ergo omnium sententia est, recordationem ac exemplar sic constitui in nostro Sacrificio, vt tamen sit prorsus vnum idemq; cum immolatione in Cruce: nec magis differre repetita Sacrificia Ecclesiastica, aut plura esse inter se vel ad Sacrificium Crucis comparata, quàm plura sunt aut diuersa Corpora, quę propter Sacramenti varietatem in diuersis Altaribus existunt & offeruntur. Denique hoc sensu dixit etiam Gregorius Hom. 37. in Euang. *Quoties Passionis hostiam offerimus, toties Passionem illius reparamus, & pro nobis in Mysterio iterum patitur, &c.* Dicit autem, *iterum pati:* & alibi, *iterum immolari*: quia terrena elementa iteratis vicibus commutantur in Corpus immolatum: non quòd ipsa immolatio hodierna sit alia quàm hesterna, aut alia quam fuit in Cruce.

Primas.

Amb.

Greg. P.

Scripturas etiam ipsas clarissimè commendare nobis præsentem Christum immolatitio modo.

CAP. XIII.

NEQVE verò hæc summa veritas de Christi immolatione ac mactatione in Eucharistia est ab Ecclesia inuenta, aut à nobis conficta, sed varijs & conuincentibus argumentis ab institutionis verbis & Sacramenti formis necessariò collecta. Omnia enim verba Dominica demonstrant præsentiam Christi modo immolatitio. quod ita ostendimus. Primùm, quia cum agitur de eius præsentia, nunquam explicatur per vocabula integræ Personę rationem significantia, sed per verba denotantia Personam in partes solutam. Non enim dixit, *seipsum*, aut *Christum*, aut *Iesum*, aut naturam vel Humanitatem integritate sua perfectam se exhibere nobis in Sacramento: sed *Carnem*, *Corpus*, *Sanguinem* dixit. Nec aliud verborum vulgaris sensus animis audientium inferre potuit, quàm mactatum hominem & in partes dissectum in Eucharistia exhiberi. Quod vel Discipulorum & Capharnaïtarum acceptione, cùm primùm Dominus de Carne & Sanguine Ioan. 6. sermonem instituerat, perspicuum efficitur. Idem ostendit vsus rei præsentis in Sacramento, nimirum manducatio & potatio: quibus nunquam esset subiectus homo, nisi priùs mactatus, & suo quodam modo immolatus existeret. Hinc etiam maximè diuersarum specierum, vnius ad Corpus, alterius ad Sanguinem repræsentandum & tribuendum institutio, & illis correspondentes duæ distinctæ formæ confectionis & consecrationis rerum contentarum. quarum priori non nisi Caro, posteriori non nisi Sanguis conficitur. adeoque in eorum duorum, hoc est, Carnis & Sanguinis separatione (vnde propriè in animalibus mactatio) consistit vis huius Mysterij, vt in eo solo cernatur Dominicæ mortis repræsentatio. Si enim Christus hîc fuisset per modum personalis integritatis viuus & per se tus ex vi Sacramenti, nihil fuisset sacrificio simile in ipso Corpore Christi, in quo tamen propriè oblationis rationem exquirimus: licèt in pane, dum conuerteretur in Christum vt personam viuentem ac integram, aliquid sacrificio simile esse

posset

possèt. Sed nunc cùm cõstet seorsim hinc Corpus, illinc Sanguinem, diuersorum verborum virtute, ac specierũ variarum diuersa similitudine, ita contineri in Eucharistia, vt tota sacramentalis ratio in eisdem sita sit, quatenus inter se mysticè sunt separata, & nullo modo vt coniuncta ad eandem Personam integrandam: sequitur certè, Christum esse præsentem modo immolatitio. Si enim quod per se viuit, ad cultum Dei redigatur in modum rei mactatæ ac demortuæ, non potest non induere conditionem immolationis. Animal enim mactare in honorem Dei, est sacrificare.

Sed illa conclusio exactiùs ostenditur ex appendice illa verborum quæ propriè additur vtrique consecrationi ad determinandum modum præsentiæ Dominicæ in Sacramento: nimirum illa, *quod pro vobis datur, tradetur, frãgitur*: item ad alteram, *effundetur*, seu, *funditur in remissionem peccatorum*. Ex quibus intelligimus, non simpliciter quouismodo Dominicam Carnem ac Sanguinem esse pręsentes, sed per modum victimę pro peccatis: imò planè Christum hîc pręsentem induere modum ac conditionem quã habuit vt se offerens, Sanguinemq; fundens in Sacrificio Crucis. Ineptũ est enim quod Lutherani asserũt, eas particulas adiectas non ad significandũ modum pręsentiæ, sed ad veritatem præsentię corporalis declarandã: cùm tunc nõ minùs rectè dixisset, hoc est Corpus idem quod natum est de Virgine, vel idem quod hîc discumbit ad mensam, vel quod resurget & ascendet in cœlum, vel aliquid tale: quod nunquam dixit, cùm in Natiuitate ac in reliquo vitæ aut Resurrectionis statu Corpus & Sanguis essent coniuncta, non separata vt in Sacramento. Et propterea ex illa conditione non potuit sumere particulam determinantẽ modum præsentiæ sacramentalis, sed tantùm ex eo statu cùm verè illæ partes per mortem essent separatæ, & essent ad Sacrificium pro peccatis seiunctę. Vt res iam sit notissimæ fidei & veritatis, ita determinari modum præsentiæ per illa verba, *quod pro vobis datur*, vel *fundetur in remissionem peccatorum*, vt sit modus immolatitius.

Planeque miramur ingentem (Lutheranorum maximè) cæcitatem, qui talem præsentiam verè fateantur, & tamen negent esse pręsentem per modum Sacrificij. Eoque magis iniquum & absurdum est, quòd ij sint qui nō ignorent, à Paulo & Euangelistis Gręcè semper in pręsenti tempore dici, *frangitur, traditur, funditur in remissionem peccatorum:* & apud Lucam etiam in vulgari versione haberi, *quod pro vobis datur.* vt & in Agenda Apostolorum apud Clementem lib. 8. constitut. Apost. cap. 17. & in Liturgijs Chrysostomi & Basilij; & ab Ambrosio in fine etiam prioris consecrationis addi, quod pro vobis *traditur* ac *frangitur* in remissionem peccatorum. Ex quibus efficitur, non solùm esse verè præsens Corpus quod postridie erat sacrificandum, sed etiam illud tum in Sacramento *dari* & *tradi* in remissionem peccatorum. Neque enim *dari* seu *frangi* hoc loco pertinet ad distributionem factam Apostolis, vt cū Erasmo multi hallucinantur, cùm non dicat Dominus, *quod datur vobis*, sed *pro vobis:* eodem indubiè sensu quo ab alijs *tradi* dicitur, & de sanguine qui *fundi* dicitur in remissionem peccatorum. Quanquam & si vel in futuro tantùm legeretur, significaret tamen conditionem & non solùm veritatem existentiæ, innueretq; Christum ibi existere modo immolatitio, quomodo postridie erat tradendus morti. qua ratione tempus siue præsens, siue futurum, in verbis Dominicis indefinitè sumi potest. vt ita illud *sumetur* ac *tradetur* non minùs verè dicatur ab Ecclesia celebrante post Passionem, quàm ab ipso Domino conficiente ante Passionem suam.

Ex his nunc cōsequitur, Christum hîc collocari vt hostiam ac victimam pro peccatis, ibique esse Corpus non sacrificandum, immolandum, aut mactandum, sed iam sacrificatum, immolatum, & mactatum, Sacramentoque tenus (licèt propter concomitantiam, de qua superiori libro aliquoties diximus, in seipso non moriatur) ita eius partes esse separatas, vt verè instar demortui Corporis māducari, gestari, tractari, frangi, fundique possint, iuxta quam Theologiam Nyssenus dixit in oratione

Sup. lib. 1. de Euc. cap. 36. 37. 38. 39.

Nyss.

tione de Resur. antea citata, *Dominum nō comedi, nisi præcessisset mactatio.* Et Paschasius cap. 18. de Corp. & Sang. Dom. *ad hoc mactatum, vt eum comedamus.* Et Cyrillus Hierosolymitanus Mystag. 5. *Christum pro peccatis in Sacramento mactatum existere.* & Rabanus de institut. Cler. lib. 1. ca. 31. *Carnem Agni immaculati mactatam distribui communicantibus.* Ita tradunt isti. Hoc ergo propriè est immolatitio modo esse præsens, licèt cætera quæ in hoc statu sacramentali à quibusdam considerantur, eodem etiam pertineant. cuiusmodi sunt, istis sensibilibus inanimatis rebus copulari, eisdemque ita alligari, quamdiu species elementorum manent, vt per eas voluntatibus nostris ad omnem motum & vsum Dominus subijciatur. & (vt quibusdam placet, quod tamen non probamus) ita hac præsentia conformari elementorum proprietatibus, vt careat sensuum suorum, omniumque actionum vitalium vsu. Sic enim Ioannes Scotus sentit, eiusque Discipuli penè omnes: qui Christum in Eucharistia humanitus nil sentire iudicant.

Paschas. *Cyril.* *Raban.* *Quomodo alij quidam hic mortem Christi contemplantur.*

His igitur ita constitutis, sic ratiocinamur: Corpus Christi immolatum & mactatum in victimam, est terminus actionis sacrificalis, cùm immolatum Corpus fieri non possit nisi per immolationem, nec hostia nisi per præcedens Sacrificium. Igitur vt sic existat Corpus immolatum in Sacramento, debet interuenire Sacrificium. Rursus: Actio per quam cōstituitur res aliqua immolata, est verum Sacrificium. sed huiusmodi est cōsecratio. proinde consecratio est Sacrificium. Rursus: Christus consecrando, id est, benedicendo ac proferendo verba sacramentalia, fecit Corpus mactatum ac immolatum. ergo immolauit. Item: Potestatem dedit, instituit, præcepitq́; vt nos idem faceremus circa Corpus suum, quod ipse fecit, dicens, *hoc facite in meam commemorationem.* Refertur enim præceptionis ista vox ad totam actionem Dominicam. Ergo iussit nos facere Corpus mactatum ac immolatum, & per consequens, voluit vt nos sacrificaremus. Neque tamen hîc tantopere vrgemus vim vocabuli illius *facere*, quasi illud hîc propria significatione

esset *sacrificare*, cùm possemus tamen, quando illud ita vsurpent Latini etiam authores, & potissimùm sacri Scriptores, maximè vbi est sermo de victimis & sacrificijs: vt *facere Pascha*, & *facere vitulum*, & *facere hircum*, & eius generis plurima. Sed ad institutum nostrum abundè est satis, quòd iubentur Apostoli facere Corpus immolatum, quod sine Sacrificio & vera immolatione fieri non potest. Ex quibus omnibus eos grauiter errare intelligimus, qui non putant verbum *immolationis* verè & propriè attribui ipsi confectioni corporis & Sanguinis Dominici. præsertim cùm Ecclesia eo verbo sæpissimè vtatur in orationibus secretis Latinæ Agendæ: vt in Secreta vigiliæ Epiphanię: *Tribue quæsumus vt eum præsentibus immolemus sacrificijs & sumamus.* Et in ipso die Epiphanię: *Respice, Domine, dona hæc in quibus immolatur & sumitur Christus Iesus Dominus noster.*

Exod. 12. Exod. 2. Leuit. 23.

Immolatio.

Omnes antiquos testes esse, quòd offertur in Missa Sacrificium, idq́; propriè dictum: &, cur Sacrificium laudis, ac incruentum, appellent.

CAP. XIIII.

Hic nunc ad hoc totius causæ caput cõfirmandum si velim, more nostrorum, Patrum omnium verba recitare, rem parum necessariam post tot Communium Locorũ indices confectos, & parũ gratam facerem; & sparsim pro causæ cõmoditate selectissima quęq; adduximus. Si quis tamẽ cupiat abũdare testimonijs antiquitatis, hęc maximè loca adeat: In Concilijs Generalibus, habebit primum Nicenũ cap. 14. & Ephesinũ in Epist. decretali Cyrilli ad Nestorium. Chalcedon. act. 3. in Epist. cõtra Dioscorũ. Constantinopol. 6. can. 28. & 32 Synodũ septimã act. 6. conc. Lateranense, vt habetur cap. *Firmiter.* de summa Trinitate: postea Constantiense, vbi damnatur Hæresis Vvicleffi cõtra hoc Sacrificium. Post Florentinum in Decreto vnionis. Et tandem Tridentinum, vbi tota causa pro nobis exactissimè definita est. His adiungere licet can. 3. Apostolorum. & in prouincialibus Concilijs, antiquum Neocæsarien-

Concilia.

cæsariense can.1.Laodic.can.19. Carthag.2. ca 4. Carthag.3. ca.24. & Carthag. 4. ca.23. Toletanum primum cap.5. Braccharense.3. cap.1. & Agathense cap.14. Quoad Patres autem, habebit primum Dionysium cap.3. Eccles. Hierar.Presbyteros Achaiæ in Passione S. Andreæ. Ignatium ad Smyrnenses. Martialem ad Burdegalenses. Iustinum Dialogo cum Tryphone circa medium. Irenæum lib.4.ca.32.& 34. Tertullianum de cultu fœminarum, & ad vxorem lib.2. Origenem Hom.13.in Leuit.Cyprianum Epist.ad Cecilium, & de Cœna Dom.Athanasium q 34.ad Antiochum. Eusebium demonstrat. Euang.lib.1.cap.10. Nazianzenum in orat. contra Iulianum.Chrysostomum Hom.in 26.Matth.& lib.6. de Sacerdotio. & omnes Græcos in 9.Hebr.apertissimè tamē Primasium Latinum auctorem. Ambrosium lib.4.de Sacramentis,& lib.1. Officiorum cap.48.Hieronymum in Epist.ad Hedibiam, & ad Euagrium.Augustinum in Psal.33.con.1.& alijs innumeris locis.Leonem magnum Epist.8.Reliquos recentiores post Gregorium percensere longum nec necessarium est. Qui præterea velit etiam Hebræorum magistros videre super eadem veritate,legat Roffensem de Sacerdotio.

Patres.

Rabbini.

Et hos omnes impropriè aut vulgariter ita in hac causa abusos esse nomine Sacrificij, vt simili ratione quadret in quoscunq; Religionis aut Sacramētorum actus, adeoq; in ipsa virtutum officia omnia:quis possit cum Hęreticis vel tenuiter suspicari, cum hoc solum eo nomine appellent, nec alteri ferè Sacramēto vnquā tribuāt? sæpeq; etiā *vnicum* vocent;nec vllū alterum noui Testamēti Sacrificium, veterū oblationum siue Gentilium,siue Iudęorū, pluralitati ex aduerso cōponant: nec ad aliud Sacramentum quodcūq; cultûs causa populus fidelis quotidie coeat: nec propter aliud erecta sint Altaria, quę Grecè *Sacrificatoria* dicuntur,constituta Templa, consecrati sacerdotes:nec cęterorū Sacramentorū quicquā habeat rem aliquā aut materiam stabilem, quę per actionem sacram fiat hostia aut victima ; cum homines percipientes ea consecrentur

Ad Hereticos.

potius

potiùs Deo & offerantur, quàm elementa ipsa, vbi non in ipsa, sed in homines actio sacramentalis exercetur: cùm deniq; miris & peculiaribus epithetis passim à Patribus ornetur his ferè ipsis locis quæ à me commemorata sunt, quæ nō nisi in verum & propriè dictum Sacrificium quadrare possunt; Vt cùm Nicena Synodus, *Agnum Dei superpositum mensa*: Ephesinum, *incruentam seruitutem*: Dionysius, *Sacrificium Sacrificiorum*: (id enim τελετῶν τελετή Budæo significat.) Cyrillus, *sanctum, viuificum, incruentum sacrificium*: Athanasius, *hostiam exanguem, incruentam victimam, Sacrificium viuis & defunctis propitiatorium*: Augustinus, *Sacrificium Mediatoris, Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini, Sacrificium panis & vini, Sacrificium pretij nostri, Hostiam qua deletum est Chirographum decreti quod erat cōtrarium nobis, Sacrificium salutare, Sacrificium Ecclesiæ, Sacrificium quod norunt Fideles, Sacrificium singulare, Oblationem & Sacrificium Altaris, Sacrificium noui Testamenti*: &c. Origenes, *commemorationem facientem Deum propitium hominibus*: Cyprianus, *perenne Sacrificium, victimam, medicinam infirmitatum, Sacrificium Melchisedec*: Emissenus, *perpetuam Redemptionis oblationem, & perennem victimam*: Irenæus, *noui Testamenti nouam oblationem*: Iustinus, *purum Christianorum Sacrificium*: Isychius, *rationalem, intelligibilem, viuificam Oblationem*: Chrysostomus, *honorabile Sacrificium, tremenda & horribilia Sacrificia*: Damascenus, *tremendum, impollutum, vitale*: Theodoretus, *sacrificationem Agni Dominici*: Beda, *Sacrificium salutare valens ad redemptionem animæ & corporis sempiternam.* Denique Grǽci omnes propter solenne ac publicum ministerium & functionem sacerdotalem in eo positam, *Liturgiam* appellant: Latini & omnes barbaræ gentes, propter cæremoniam adiunctam, & vocem, *ite Missa est*, appellarunt *Missam*, propterque frequentem dimissionem vel Catechumenorum, vel aliorum fidelium. Non est enim illa vox curiosiùs ab Hebræis repetēda, vt putamus. Et postremò tam à Græcis, quā Latinis vulgatissimè *Sacrificiū* ἀναίμακτον, id est, incruentū, & *Sacrificiū laudis gratiarumq́; actionis*, seu *Eucharisticū appellatur*.

Et de

Epitheta Sacrificij nostri.

Liturgia.

Missa.

Et de his vltimis operæ pretium erit cautiores reddere lectores, ne impingant ad Hæreticorum commenta. quorum depulsio causam nonnihil iuuabit. Volunt enim isti, *incruentum*, *eucharisticum*, *laudis hostiam*, appellationi Sacrificij à Patribus addi vt rei veritatem imminuant, vocemque communem & impropriam reddant, vt queat referri ad omne illud quod vel actione, vel voce, in honorem Dei & gratiarum actionē peragitur. Cuiusmodi sunt, preces, Euangelij prædicatio, eleemosynæ, & Sacramenta. quæ omnia apud ipsos etiam incruenta sunt sacrificia, quia ea, sicut omnis adoratio in spiritu & veritate, sanguine carēt. Mira & impudens impostura, cùm non possint ignorare, Veteres fecisse ista duo vocabula huius solius Sacrificij propria, licèt illud *Eucharisticum* natura sua possit in omnia Deo grata opera ac voces referri. Probauimus enim superiori libro, ipsum opus peragi eulogia ac eucharistizatione panis super quem Dominus gratias egit, D. Marco, Iustino, Irenæo auctoribus: vt ipsa elementorum benedictio sit sacrificalis gratiarum actio, in qua propriè Deus posuit *memoriam mirabilium suorum* inter Gentes, & nominis sui cultum supremum ac glorificationem; cùm ex eo apud Malach. contestatur, *sanctum fore nomen suum in omni loco*; ibidem illud sæpius repetens ad vaticinium Sacrificij nostri, *Magnum nomē meum in gentibus*, sicut Iustinus in Tryphone notauit. Dei enim proprius honor, & supereminens laus, gratiarumque actio infinita, qualem singulariter requirit, solum in summo hoc Sacrificij cultu semper sita est: nec extra hoc admirabile officium vllis operibus nostris plenè ac dignè fieri potuit, hoc nunc præsertim gratiæ tēpore. Quo effectum est, vt Ecclesia Dei & præeat huiusmodi voce solenni ipsum opus sacrificale eucharisticum, clamans, *Gratias agamus Domino Deo nostro*: & iterum atque iterum, *Dignum & iustum est, verè dignum & iustum est*: & subsequitur opus sanctum, in ipsis medijs Sacrificijs dicens, *Per ipsum, cum ipso, & in ipso omnis tibi honor & gloria*. Hinc Augustinus explicans illud, *Sacrificium laudis honorificabit me*, lib. I. cont. aduers. Leg. ca. 18.

Ad Hæreticos.

Sacrificium Gratiarum actionis.

Cap. 15.

Psal. 110.

Mal. 1.

Aug. Psal. 49.

Quod est (inquit) *sacratius laudis sacrificium, quàm quod in gratiarum actione consistit? quod totum fideles in Ecclesiæ Sacrificio sciũt.* Et lib. de spiritu & litera ca. 11. *In verissimo* (inquit) *& singulari Sacrificio Domino Deo nostro gratias agere iubemur.* Quod in Epist. ad Honoratum dixit esse *magnum Sacramentum in Sacrificio noui Testamenti.* sed lib. 1. cont. aduers. Legis. ca. 20. diuinissimè hoc sacrificium laudis soli Sacrificio Ecclesiæ in Missa his verbis tribuit: *Ecclesia à temporibus Apostolorum per successiones Episcoporum certissimas immolat Deo in Corpore Christi Sacrificium laudis, ex quo tempore Deus Deorum locutus vocauit terram à solis ortu vsque ad occasum: cùm nunc Israel secundùm spiritum, id est, Ecclesia offert singulare sacrificium secundùm spiritum: de cuius domo nõ accipiet vitulos neq; hircos, sed accipiet sacrificium laudis, non secundùm ordinẽ Aaron, sed secundùm Ordinem Melchisedec.* Ita ille. Pulcherrimè etiam tradens in fine proximi superioris Capitis, leprosum Matth. 8. mundatum missum ad Sacerdotẽ legalem vt munus offerret pro mundatione à Moyse mandatũ, quia nondum instituerat Christus Sacrificiũ Corporis sui. ad quod certè amandasset mundatũ, si tunc, sicut postea, ordinatũ fuisset. hoc sensu locutus est. Ex quibus planum efficitur, nõ quamlibet gratiarũ actionẽ aut Dei laudẽ, nec quodlibet sacrificiũ spirituale his vocibus intelligi, sed illud ꝓpriè quod pro carnalibus Israëlitarũ victimis (in quib⁹ etiã tum pręcipua diuinarũ laudũ ac gratiarũ actionum ratio posita fuit) in singulari noui ac spiritualis Israëlis Sacrificio Corporis Dominici constitutum est. cur ergo Eucharisticũ ac laudis sacrificium dicatur, hactenus.

Ep. 120. ca. 19.

Sacrificium incruentum.

Nunc quod de verbo, *incruentũ*, philosophantur, perridiculum est. Nemo enim sobrius, ieiuniũ, orationẽ, Baptismum, incruenta aut exanguia opera vocaret. Ea enim est taliũ vocum vis, vt eius rei, quę inesse à natura potest, carentiã ac priuationẽ denotet. Quapropter cùm oratio nulla sanguinea sit naturâ, nõ rectè dixeris eã, quia sanguine vacat, exanguem: non magis quàm lapidẽ lippũ aut surdũ appelles. Nec minùs ferè impropriè quidã Catholici, qui omnia sacrificia in veteri Lege, in pane, fru-

re,frumento,oleo,& similibus, incruenta sacrificia dixerunt, licèt illi malo sensu non dixerint: cùm nullum sit propriè incruentũ,nisi hoc Ecclesiasticum in Corpore Christi positum. eoque pertinet sine controuersia hęc appellatio, vt distinguat eandem hostiam idemq; Sacrifciũ ab illo quod in Cruce conficiebatur nõ sine fuso cruore. Hęc enim priuans particula respectũ habet ad eã conditionem, quę aliàs inerat Sacrificio facto in eadem victima. Patresq; ea voce vsi sunt,cùm volebant innuere identitatem victimæ, ac modi diuersitatem in sacrificatione. & Latini etiam rarius *exangue* Corpus Christi dicebãt in Sacramẽto,sed incruentũ sæpiùs,quia cruor propriè est sanguis ex vulnere effusus. Volebãt enim insinuare,sacrificationẽ hanc & mactationẽ Corporis fieri sine violẽta cruoris effusione,sola sacramentali mactatione. Et hæc quidem ita sunt.

Sacrificium hoc,quoad substantiam, consistere in ipsa sola Consecratione: eiusq; rei tantùm explicatiuas esse reliquas omnes actiones sacrificales siue præcedentes, siue subsequentes.

CAP. XV.

SEQVITVR nunc, vt illud paulò fusiùs tractemus, vbi in hac multiplici & varia sacramentali operatione sitũ sit Sacrificium,hoc est,in qua parte Missæ & Sacramenti administrationis. Nam vbi vbi est,certè nõ in re stabili & consistente est, sicut Sacramentum hoc cui est annexum: sed in aliquo opere transeunte collocetur necesse est. Sunt autem circa Sacramentum actiones multæ, & eæ partim sunt iure diuino ac Scriptura expressa inductæ, vt ipsa consecratio, manducatio, (vt quibusdam placet) fractio: partim traditione Apostolica ac more Ecclesiastico adiectæ, vt præcedentes cõsecrationem variæ benedictiones,oblationes, cruces, manus impositiones: & post cõfectionem similiter,eleuationes,vocales oblationes, fractiones,permixtiones,& alię deniq; specierũ inter se inuicẽ per Crucis signa accõmodationes. Et hæ quidẽ actiões omnes

circa elementa ſubiecta in tali ceremonia ſacrificales ſanè ſunt, hoc eſt, tales quales vero Sacrificio annecti ſolent; planeq; indicant, illud præcipuum, cuius gratia fiunt, Sacrificium exiſtere. Tamen nec ſingulæ ſeparatæ veram ſacrificationem conſtituunt, nec omnes coniunctæ ad Sacrificij eſſentiam pertinere poſſunt.

Et in hac parte non habemus aduerſarios Hæreticos, cùm ipſi in horum nullo, nec alio quouis opere immolationem eſſe velint: ſed diſſentientes Catholicos Scriptores habemus, quorum aliqui ponunt Sacrificium partim in conſecratione, & partim (idque magis) in oblatione vocali ſubſequente, cùm dicitur: *Offerimus præclaræ Maieſtati tuæ.* In qua ſententia eſt Clichtoueus, & Henricus. 8. Rex in Aſſertionibus, nec diſſentit Roffenſis in earum defenſione contra Lutherum. & apertiſſimè Eckius lib. 3. ca. 9. de ſacrificio Miſſę. Alij volunt, non in his tantùm duabus partibus, ſed etiam maximè in communione & conſumptione rerum oblatarum conſiſtere. Ita ſentit Dominicus Soto in 4. Diſt. 13. q. 2. Tertia ſententia eſt eorum qui putant, fractionem ac etiam tinctionem hoſtiæ ad Sacrificium requiri, vt ſic non niſi quatuor vel quinq; partibus abſoluatur. Ita ſentit Melchior Canus. Quarta ſententia (quam nos magis Patrum teſtimonijs, antiquitati, & rationi conſentaneam iudicamus) ſtatuit, Sacrificium propriè & ſolùm in conſecratione perfici. Eſt Ruardi Art. 16. & ipſius Thomæ q. 80. art. 12. ad 3. & 83. art. 4. 1^a. 2^a. licet 2^a. 2^a. q. 85. art. 3. cõſumptionem videatur velle ad Sacrificium pertinere.

Sententiæ. 1. 2. 3. *De l. Theol. li. 12. ca. 12.* *4.*

Et pro ſola conſecratione facit omnis ſuperior noſtra ex Scripturis & antiquitate explicatio. Nam ſiue commemorationem, repræſentationem, ac ſimilitudinem mortis Dominicæ, ſiue laudis ac gratiarum actionem, ſiue ſacramentalem mactationem, ſiue rei ſacrificandæ in honorem Dei oblationem, ac confectionem ſpectes, hæc omnia conſecrationis vnica ac ſimplici actione perficiuntur. Quod cùm non ſatis intellectum aut obſeruatum eſſet à Recentioribus, in neceſſariam ſacrificationis

Pro quarta.

tionis

tionis rationem aſciuerunt illa omnia, quæ apertiùs, externa voce aut actione, elementorum oblationem, aut Chriſti Paſſionem, aut rem occultiùs in ipſa conſecratione geſtam, ſenſibus fidelium proponerent. Quòd enim vocalem oblationem requirunt primi, ideo factum videtur, quia non cõcipiunt rem propoſitam tum Deo offerri more ſacrificali, quando ipſi mactatur vel conficitur; ſed tum fieri iudicant, quando dicitur, *Offero tibi hanc hoſtiam.* Quod etiam Hęretici libenter arripiũt, cùm negant Chriſtum vnquam dixiſſe circa Sacramenti confectionem, *Offero tibi Pater.* Quo certè argumento non minùs Crucis Sacrificium nobis eriperent: cùm nec illud, verbale offertorium habuerit. De ſecunda ac tertia ſententia ita iudicandum eſt: eadem illa quæ attribuuntur Sacramenti conſumptioni & fractioni, nimirum vt ſint in Dominicæ Paſſionis repręſentationem ac hoſtiæ ſacræ mutationem, eadem ipſa omnia in ſubſtantia Sacramenti per conſecrationem peracta eſſe; vt in reliqua fractione, tinctione, aut etiam manducatione (quę nec ad Sacramenti quidem neceſſitatem & ſubſtantiam pertinent, multò minus ad neceſſitatem ſacrificij) cõſtituenda non eſſe videantur. Rectè dixit Auguſtinus tamen (de conſecr. diſt. 2. cap. *Cùm frangitur.*) *Cum* (inquit) *frãgitur hoſtia, quid aliud quàm Dominici corporis in Cruce immolatio deſignatur?* Licèt enim omnes ceremoniæ ac ſacrificales operationes non pertineant ad neceſſitatem Sacrificij, ſicut quæ *Sacramentalia* dicuntur non ſunt de ſubſtantia Sacramenti: tamẽ omnes ad externam eiuſdem rei, quæ in Sacrificio peragitur, repræſentationem luculentiorem, vel ab ipſo Chriſto, vel ab Apoſtolis & Pontificibus adiectæ ſunt. Et ſic, tam hæ actiones poſt confectum diuiniſſimum Sacramentum, quas iſti cum conſecratione ſolas cupiunt in partibus Sacrificij connumerari, quàm etiam reliquæ omnes, ita comparatæ ſunt, vt verbo vel opere deſignent, oculiſque omnium obijciant, quid in ipſa conſecratione, occultiori, diuiniori ac magis ſymbolicò opere perficiatur. Conſecrationem enim Dionyſius cap. 3. Eccl. Hier. appellat *ſymbolicam ſa-*

De 2a & 3a.

Sacrificalia & Sacramentalia.

cam sacrificationem, quæ nimirum ipsa Sacramenti confectione perficitur. Vt fideles ergo intelligant, mystica consecrationis actione verè sacrificari, offerri, gratias agi, beneficia Christi cōmemorari, propterea & collatio panis & vini in hunc vsum dicitur *Oblatio*, & dedit nomen *Offertorio*: propterea ipsa oblata dicuntur *hostiæ* ante consecrationem per anticipationē, vbi dicit sacerdos, *Suscipe, sancte Pater, hanc immaculatam hostiam quam ego indignus offero, &c.* eodemque modo ad Calicem, *Offerimus tibi Domine Calicem salutaris*: propterea dicuntur *hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata, quæ tibi offerimus*: propterea impositis manibus super vtrunque, quemadmodum vetus Sacerdos super legali hostia, dicit, *hanc igitur oblationem seruitutis nostræ quæsumus, Domine, vt placatus accipias*: propterea paulò pòst obsecramus Deum, vt mox (nempe in consecratione) faciat eandem *oblationem benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq́*, vt fiat ipsum *Corpus & Sanguis dilecti Filij sui.* Græcorum etiam ritus consentit: qui cum afferunt panem ad Altare, dicūt, *tanquam ouis ad occisionem ductus est*; deinde super eundem crucem ducentes dicunt, *sacrificatur Agnus Dei*; etiam lanceolis minutis pungunt panem consecrandum in dextero latere, addentes illud, *& vnus militum latus eius lancea aperuit, &c.* vt hoc modo sensibus exprimant, non solùm quid actum sit in cruce, sed etiam quid in tremenda actione peragatur. Et hæc quidem omnia sacrificalia ante consecrationem: in quibus nemo dixit quicquam pertinere ad substantiam Sacrificij. Post consecrationem quoq; illustrissimæ actiones sacrificales, planè externo & facili ritu rerum ac verborum, nihil aliud demonstrant, quàm illam diuinissimam consecrationis actionem verum fuisse Sacrificium, perfectissimum Passionis exemplar, sufficientissimumque laudis ac gratiarum actionis officium. Cuiusmodi primum est exaltatio seu *eleuatio hostiæ* vtriusque, tam vt conspiciatur ac adoretur à populo, quàm vt illud liturgicum exprimatur quo solebat Aaron & filij eius leuare panes cum collyrida, armum & pectusculum, coram Domino,

non il-

non illa quidem vt immolarentur, sed vt iam antea immolata, quemadmodum ex ceremonia tota constat. Deinde proxima actione *vocaliter offertur*, vt significetur, quòd priùs in consecratione, & mente & opere sacramentali, offerebatur. Tum tertio loco *frangitur* aspectabiliter in particulas tres ad significationem, qui antea (teste Paulo) verè frangebatur per consecrationem. *Hoc est enim Corpus meum* (inquit) *quod pro vobis frangitur.* Fractio enim Christi repræsentata in hoc Sacramento, est Carnis à Sanguine, non ipsius carnis in varias particulas solutio. Et rursus quarto loco *commixtio* Carnis & Sanguinis est conspicuum signum coniunctarum earundem partium per concomitantiam, quæ ratione Sacramenti & Sacrificij sunt separatæ. Vide Paschasium lib. de Corp. & Sang. Dom. cap. 18. Omnia ergo ista, & reliquæ multiplices cruces, vocales oblationes, preces & vota, quibus obsecramus Deum vt velit accepta habere ista sicut accepta habuit munera Abel, sacrificium Abrahæ, & oblationem Melchisedec, nihil aliud sunt quàm ocularis demonstratio eorum quæ geruntur in vno momento tremendæ actionis, in quo verè immolatur & perfectè sacrificatur Christus, huius verbi tanquam instrumenti mactationis interuentu, *Hoc est Corpus meum.* Hoc enim vnico verbo consecrationis omnia postulamus, omnia accipimus, præstantissimum quod in cœlo vel in terra existit; planeque omnia sacrificaliter damus, & quod est præstantissimum in nobis, Deo retribuimus; omnes gratias quas possumus concipere maximas agimus, omnia repræsentamus quæ propter nos & nostram salutem in Cruce peracta sunt: adeo vt huius vnius sententiolæ dignitatē & vtilitatem, mortaliū nemo fando explicare possit. Neq; verò omittendum est illud, prçter illas multiplices ceremonias, laudes, ac oblationes prçparatorias, & multa alia Liturgica subsequentia, fieri immediatè antè viuorum, & continuò pòst mortuorum, tam beatorū quàm expectantiū memoriā: vt ita Christus Sacerdos noster, verus Aaron, cum thuribulo sui sacrificati Corporis collocetur medius inter viuos & mortuos,

Leuit. 8.

1. Cor. 10.

Num. 16.

ac eo

ac eo modo quasi in medijs ceremonijs immoletur. Et de actionibus Liturgicis in genere hactenus.

Non consistere hoc Sacrificium in vocali Oblatione quæ sequitur consecrationem.

CAP. XVI.

DE Oblatione tamen & Communione peculiariter non nihil adijciēdum est, vt à Sacrificij essentia meliùs distinguantur. Ac oblationes quidem multæ esse possunt, vbi vnum est tantùm Sacrificium. Licet enim oblatio sit intrinsecum quiddam ipsi operi sacrificali, cùm sacrificare sit offerre, tamē quia *offerre* communius quiddam est quàm *sacrificare* aut *immolare*, consequens est illud sæpiùs fieri quàm cum sacrificatur, siue sit extra res sacrificabiles, vt in oblatione Primogenitorum, Decimarum, & similium, siue circa res sacrificabiles earumque immolationes. Nam sicut olim quæ destinabantur ad sacrificia, offerebantur, quatenus Deo ad tale Religionis officium dedicabantur: ita nunc fiunt verę oblationes panis & vini, antequam consecrentur, non tantùm à Sacerdote, sed sæpè etiam à populo. Et ita potest intelligi illud Irenæi lib. 4. ca. 32. & 34. quando scribit, Christianos in nouo Testamento offerre Deo primitias creaturarum panem & vinum. Quamobrem etiam apud Græcos (teste D. Germano Constantinopol. Episcopo lib. mysticæ Theoriæ) ipsa oblatio panis & vini ad futurum Sacrificium nuncupatur *Primitiæ*. Quanquam Irenęus ita accipere potest ista, vt de ipso Sacrificio Corporis & Sanguinis propter materiam Sacramenti & species elementorum, sub quibus offertur Christus, qui & ipse (auctore Apostolo Coloss. 1.) potest dici *Primitiæ* vel *Primogenitus omnis creaturæ*, intellexisse videatur. Vtcunq; illud sit, ita sentiendum est, *offerendi* vocabulum & rem latiùs patêre quàm *sacrificandi*, nec ita esse proprium Sacerdotum, nec ita vnicum esse vel vnius certæ rei in nouo Testamento, sicut Sacrificium. Licet enim non dicamus, vel ex plebe quemuis, masculum aut fœminam, *sacrificare*

Iren.

ficare posse, vel aliam vllam creaturam posse in noua Lege *sacrificari* præter Christi Corpus & Sanguinem: tamen verè & propriè Laici omnes & fœminæ, dum vel panem & vinum ad Sacrificium dedicāt, vel nummos suos ad Altare in eum vsum conferunt, vel donaria ac munera terrena quæuis coram Altari Deo repræsentant, *offerre* dicuntur. In primitiua etiam Ecclesia eleemosynæ ipsę, quas largissimas faciebant Christiani, non priùs ferè distribuebantur pauperibus, quàm offerrentur ad Altare vel Sacerdotibus. quod desumptum videtur à veteri Lege, vbi etiam Decimę pauperibus dandæ aut Leuitis, sicut & primitiæ, offerebantur Deo: vt patet Deut. 12. 14. & 16. Et de his omnibus Augustinus vno verbo dixit Epist. 59. *Vouentur omnia quæ offeruntur Deo, maximè autem sacri Altaris oblatio.* Ex his ergo constat, & alios offerre posse præter Sacerdotes; & alia offerri præter ea quę sacrificātur; & ea ipsa quæ ad futurum Sacrificium proponuntur, posse ab ipsis sacerdotibus offerri, hoc est, voueri ac dedicari Deo antequam sacrificentur: ita vt ad Sacrificij rationem planè non pertineant. Multoque magis (quod hîc obseruatum inprimis cupio) liquet, ipsam rem sacrificātam, iamq; factam victimam posse offerri, hoc est, repręsentari, sisti, proponi coram Deo per veram oblationem sine nouo sacrificio. Nam sicut in veteri Lege super sacrificia iam sacra facta inuocabant Dominū populus & sacerdotes: ita multò magis nunc, cùm hostia nostra sit Christus Deus, ea corde ac voce sistitur coram Deo pro omnium suffragiorum validissimo & efficacissimo genere, correspōdente planè eiusdē Christi interpellationi, quam nunc pro nobis facit sedens ad dexteram Dei, per sacrificati Corporis cōtinuam oblationem ac repræsentationem in cœlo. Sic enim *introiens cælum Pontifex noster apparet vultui Dei pro nobis per hostiam suam*, teste Paulo ad Hebr. 9. Sic eius sanguis, meliùs quàm sanguis Abel, clamat iam fusus de Altari, vt mirum non sit, si ad singula momenta, dum in conspectu nostro iacet sacrificatus, per ipsum ac super ipsum vota faciamus Deo. Hinc ergo Sacerdos iam factas ho-

Aug.

Heb. 12.

ſtias proponit, eleuat, offert, *ſancta Sacrificia, immaculatam hoſtiam* appellitat, ac addit, *Super quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris.* & rurſus: *Iube hæc perferri in conſpectu Diuinæ Maieſtatis tuæ:* Compellans denique Filium Dei præſentem per modum hoſtiæ pro viuis & defunctis, cum dicit prece ſacrificali: *Agnus Dei miſerere, dona pacem, dona requiem.*

Nec in Communione conſiſtere Sacrificium.
CAP. XVII.

SED de conſumptione Sacramẽti, hoc eſt, Communione ſiue populi ſiue ſacerdotis, an ea ſaltem ad Sacrificij eſſentiam pertineat, diſpiciendum eſt. Sunt enim qui ita ſentiunt, qui nituntur maximè illo Concilij Toletani 12. can. 5. (& habetur de conſ. diſt. 2. cap. *Relatum.*) *Quale*, inquit, *eſt Sacrificium illud, in quo non participat Sacerdos?* Sed hic locus planè nihil aliud ſignificat, quàm ſacerdotem ſe non rectè gerere, & contra exemplum ac præſcriptionẽ Chriſti & Eccleſię ſacrificium facere ſine Communione. quod genus tamẽ nõ vult eſſe nullum, ſed illegitimũ potiùs ſacrificium; vt grauiſſimè peccet ſcilicet ſacerdos qui ita celebrat. Sed quod ad ipſam rationẽ Sacrificij ſpectat, manifeſtiſſimũ eſt, eam ante Communionẽ in ſe abſolui, cùm Communio ad vſum & fructũ, participiũque Sacrificij pertineat, nobiſque rem iam antè immolatam tribuat; ac cõmunis ſit populo cũ ſacerdote, dum per illam actualis communicatio rei ſacrificatę indifferẽter vtrique exhibeatur. Sic etenim Paulus 1. Cor. 10 *Qui edunt hoſtias, participes ſunt Altaris.* quod nõ eſt ſacrificare, ſed Sacrificij fieri participẽ. Ita etiam in ſacro Canone: *Quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctũ Filij tui Corpus & Sanguinẽ ſumpſerimus, &c.* Et orationes Eccleſiaſticæ antea cõmemoratæ ex feſto Epiphanię, diſtinctè dicũt primùm Chriſtũ immolari, deinde immolatũ ſumi. Vt ſemper aliud ſit ſacrificare ſeu hoſtiam facere, aliud ipſam hoſtiam conſumere. Sicque adeò iſta diſtinguũtur, vt Cõmunio ac ſumptio, per quã applicatur nobis res ſacrificata externa cęremonia tam

Sup. cap. 13.

in ve-

in veteribus sacrificijs quàm hoc nostro, habeat potiùs ratio-
nem Sacraméti, quàm Sacrificij. Victimę enim iam factę accō-
modatio ad corpora nostra siue per comestionē, siue per aliam
pręscriptā sensibilē applicationē vel cōferebat, vel significabat
gratiā; vt nō sit dubium, tam Sacerdotē, quàm Laicū commu-
nicantē accipere per Communionē aliā gratiā seu differētem
fructū ab eo, quē ijdem ex Sacrificio percipiunt, licèt istorū fi-
nes ac effecta valdè cōiuncta sint. Certè si comestio ad substan
tiam Sacrificij ita pertineret, vt nō priùs immolaretur quā cō-
sumeretur hostia, nō video quomodo etiā nō impingamus eò
vt dicendū sit, illas solas hostias esse perfectas vel plenè immo-
latas, quas cōtinget Sacerdotē percipere: reliquas reseruatas ad
populi Communionē vel nunquā perfectè sacrificari, vel tum
demū tantùm sacrificari, quādo à populo postea comeduntur.
Neq; enim cur comestio vnius particulę per Sacerdotē, sacrifi-
catas reddat reliquas, facilè intelligimus. Sed doctissimus alio-
quin Dominicus Soto ꝓpterea defendit loco nuper allegato,
consumptionē maximè spectari in ratiōe necessaria Sacrificij,
quia citra Communionē vtriusq; speciei, nō putat esse repræ-
sentationē Passionis Dominicę. vbi intolerabile est quod dicit,
mortē Christi cōsecratione omnino nō annūciari, sed ideo cō-
secrari, vt postea immoletur quādo consumitur: in qua cōsum-
ptione vult ꝓpriè mortis Dominicę esse effigiem. Quę omnia
ex ipso Paulo & verbis Dominicis refutantur: cùm de ipsa ma-
ximè Sacraméti cōfectione & cōsecratione hęc necessariò in-
telligātur, *Hoc facite in meā commemorationē*; licèt secūdariò nō
solùm in Sacerdotis, sed etiā in populi cōmunione, quatenus
per eā participes fiūt hostię & Sacrificij peracti, cōmemoratio
Passionis existat. Nam de omnib⁹ fidelib⁹ dixit Paul⁹: *Quotiescū-
q; mādūcabitis, &c. mortē Domini annūciabitis donec veniat.* Sed
quo modo excellētissima ratiōe nō solū repręsentetur Christi
mors inter cōsecrandū, sed suo modo quasi moriatur dū cōfici-
tur Sacramētū, satis antè dixim⁹. Et in ea sola parte absolutā im-
molatiōis rationē cōsistere, hoc vnico inuincibili (vt existimo)

Dom. Soto. Sup. ca. 13.

Sup. cap. 11. 12. 13.

 argu-

argumento constabit abundè: Per solam consecrationē & statim à consecratione existit Christus, non quomodolibet, sed modo immolatitio, hoc est, vt vera victima & hostia: nec vllo modo aut vllo momento est præsens, nisi quatenus fractū, traditumque Corpus, ac fusus Sanguis pro peccatis. sed istæ conditiones nō acquiruntur Christo nisi per sacrificationem præcedentem, cùm hostia non fiat nisi per immolationē. Pręterea nihil quicquam reperitur in definitione Sacrificij antè à nobis tradita, quod non exactè integreque quadret in ipsam consecrationis actionem: Vbi & conficitur, & commutatur, & offertur Deo, in solemnissima Religionis ceremonia, materia sacrificabilis.

Sup. cap. 3.

An reliqua (præter Consecrationem) actiones sacrificales, sint saltem de integritate Sacrificij.

CAP. XVIII.

QVANQVAM non absurdè quis dicere possit, omnem reliquam materiei vel specierum permutationem sensibilem, siue ex fractione, siue ex permixtione, siue ex comestione, esse veluti integrales quasdam partes; sine quibus tamen vera sacrificatio existere queat, licèt in quodam genere Sacrificij etiā necessarię cōsequentes mutationes esse possunt. quomodo in holocausto nō tantum occisio & pręcedēs oblatio animalis requirebatur, sed pręterea etiā ex cōbustione plena transmutatio & consumptio. Vt ita in vno genere sacrificij plures & magis operosæ actiones & cōmutationes requirantur, quàm in alio. Nam & in nōnullis sacrificijs veteribus ad integritatē actionis pertinebat, vt vna particula de reliqua oblatiōe decerperetur per sacerdotes, & *in memoriale* sacrificij peracti (sic enim vocabatur) super altare cremaretur, vt Leuit. 2. 5. & 10. constat. Neque multū hîc resistimus, si quis affirmet, comestionem etiam ad aliquorū sacrificiorum cōsummationem aliquo modo pertinuisse, præsertim cùm panū esset sacrificiū, vt Melchisedec. vbi fortasse non interuenerat aliqua alia actio ad com-

ad commutationem rerum offerendarum prȩter manducationem. quomodo etiam Exod. 29. panes sacrificabantur: *Panes* (inquit Dominus ad Moysen) *qui sunt in canistro, in vestibulo Tabernaculi comedent, vt sit placabile sacrificium, & sanctificentur manus offerentium, &c.* In alijs tamen Sacrificiorum generibus (vt Deut. 18. constat) sacerdotes iubentur comedere iam facta sacrificia: nō autem vt fiant, manducare. Et Eleazar ac Ithamar filij Aaronis grauiter reprehenduntur à Moyse, quòd hostiam pro peccato fecissent, & tamen ex hostia nihil manducassent. In hoc ergo toto genere nihil aliud certò statuimus, quod ad causam nostram attinet, quàm propriam rationē ac essentiam Sacrificij consistere in consecratione, vtcunque aliàs manducatio requiratur.

Leuit. 10.

Et vt semel dicam, puto, ita cōsumptionem ac reliquas præter consecrationem actiones comparari ad substantiam Sacrificij nostri, sicut se habebant ad sacrificium Crucis (quod propriè in spiritus Christi voluntaria exhibitione constabat) reliquæ omnes vel inimicorum vel amicorū seu violentiæ seu debita officia, tam ante expirationem ab initio traditionis, quàm pòst vsque ad sepulturam ac iusta funebria. Illius generis fuerunt plurima verbera, cōtumeliȩ, effusio cruoris, gestatio Crucis, & similia: huius generis, punctura lateris, sanguinis & aquæ effluxus, officiosa de Cruce depositio, sepultura Corporis, inunctio, & similia: quæ omnia suo modo intra fines Sacrificij Crucis comprehenduntur. Postremò in nostra Missa eæ etiam actiones, quas extra Sacrificij essentiam esse diximus, sic distinguendȩ sunt, vt illas semper iudicemus magis esse necessarias, magisque ad integritatem rei pertinere, quȩ sunt apertè Christi exemplo vel iure diuino Sacrificio coniunctæ: (cuiusmodi prȩter consecrationē est sola Communio) quā illȩ, quas vel certò cōstat postea accessisse, vel probabiliter existimamus nō fuisse vsurpatas à Christo in Diuinissima actiōe. quales sunt vocalis oblatio, eleuatio, fractio significatiua, & pmixtio specierū. quas tamē oēs Apostolica traditiōe receptas nō dubitam⁹.

Secundùm quid sit in ipsa Consecratione Sacrificium: num secundum mutationem elementorum, an secundùm Sacramentalem Christi vel præsentiam, vel mactationem magis.

CAP. XIX.

NVnc autem id consecuti videmur, vt Sacrificatio non in alia parte Missæ propriè constituatur, quàm in consecratione. Dispiciẽdum porrò est, qua ratione illa & quatenus in consecratione cõsistat. Nam eius cõsideratio est multiplex, nec à quoquam explicata planè. Sunt autem in Consecratione tria maximè, vnde aliqua immolationis ratio accipi potest. Primũ, mutatio elementorũ dum transsubstantiãtur in aliud: secundum, quædam quasi mutatio Christi dum acquirit nouum esse sacramentale: tertium, ipsa mactatio mystica, dum per sacramentalem actionem hinc & hinc in varijs speciebus per modum animalis sacrificati constituitur. Quæ omnia simul iuncta in vnica actione Consecrationis faciunt tam mirabilem tamque excelsum modum Sacrificij, vt nihil vnquam tale aut tam perfectum vel apud Ethnicos, vel apud veteres fideles in hoc genere extiterit. Sed ijsdem tribus seorsum consideratis, vbi magis collocetur hoc summum Religionis officium, videamus.

Sunt igitur qui ita tradunt: Mutationem eam quæ propriè Sacrificium constituit, esse transmutationem panis; sicut mactatio in Lege per quam Deo animal sacrificabatur, erat animalis sacrificium. Et proinde si initium seu terminum à quo mutatio sacrificalis incipit, respicias, vocari nostram actionem *Sacrificium panis & vini* sicut Augustinus præsertim cap. 19 de fide ad Petrum: *Sacrificium* (inquit) *panis & vini Catholica Ecclesia tempore noui Testamenti per totum orbem offerre non cessat.* Similia habet Cypr. lib. 2. Epist. 3. Sed sæpiùs & veriùs à Veteribus denominari à termino ad quem, nempe à Corpore & Sanguine Domini, in quæ fit sancta mutatio, *Sacrificium Corporis ac Sanguinis Dominici*, locis antea plurimis annotatis.

Aug.

Cyp.

Sup. cap. 14. Sed qui hanc viã sequũtur, nõ ita se expediunt quin necessariò

ad hæc absurda ducantur. Primùm, propriè sacrificari panem & vinũ in nouo Testamẽto. quod est cõtra certissimũ fundamentũ Religionis nostrę, nempe nihil sacrificari in noua Lege prę ter Corpus quod Christo aptauit Deus in hũc finẽ, vt illud ꝓ omnibus alijs materijs terrenis immolaret. Secundò, sequeretur immolationẽ nostrã nõ esse rei viuentis sed inanimis, cùm tamẽ probatũ sit Scripturarũ & Patrũ testimoniis, nostrũ Sacrificium cõtinere exemplar exactũ Sacrificii Crucis, quod in occisione veri hominis positum fuit: Vt propterea Theologis vetustissimis Victima noui Testamẽti sit *intelligibilis ac rationabilis hostia*. Tertiò, sequeretur ipsam operationẽ, in qua propriè sita est sacrificatio, & in qua Deus maximè colitur & placatur tanquã summâ latriâ, esse immediatè circa panẽ & vinum. Sacrificium enim nõ denominatur à termino ad quem, qui est finis & effectus Sacrificii, & ipso opere quo Deũ colimus, naturâ posterior, nec nisi impropriè est illud in quod trãsit res proposita, sed est ipsa rei quæ offertur transmutatio, ac confectio, vel dedicatio in Dei honorem. Si ergo actio, in qua consistit cultus, non geratur circa ipsam personã Christi, profectò Christi persona non sacrificatur, sed tantùm offertur post Sacrificium, cùm tamen nulla operatio posita in alterius creaturę cõfectione aut dedicatione extra personã Christi esset tam grata Deo, aut tam potentis meriti ac fructus, atq; officiũ consecrationis esse creditur. Postremò sequeretur, aliud offerri in Altari quàm in Cruce, & aliud esse Sacrificium, alteriusq; generis: itemque nec Christum seipsum in Cœna aut in nostra Missa sacrificare sicut in Cruce, sed tantùm panem & vinum nostro ministerio, cùm tamẽ ipse volens tradat animam hîc in Missa, vereque pro nobis semetipsum sanctificet, non minùs quàm in Cruce. Ex quo fit, vt aliter ac magis singulari ratione concurrat ad ministerium huius Sacramenti, hoc est, ad sacrificationem sui, quàm ad alia Sacramẽta cõficienda. quod exprimit Ecclesia, dum facit sacerdotes in persona Christi proferre verba consecrationis, *Hoc est Corpus meum:* &, *Hic est Sanguis meus.*

Vide sup. cap. 6.

Igitur

Igitur vt clarè rem expediamus, obseruādum est, actionem circa panem mutandum non per se ac primariò intendi ab eo qui sacrum facit, nec vllam positam esse Religionem propriè in dedicatione panis & vini: imò nec Deo dedicari illa modo sacrificali in quo est summus cultus, si ipsas tantummodo creaturas respicias. quia nō sicut olim occidebatur ac eâdem operâ immolabatur animal in honorem Dei, vt ipsa talis rei mutatio esset illi cultus acceptabilis, ita etiā nunc mutatur aut donatur Deo panis, vt ea operatione placetur Deus: quia hîc respicit solùm in faciem Christi sui sacrificati, nec quicquam reliquam actionem circa panem, nisi quatenus eò pertinet, attendit. De mutatione igitur panis sic sentiendum est, illam tantummodo esse commodam rationem Diuina sapiētia inuentam, vt ea interueniente actiones illę, quas requirimus circa Christi personam & propriè intēdimus, perficiātur. Vt nō sit nisi secundariū quod circa panē & vinum gerimus, vel causa sine qua nō possit sacrificari Christus, qui in sua forma natiua & glorioso statu sine istorum aut similium elemētorum & specierum commoditate, nec à nobis immolari, nec in Sacramentum proponi possit. Ipsa ergo Consecratio, quæ currit dum sacramentalia verba proferuntur, nil aliud esse videtur, quàm instrumentum per quod vnico momento temporis & panis tollitur, & ad eius sublationem fiat præsens & mactetur mysticè Christus. Quæ ratio explicationis toti priori tractationi & maximè ipsorum sacrorum verborum veritati congruit, in quibus sicut non fit mentio panis expressa, aut eius mutationis: ita clarissimè significatur, hanc totam actionem peragi in eum finem, non vt destruatur panis ad honorem Dei, sed vt ad rationabilem seruitutem constituendam fiat Corpus, idque cum conditione traditionis ac fractionis; fiatque Sanguis non solùm quatenus sacramentaliter existit, sed maximè quatenus cum conditione effusionis ac separationis à Corpore in remissionem peccatorum funditur, vt antè explicauimus.

Sup. cap. 13.

Ista igitur tria simul fiunt inter consecrandum: conuertitur nimi-

nimirum panis; existit Christus sacramentaliter; mactatur Christus sacramentaliter. Primum non primariè intenditur; secundum fit propter Sacramentum; tertium peragitur propter Sacrificium. Et ad ista duo posteriora constituenda, panis materia, ipsiusque cessio, ac specierum permansio & vsus, simile officium ac commoditatem in istis Mysterijs præstant. Sicut enim cùm de Sacramento ageremus, ostẽdimus, Christi Corpus non posse ad Sacramentum redigi, nisi intermediante tali materia quę converteretur in ipsum, nec fuisse aptũ ad significationem sacramentalem, nec ad perceptionem, nec ad reliquum externum vsum, nisi per species eiusdem materiæ relictas: ita etiam cogitandum est, capi ab istis externis elementis necessariam commoditatem, vt Ecclesia habeat Sacrificium aspectabile in tali re ad quam oculi mortalium non pertingũt: fiatque per illa continuò iterabile, quod in se tantùm vnicum existit: & per illa occidatur, quod in se ipso mori non potest: per illa fiat victima visibilis & tractabilis ministerio Sacerdotum mortalium; per illa denique congregetur populus in externos cætus in nouo Testamento ad summum cultum, qui indubiè situs est in Corpore Christi ac eius sancto Sanguine, & non in pane ac vino per se, magis quàm in sanguine vitulorum, cùm iam non amplius *congreget Deus cõuenticula hominum de sanguinibus*: sed (sicut pulchrè Augustinus dixit Epist. ad Honoratum, interpretans Ps. 21.) Christi seu fidelium eius vota reddenda nunc in nouo Testamento in conspectu omnis populi, est Sacrificium Corporis Christi: idemque est sacrificium laudis quod glorificabit Deum; & illic via est qua ostendatur populo salutare Dei, hoc est, ipse Christus, inquit August.

Sup. li. 1. cap. 6. *Psal. 15.* *Ep. 120. ca. 24.* *Cap. 18.*

Sic igitur (nisi multum fallimur) explicanda sunt ista, vt neque propriam rationem sacrificationis, neque vnicã ponamus vel in mutatione, vel in sacratione ac dedicatione panis: sicut multi Recentiores, minùs plenè Sacrificij huius vim definientes, illud in eo collocant maximè, quòd panis & vinũ ex nõ sacris fiant sacra. In quo genere etiam magis erratũ esse videtur

Eeee ab ijs

ab ijs qui ita ſacrationem panis per ſe conſtituunt Sacrificium, vt immolationem corporis aliud eſſe Sacrificium iudicent, vt ſic duo ſint planè ſacrificia circa actionem Conſecrationis: in pane vnum, alterum in Corpore. Hoc facit Gaſpar Caſſalius non indiligens ſcriptor. idem quoque laudat in Ruardo, ad explicationem 17. art. Louan. qui certè apertè ponit Sacrificium in panis & vini ſanctificatione per ſe ac conuerſione: deinde circa Corpus Chriſti non tam Sacrificium, quàm oblationem fieri ſacrificij, ſubobſcurè & perplexè indicat. Vbi & illud incommodè tradit, quòd prius fiat Sacramentum, quàm Sacrificium: priùs tamen etiam Sacrificium in Conſecratione exiſtere, deinde poſteriùs oblationem eiuſdem ſacrificij. ad quam dicit Sacerdotes propriè eſſe inſtitutos magis quàm ad conſecrationem, cùm in ipſorum ordinatione expreſſa fiat mentio offerendi, non autem conſecrandi. Quæ incommoda explicatio obrepſit homini alioquin doctiſſimo, quòd nō iudicauerit, ipſam Conſecrationem ac Sacrificij actionē eſſe propriè dictā oblationē, & ad eam accipere ſacerdotes poteſtatē in ordinatione, multò magis & priùs, quàm ad ſequentē repræſentationem ſiue oblationē rei prius ſacrificatæ. In quo etiam illud ex eodem errore profectum non placet, quòd inſinuet, actionem ſacerdotis circa Chriſti Corpus eſſe ſimillimam illi repræſentationi quam Chriſtus facit in cœlo, vbi nō ſacrificat ſeipſum, ſed ſe tantùm antè ſacrificatum Deo Patri oſtendit: cùm ex antiquitate probatum ſit, tale Sacrificium Corporis ac Sanguinis hîc eſſe conſtituendum, quod ſit expreſſum exemplar Sacrificij Crucis, ita vt nec identitatem in re ipſa excludat. licèt Sacrificio in Conſecratione peracto, ipſam hoſtiam ſubſequenti oblatione vel verbali, vel mentali, vel à ſacerdote, vel à populo, ita repræſentari Deo confeſſi ſimus, quomodo nunc corpus ſacrificatum in cœlo ſiſtitur per Chriſtum vultui Dei pro nobis.

Caſſalius. Tapper. *Sup. cap. 12.* *Sup. cap. 16.*

Ad loca Aug. & Iren. Iam verò ne quid remaneat ſcrupuli ex locis Patrum commemoratis, vbi videtur vocare Sacrificium Eccleſię *ſacrificium*

panis

panis & vini: ex his quæ diximus perſpicuum eſt, eos non alia de cauſa ita appellaſſe, quàm quòd panis & vinum eſſent remota materia quam Chriſtus præſcripſit, & populus in vſum Sacrificij ad miniſterium offert, & in quam operamur ſenſibiliter, & per quam accipimus commoditatem perficiendi diuinum opus circa perſonam Chriſti, ſiue ipſam ſubſtantiam elementorũ conſideres, quę diſcedit in ordine ad Corpus & Sanguinem Domini, ſiue accidentia quæ remanent ad reliquam actionis neceſſitatem. Et ſic certè intelligendus eſt author de fide ad Petrum ſuprà citatus, itemque Irenæus cap.32. lib 4. cum dicit, Chriſtum accepiſſe eum qui ex creatura panis eſt, & etiam Calicem qui eſt ex ea creatura quæ ſecundùm nos eſt, ac noui Teſtamenti nouam oblationem docuiſſe, *quam Eccleſia* (inquit) *ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in nouo Teſtamento.* Cyprianus verò Epiſt.3.lib.2. nomine panis & vini nō tam materiam ex qua Sacrificium hoc celebratur (vti priores) quàm ipſum Corpus & Sanguinem, quæ ſunt verus panis & potus vitam mundo tribuẽtes, intellexiſſe videtur. Ita enim ipſe ſe explicat: *Obtulit Chriſtus* (inquit) *idem quod Melchiſedec obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet Corpus & Sanguinem.* Sic ille. Quomodo etiam intelligenda videtur illa Eccleſiæ antiphona a D. Thoma ad primum Pſalmum in prioribus Veſperis Feſti Corporis Chriſti præſcripta, nimirum, *Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus ſecundùm ordinem Melchiſedec, panem & vinum obtulit.* Quo modo denique pulcherrimè Auguſtinus lib.17. ciu. Dei cap.6. vſurpauit appellationem Sacrificij panis: *Panis* (inquit) *quem ego dedero, Caro mea eſt pro ſeculi vita, & ipſum eſt Sacrificium non ſecundùm ordinem Aaron, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedec. Qui legit, intelligat.* Sic ille.

Ad Cyp.

An vtraque ſpecies neceſſaria ſit ad Sacrificium.

CAP. XX.

QVomodo autem se habeat immolatio Corporis in priori specie ad immolationem Sanguinis in altera: & quomodo, licèt sæpe pluraliter dicantur sacrificia, vt in Actione Tremenda, *hæc sancta Sacrificia*, vnū tamen & completum opus ad perfectam ac integram repręsentationem eius generis mortis quod per Sanguinis effusionē in Cruce subijt, non nisi in vtraque specie & duplici actione existat, ex his quæ diximus cùm in Tractatu de Sacramēto species inter se essent à nobis comparatæ, facilè intelligi potest. Ratio enim vtrobiq; similis est, nisi quòd vtraque pars semper ad repræsentationem sacrificalem visa fuerit magis necessaria, quàm ad perceptionē sacramentalem: vt propterea summi Theologi iudicent, vel omnino sacrificari nisi sub vtraque specie non posse, vel certè nunquam debere, propter necessitatem institutionis ac præceptionis Dominicæ, quæ (quod ad Sacerdotes conficientes attinet) semper vtranque partem integrè requirere videatur.

Vide lib. 1. ca. 2. & 39.

Alex. Adrian.

Ego hactenus puto, quod etiam Alexander Halensis & Adrianus Pontifex, summi viri sentiunt, non ad rationem ac essentiam, sed ad integritatem Sacrificij huius pertinere, vt sit in duplici specie: & incidere posse tempora & necessitates, vbi & verum existat Sacrificium in altera specie, & expediat etiam vt Ecclesia de altera parte dispenset: vbi nimirum vtraque materia nullo modo parabilis sit. quo modo memoriæ proditum est, etiam ab Innocentio 4°. cum Noruegis de vino in Mysterijs conficiendis dispensatum esse. Sed penes Ecclesiam iudicium esto. Huius enim rei tractatio certè nunc vtilis non est, cùm nec in Hæreticorum contentionibus, nec in Catholicorum disputationibus ferè locum aut vsum habeat.

Proponuntur argumenta Hæreticorum contra Sacrificium Missæ, ex Epist. ad Hebr. deprompta ab vnitate atque perfectione Sacerdotis, & Hostiæ, & Oblationis, tempore noui Testamenti.

CAP.

CAP. XXI.

IN quo ergo posita sit vis,ratio,atque ipsa essentia Sacrificij Euchiaristici,pro exigua facultate nostra explicauimus.Nūc vt res ipsa meliùs sit defensa contra Hæreticos,indicabo breuiter quomodo sit respondendum validioribus argumētis,quibus sol impugnare Sacrificium Ecclesiæ:præsertim illis quibus effici putant,Sacrificium omnino non esse. Nam alijs quibus contendunt non esse propitiatorium, aut nō offerendum pro viuis & defunctis, cæterisque hominum necessitatibus, tum satisfaciemus, cum de vsu, efficacia, effectis disputandum erit. *Inf. cap. 29. ad 34.*

Putant igitur isti,totam Epistolam ad Hebręos ex vnico Sacrificio Crucis constituto,apertè & potenter Sacrificium omne Ecclesiasticum iugulare. Cuius disputationis vim omnē ab vnitate ductam,in hunc syllogismum & in hęc capita,doctrinę causa, redigo. Suppeditare illis videtur triplex argumentum Apostolus. primum à persona Sacerdotis, quam vult esse vnicam. secundum ab Hostia,id est,re offerenda,vbi etiam vnitatem requirit. tertium ab ipsa Oblatione,hoc est, actione offerendi, quam quoque planè vnicam in nouo Testamento esse statuit. Sed Sacrificium Missæ non consistit cum vlla istarum vnitatum. Nam requirit plures Sacerdotes, diuersas numero hostias, ac etiam frequentes & repetitas actiones, cùm quotidie plus millies repetantur. Rursus ad singulas istas res additur talis conditio perfectionis,quæ non cōsistat cum Ecclesiastico Sacrificio: vt nimirùm Sacerdos non tantùm sit vnus,sed etiam talis qui non habeat necessitatem pro se offerendi: & Hostia talis, quæ per se efficax videatur ad omnia peccata exhaurienda: & Oblatio denique eius generis, vt ea semel interposita,populus non amplius habeat conscientiam peccati: vt ita abrogetur deinceps omnis Sacrificij vsus.

Omnes partes prioris disputationis,ita huius Epistolę varijs sententijs muniunt. Pro vnitate Sacerdotis,ac contra nostram pluralitatem facit illud cap.7. *Et alij quidem plures facti sunt Sa-*

cerdotes, quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Et inferius: *Sanctus, innocens, impollutus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* Cui addunt, quòd id sit proprium ordinis Melchisedec, vt vnus tantummodo in eo existat Sacerdos, qui neque socium, neq; successorem habeat. Deinde ad Hostiæ vnitatem comprobandam, itemq; de ea semel tantùm, & nõ sæpius offerenda, illud adferunt ca. 10. *Hic vnam offerens pro peccatis hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei:* Item: *Lex per singulos annos ijsdem ipsis hostijs quas offerunt indesinenter, nunquã potest accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri.* Et paulò pòst: *Sanctificati sumus per oblationẽ Corporis Christi semel.* Et ca. 9. *Nec vt sæpe offerat semetipsum: alioquin frequenter oporteret eum pati.* Et cap. 7. *Hoc enim fecit semel se offerendo.* Et rursus: *Vnica oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Et rursus: *in consummationem seculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit, &c.* Contra quæ omnia Hæreticorum iudicio multipliciter in Missa nostra peccamus. Primùm, quòd nostra sacrificia inter se comparata diuersa sint. Tum, quòd ab ipso Sacrificio crucis, quod in nouo Testamento vnicum esse debet, vel victima, vel certè ministerio & actione differat. Deinde, quòd faciamus diuersitatem inter sacerdotem & rem oblatam, vbi offerens non deberet habere aliam hostiam quàm suam, hoc est, proprium Corpus. Denique, quòd non sine scelere Christum neci per singula Missarum momenta adiudicemus, eiusque hostiam sæpe repetendo inualidam esse ostendamus, Apostolo contrarium clamante, *Vbi est peccatorum remissio, iam non est oblatio pro peccatis.*

Patres prauidisse eadem argumenta, nec tamen Sacrificium Missæ sustulisse, sed argumentis ipsis solidissimè occurrisse, per hoc quòd etiam in Sacrificio Missæ idem est vnus Sacerdos, eadem vna & hostia, & oblatio, quæ in Cruce fuit.

CAP.

CAP. XXII.

IN hac tota causa vt & animis nostris,& Aduersariorum argumentis fiat planè satis,obseruandum inprimis est: Patres omnes Græcos & Latinos,& vidisse hæc ipsa loca, & illam speciem repugnantiæ cum Sacrificio Ecclesiastico grauiter animaduertisse, atque præoccupatione diligenter tractasse; nihilque motos esse propter ea ab eo fidei fundamento ac omnis Religionis capite quod hoc articulo continetur: cuius nimirum veritas non vnquam fuit magis obscura apud omnes fideles, quàm ipsius Euangelij Scriptura. Legamus omnium Veterum Commentarios in Hebr.5.7.9.10. Videamus, an sicut Hæretici, ita illi ex his locis Sacrificium ab Ecclesijs explodi curauerint.Expendamus,an Missæ oblationem cum Sacrificio Crucis non consistere iudicauerint; an ex his Scripturis vnquam asseruerint, nouam Legem nouumque populum vacare externo Sacrificio. Vtrique non fecerunt: sed datâ opera in hæc Paulina verba differentes, huic populari intelligentiæ,quæ nunc Hæreticorum est,restiterunt.Et quibus locis isti sublatam volunt Sacrificium, ijsdem illi totius oblationis rationem commodissimè illustrarunt. Sic enim præoccupauit hoc argumẽtum Hæreticorũ Primasius Augustini discipulus, ad hæc verba: *Alioqui cessassent offerri. Quid ergo dicendum est?* (inquit.) *Nunquid Sacerdotes nostri quotidie non offerunt sacrificium?* Respondet: *Offerunt quidem. quia nos quotidie peccamus, & quotidie indigemus mundari. Et quia ille non potest mori, dedit nobis Sacramentum Corporis & Sanguinis sui, vt sicut Passio illius redemptio fuit ac absolutio mundi, ita quoque ista oblatio redemptio & mundatio sit omnibus in veritate offerentibus.* Ambrosius etiam sic anteuertit cogitationes Sacrificio Ecclesiastico contrarias,in eundem locum. *Quid ergo nos? nónne per singulos dies offerimus?* Respondet: *Offerimus quidem.* Idem etiam Chrysostomus sibi sic obijcit: *Nónne & nos assiduè offerimus?* Respondet: *Offerimus certè.* Sic Oecumenius,sic Theophylactus: *Suboritur* (inquiunt) *hîc quæstio, num & nos in Ecclesia incruentas offera-*

Primas. in Heb.10.

Amb.

Chrysost.

Oecum. Theophy.

offeramus victimas? cui respondent: *omnino offerimus.* ita isti: & Haymo, & Paschasius, & Remigius, ac omnes reliqui Tractatores.

Hay. Paschas. Remig.

Quomodo ergo Paulum interpretati sunt (inquis) circa hãc triplicem, Hostiæ, Oblationis, Sacerdotisque vnitatem quam commemorauimus? Ita certè omnes summo consensu (quod & antè commodiore loco explicuimus) differunt, vt hoc non obstante quòd varijs locis ac temporibus offeratur noui Testamenti Hostia, tamen vnica numero sit, sicut vnicus Christus: & non plures, sicut legales victimæ. Itemque de ipsa Actione sacrificali, quòd & ipsa ex ea parte qua propriè Sacrificium existit, vnica sit etiam, vtcunque propter diuersitatem elementorum, quorum interuentu Christum sacrificamus, plura sacrificia esse videantur. Statuunt enim, nostras Missas secundùm substantiam, vtut censeantur vel inter se ipsæ, vel à morte Dominica diuersæ esse, nihil aliud esse, quàm admirabili modo *repetitam Passionem.* sic enim quidam locuti sunt: alij *perpetuam Redemptionis oblationem* dixerunt. Nazianzenus oratione post morbum ait, *Sacerdotem his Sacrificijs se planè immiscere magnis Christi passionibus.* Alexander primus, longè vetustissimus, in Epist. ad omnes Orthodoxos ita quoque dixit: *In sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solennia offeruntur, Passio Domini miscenda est, vt eius, cuius Corpus conficitur, Passio etiam celebretur.* Et Cyprianus Epist. ad Cecilium: *Passio Domini est Sacrificium quod offerimus.* Tandem Ambrosius cap. 48. lib. 1. de Officijs: *Offertur hîc Christus in imagine, quasi recipiens Passionem.* Hęc quidem dixerunt illi, quia actio Ecclesiastica est expressa imagô, simplicissima figura, vnicum exemplar, ineffabilis recordatio Christi patientis in Cruce: tam exacta, inquam, vt idẽtitatem neque in re oblata, neque in actione excludat. Contrà ac veteres animalium mactationes, quæ erant prorsus diuersæ inter se, tenuissimamque vmbram futuræ oblationis in Cruce continentes; quæ nec ipsa erat de substantia sacrificiorum, sed illis sacrificijs quiddam adiunctum: cùm nostræ oblationis essentiã ac pla-

Sup. cap. 12. Hostia vna. Oblatio vna. Naz. Alex. P. Cyp. Amb.

ac planè rationem omnem in illa identica commemoratione mystica mactatione comprehensa, expressissimaq; figura mactationis Dominicæ sitam esse iudicet. Igitur hæc est omnium Patrum in 10. ad Hebr. vna sententia: nostras oblationes & Sacrificia non magis dici plura aut diuersa, quàm plura sint corpora, aut plures ac diuersi Christi.

Iam verò quod ad tertiam vnitatem attinet, vbi Paulus vnicum Sacerdotem etiam requirit, eumque æternum, impeccabilem, nõ aliam hostiam quàm suum Corpus, nec alienum sed proprium offerentem Sanguinem: istud quoq; eatenus in Sacrificio nostro obseruari tradunt, quatenus Sacerdotes noui, qui tantùm sunt *dispensatores Mysteriorum Dei*, ab vno Christo Sacerdote summo ita in omni officio dependent, vt non nisi in ipsius persona, iussu, auctoritate, assistẽtia, virtute quicquam administrent: Vt ea ratione, omnium veluti vnicum in Christo Sacerdotium dicas; quomodo apud veteres Legis sacerdotes comparatum non est: cùm illic nemo esset cuius cæteri erant Vicarij, nemo qui ab altero sacerdote dependebat, nemo qui in alterius persona aut nomine quicquam gereret sacrificale, vbi quisque moriens totum reliquit successori, nihil retinuit sibi; vtpote quorum munera erant independentia. Et hæc quidem potestas Sacerdotum nostrorum ita substrata Christo in toto ministerio cernitur, vt licèt illi non minùs verè concurrant singuli ad sua officia præstanda quàm legales sacerdotes, siue cum baptizant, siue cum inungunt, siue cum absoluunt, siue cum ordinant, siue cæterorum quicquam faciunt: tamen semper verè & magis principaliter Christus eadem ipsa per ipsos facere dicatur. Cùm adhuc tamen quiddam præterea singulare sit (si D. Thomæ credimus q. 78. p. 3.) in hoc Sacrificio, vbi minister non solùm facit auctoritate Christi, sed etiam in persona Christi: & vbi Christus non tantùm ministerio aliorum, sed ipse mirificè tradit à se potius liberè animam suam, quàm à sacerdote mactationem mysticam suscipiat: quomodo & suopte opere se presentẽ reddit. Ita Chrysost. dixit Hom. 51. in Matth.

Sacerdos vnus.

1. Cor. 4.

Thom.

Chrys.

in Matth *Seipsum immolatum proposuit.* Et Hom.2. in Epist.2. ad Timotheum: *Non hanc sanctificant homines, sed Christus qui eam antè sacrificauerat: & sicut verba sunt eadem, ita & oblatio eadem est.* Et Ambros. loco proximè citato ex 1.lib. Off. *Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus: nunc Christus offertur. sed offertur quasi homo, & offert se ipse quasi Sacerdos, vt peccata nostra dimittat.* Denique August. lib.10.cap.4. de Ciuit. Dei: *cum ad illum sursum est Altare cor nostrum, eius vnigenito Sacerdote eum placamus.* Sic enim Tho. Vvaldensis eum locum qui nunc aliter habet in multis codicibus, vel legit ipse, vel castigauit. & eod. lib. cap.20. *In forma serui Mediator noster maluit esse Sacrificium, quàm sumere. Per hoc Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei Sacramentum, quotidianum esset voluit Sacrificium, cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus: tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri. Huic summo veroq; Sacrificio cuncta falsa sacrificia cesserunt.* Ita ille. Quam diuinam sententiam qui intelligit, nunquam dicet, Ecclesiam offerre alienum sanguinem: nec dubitabit, Dominum nostrum longè suprà quàm facit in alijs Ecclesiasticis functionibus, hîc suam excellentem potestatem ita exercere, vt eius summi, veri, singularis Sacerdotis comparatione, nec nostri nec ipsi Aaronici sacerdotes esse videantur.

Amb.

Aug.

Alia responsio: Ostendit Apostolus, Non per Legem factam esse Consummationem (vt volebant Hebræi) sed per vnicum Sacerdotem Noui Testamenti, & per vnicam vnius eius Hostiæ oblationem. quod non repugnat Sacrificio Missæ, cui Consummatio non tribuitur, sed Applicatio tantummodo.

CAP. XXIII.

ET ita quidem ista tractarunt Veteres, cùm adhuc Sacrificij hostes non extiterunt. eaque vera sunt omnia, & prædicta Hæreticorũ argumenta destruũt, etiamsi in partem comparationis Paulinę, quam inter Sacrificiũ Christi & Leuiticum instituit, hoc quoque genus Sacrificij, quod in Cœna &

Eccle-

Ecclesia vel per se, vel per ministros suos peragit Dominus, accipiamus. Cùm tamē reuera & directè Apostolus solùm cōferat sacrificia vetera, ad Sacrificiū crucis; victimas veteres, ad victimā Crucis; Sacerdotes veteres, ad vnicū Sacerdotē Crucis; virtutē sacrificiorū veterū, ad vim Sacrificij Crucis. Illa nimirū sacrificia fuisse varia, ac propter infirmitatem cōtinuò repetita: illas victimas fuisse brutas, ab ipso offerente alienas, ad remissionē peccatorū ineptas: illos sacerdotes ritu & mandato carnali institutos, fuisse innumeros, quotannis & quotidie cōsimiles hostias nō minùs pro suis peccatis, quàm ꝓ populi delictis, mactantes; id tamē nunquā assecutos quod desiderabant. Christū verò contrà vnicū sacerdotē, Sp. sancto vnctum, & Patris iureiurādo ad omnē æternitatē factū & firmatū, vnica hostia Corporis sui, vnica actione, hoc est, morte Crucis omnia cōsummasse, quęcunq; ad remissionē, redemptionē, satisfactionemq; generalē pertinebant. De Sacrificio autē nostro Ecclesiastico in neutrā partē pręcisè quicquā dicit, data potius opera (vt auctor est Hieronym. ad Euagriū) illud præteriens. Neq; enim opportunū erat, apud eos quicquā de hoc nostro exemplari mortis Dominicę disserere, qui de ipso Sacrificio mortis nō rectè senserunt. Erant enim (inquit) *imbecilles ad audiendum.* Et ignoratio Hebręorū ac grauissimus error adegit Paulum, vt in eam sententiā quā diximus disputaret: cùm ea omnia ipsi tribuerēt impiè sacrificijs suis significatiuis, quę nulli sacrificio, nec ipsorū, nec nostro, sed soli perfecto, absoluto, vnico cōpetere poterāt. Qui cùm audirēt de sacrificio (inquit August. 3. de doct. Chr. ca. 5. & 6.) *non excedebant cogitatione illud quod fiebat in victimis pecorum, aut terrenis fructibus, obseruantes signa rerum pro ipsis rebus, nescientes quò referrentur.* Hæc ille. Ex quo facilè cernitur, eum fuisse quasi statum controuersiæ inter Iudæos & Paulum, nimirum, essétne illud capitaneum sacrificiū à quo omnia pendebant obsequia Religionis, in Sacerdotio Aaronico, an in sacerdotio Melchisedeciano. hoc est (vt ipse loquitur) fuerátne Consummatio in aliquo Sacrificio

Hier.

Heb. 5.

Aug.

Quæstio Epistolæ ad Hebræos.

Leuitici Ordinis, an in Ordine Melchisedeci: essétne aliquod sacrificium legale, absolutum, potens sua vi ad remittendum peccatum, imo (vt ipse rursum loquitur) ad exhauriendum peccatum, ad interficiendum, destituẽdum, abolendum peccatum vniuersum: essétne (inquam) aliquod sacrificium apud ipsos, quod pro fundamẽto haberetur & sufficienti causa æternæ remissionis, cuius vis esset infinita, cuius pretium & valor apud Deum exactè summoque iure libratus, incomparabiliter superaret omne omnium peccatorũ debitum, tam quoad pœnam, quàm quoad culpam. Rursum, an illi aliquam vnam hostiam in illa infinita victimarum varietate haberent, quæ tantæ dignitatis esset, vt per se peccata purgaret. Item, an aliquem sacerdotem inter suos cognorint, qui sibi vendicaret officium generale redemptionis, in cuius præterea dignitate vel persona fundaretur tanti officij æternitas & immutabilitas: an quenquã qui vlla actione sua, vel functione, vel sacrificio æternam Redemptionem inuenisset, cœli ianuam Patribus ac futuris Fidelibus omnibus aperuisset, sibique à dextris Dei sedem constituisset: qui mortem destruxerit morte pecorum: qui ita denique sacrificauerit, vt illa sua actione vim omnem omni & Sacrificio, & Sacramento, & operi sancto, ab initio orbis vsque ad finem contulerit. Hæc enim & similia sunt propria capitalis, absoluti, perfecti, consummatiui Sacrificij, & Sacerdotis, hostiæque redimentis ac vniuersum orbem recõciliantis. Hæc autem omnia Hebræi tempore Apostolorum Iudaïzantes, si sibi ac suæ sectæ consentanea dicerent, confiteri deberẽt quadrare in sua sacrificia. Nam non esset consummatio per Leuiticum ordinem, nisi haberet illa Lex tale sacrificium, talem hostiam, talem sacerdotem qualem descripsimus. Proinde Paulus apertis argumentis docet, consummatiuum Sacrificium in ordine Leuitico esse non posse. Eiusq; ediuersò propositio est, Christum vnum & solum, vna & sola hostia sui Corporis, vnica & sola actione sacrificali, id est, morte sua assecutum illud, quod innumeri sacerdotes Aaronici, infinitis pecoribus, si-

Propositio Pauli.

ne in-

ne intermissione repetitis oblationibus, nunquam sint consecuti.

Prosequitur autem ista pulcherrima demonstratione, quæ docet, omnia in Lege fuisse infirma & inualida, ad eam potentem, absolutam, generalem remissionem & persolutionẽ quã requirimus. idque partim probat à personis sacerdotum, partim à rebus oblatis, partim ab ipso sacrificij opere. Nam in his maximè tribus constituit antithesin inter ea quæ Christus in morte pro peccatis tollendis gessit, & ea quæ vetus Lex ad eundem finem contulit: docens quidem ex personarum comparatione, Christum solum ad tam eminens munus fuisse idoneum, siue eius typum in Melchisedec respicias, qui longè omnibus antecelluit Legis Naturæ sacerdotibus, & Aaronem quoque omnemque eius successionem, & tempore & dignitate, & benedictione data, & oblatione accepta anteuertit: siue eius vocationem ac singularem præ omnibus alijs sacerdotibus inunctionem, qua sic fuit Sp. sancto corporaliter abundè perfusus, vt nullus vnquam Aaronicus tam copiosè fuerit vel oleo corporali delinitus. Cuius functionis firmitas, durabilitas, immutabilitas, tam in seipso, quàm in sua Ecclesia, tanta fuisse perspicitur, vt super eum solum Pater iurauerit sine pœnitentia, quòd esset Sacerdos in æternum Vnde Hierony. dicit, *Christi & Ecclesiæ Sacerdotium in præteritum & in futurum æternum fore.* Iam verò quod ad reliquas conditiones eius personæ attinet, quæ deberet hoc tam excellens officium apud Deum obire, vt ipsi suo opere ac merito reconciliet genus nostrum, totiusque peccari imperium, ac damnationis generale vinculum sua potentia deleat, admirabili sapiẽtia differit cõtra Hebræos, ista non posse præstari à turba sacerdotum communiũ, in quibus nullus est qui non sit ipse peccator, habeatque quod pro se agat; tantum abest, vt pro vniuerso orbe, sacrificando faciat satis. At ex altera parte Christum Dominum Sacerdotem nostrum innocentem, impollutum, segregatum à peccatoribus, non habentem necessitatem pro se primùm offerendi, deinde

Sacerdotes.

Epist. ad Euagrium.

 pro po-

pro populo. imò quia is qui consummatiuũ Sacrificium facere debet, sit necessariò constituendus medius inter Deũ & hominem: hunc redimentẽ ac consummantẽ Sacerdotẽ nõ esse merum hominẽ, sed mortalibus omnibus, Angelis, ipsisque cœlis celsiorẽ: qui in ipsum cœlũ & internũ habeat imperiũ: nec sua ipsius morte, sicut Aaronici, à redemptionis officio excludatur; sed quia per Resurrectionẽ viuit in æternũ, sempiternũ habeat Sacerdotium. Quę omnia quia ad illum vnicum singularem Sacerdotem, quem requirimus pertinent, nec in vno vel in omnibus Iudæorum sacrificis reperiri poterant (non enim in pluribus, sed in vno tanta præeminentia collocari potest) consequens est, non apud illos, sed apud nos tantùm illum principalem Sacerdotem existere. Similem deinde antithesin instituit inter ipsas hostias Legis & vnicam Christi victimã demonstrans illas fuisse in taurorum, vitulorũ, hircorũ, ouium sanguine positas, per quas res contemptibiles, abiectas per se & viles, impossibile esse vt peccata remittantur, aut vt pro pretio humanę animę reputẽtur. Nostrum propterea Pontificem nulla bruta aut inanimi creatura, nullo alieno, infirmo, aut peccabili cruore, sed suo proprio Sanguine fuso, & deposita anima, orbis terrarum peccata potenter expiasse. Quæ vnica hostia erat digna in se, per quam transactio generalis super peccatis totius mundi fieret. Postremò quod ad ipsam actionem attinet, quam noster Sacerdos exercuit dum sacrificaret suam vnicam hostiam, docet illud genus operis ac officij in Deum fuisse tam immensæ charitatis, tam excelsi meriti, tam potentis satisfactionis pœnalis, tam omnibus numeris sufficiẽtis Redemptionis plenum, vt frustra repetitionem eiusdem operis desideres. ac proinde ipsum semel mortuum, semel ingressum in Sancta, sua vnica nece æternùm sanctificatos consummasse. Aaronicos contra infinities acta agere, easdem specie hostias consimili semper actione indesinenter offerre, & ipsa continua repetitione conuinci singulas esse inualidas, cùm nec vniuersis id vnquam sint assecuti, vt cultores à

Hostiæ.

Oblationes.

res à peccato prorsus immunes essent, aut à sacrificando quiescerent.

Sed obijciet aliquis, ab Hebræis Paulo responderi posse, propterea non cessatum esse, quia noua peccata indies perpetrata tam à populo, quàm à sacerdote, indigebant nouis sacrificijs & remedijs: sicut & nunc in nouo Testamento, licet Sacrificium Eucharistiæ purget ac remittat peccatum, tamen propter quotidianos posteriores lapsus in hac infirmitate humana nos ordinatione diuina prçstò habere quotidianū Sacrificium propitiatorium; neq; id cessaturū vnquā, quandiu peccatis aūt pœnis obnoxij simus. Respōdetur: Pauli argumentum semper valere in eo Sacrificij genere de quo ipse disserit, & in quo Iudæi falsò finxerunt sua sacrificia posita esse. Si enim ea fuissent cōsummatiua, & redemptiua (liceat hîc talibus vocabulis vti) tum cessassent, quia absoluissent omnia quæ ad omnium peccatorum exsolutionem pertinuissent.

Ad scrupulos.

Paulus loquitur de consummatiuo Sacrificio.

Sed adhuc non conquiescit animus, cùm Paulus porrò videatur dicere, nullum fore peccatum reliquum, si illorum sacrificia valerent ad perfectam remissionem; quæ tamen si habuissent eandem efficaciam quam Iudæi finxerunt, & quam Apostolus verè tribuit soli Passioni Christi, non propterea sequeretur, omne peccatum absorbendum esse, ita vt nulla imposterum in hominibus semel mundatis posset esse nouæ vllius culpæ conscientia. sicut nunc cùm Christi mors, omnium fidelium confessione, sit Sacrificium perfectissimum, & in eodem genere quod quærimus, tamen adhuc homines habent conscientiam peccati. Quare igitur dicit Paulus: *Alioquin cessassent offerri, quia nullam haberent vltrà conscientiam peccati cultores semel mundati*, cùm nullum sit tale sacrificium, nec ab ipso Christo peractum? Respondetur: primùm, ex hoc loco pulcherrimè constare, non aliter sequi, nullum fore sacrificium, post peractum semel consummatiuum Sacrificium, quàm nullum fore peccatum, eodem Sacrificio peracto. Nam Apostolus nō cōcludit cessationē sacrificiorū aut oblationum

Cap. 10.

Nota.

nisi ex

nisi ex sublato omni peccato, id est, ex habita plena remissiõe. *Vbi enim*(inquit)*horum est remissio, iam non est oblatio pro peccatis.* Sed Hæretici ipsi non possunt negare, quin peccatũ adhuc existat in omnibus & remissione indigeat: ergo licet facta sit redemptio in Sacrificio plenissimo, tamẽ potest esse locus oblationi & Sacrificio. Ex quo sequitur, non omne sacrificium tolli consummatiuo Sacrificio per rationem Apostoli, sed generale & absolutum tantummodo: quia non erit locus neque vsus alicuius generalis remedij aut pretij pro peccatis, postquam iam pro ijsdem vniuersis & singulis remittendis sufficienter transactum sit. Secundò: quia adhuc dubium est quomodo sequatur apud Apostolum, nullam esse conscientiam peccati post consummatiuum Sacrificium: notandum, quòd id sequeretur in Iudæorum sacrificijs, licèt non sequatur ad Christi Sacrificium perfectum. In causa est, quòd illorum oblationes non solùm erant generales, vt ipsi fingebãt, absolutæ remissionis causæ, sed etiam erant in particulari accommodantes ac per se applicantes singulis & vniuersis eam vim quam habebant. Vnde eueniret necessariò, cùm eadem sacrificia essent & sufficientia & efficientia, vt prorsus nullam cõscientiam aut maculam peccati in cultoribus reliquissent. Sicut nunc, si Christi mors tum cùm fieret, applicuisset per se particulariter eã vtilitatem, quã in generali per modum sufficientiæ continet, nullum prorsus haberemus peccatum, nec amplius esset opus Sacrificio. Sed Sacrificium Crucis erat tantùm generale poculum seu medicamentum vniuersale in communi propositum (sicut August. docet libel. artic. falsò imposit. art. 1.) in se non retinens actualem applicationem ad particulares vsus, hoc est, nõ habens efficientiam præsentem eius rei ad quam est per se potens; sed eam per varia Sacramẽta, Sacrificia, & opera nostra distribuẽs. Ex quibus facilè videmus, quòd Iudæorum errore rectè cõuincat Paulus cessationem suorum sacrificiorũ vnà cum ipsis peccatis: & tamen ex quantauis potẽtia & efficacia Sacrificij Crucis non statim sequi actualem purgationem in particulari omnium

Cur valeat apud Iudæos & non in Christo.

Aug. ſto Prosper.

nium peccatorum, nec certè cessationem ab omni Sacrificio. Quinquam illud sequitur, cum tandem simpliciter cessandum esse ab omni Sacrificio cuiusuis generis, ac ab omni prorsus oblatione externa, quando totum illud sufficiens pretium generalis Redemptionis fuerit particulariter insumptum ac ad omnes per mortem Christi sanctificandos applicatum. Sicut enim si Iudæorum sacrificia fuissent simul & sufficientia ac efficientia plenæ perfectæque redemptionis, nec ab vllo alio sacrificio dependissent pro consecutione sui effectus, nullum reliquisse it locum au' vlterius peccādi, aut posterius sacrificandi, aut amplius satisfaciendi, cùm per ea sola omnes statim admitterentur in cœlum: ita certè postquam Christi generale ac sufficiēs Sacrificium fuerit semel applicatum omnibus sanctificandis, tunc nullius peccati ampliùs recordabitur Deus, sed perfectissima erit remissio, qua habita, nulla extabit oblatio nec nostri, nec Iudæorum, nec vllius alterius externi sacrificij. Nec aliud quicquam dixit Apostolus cap. 10. quando ait: *Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccatis.* Erit autem tum tandem illa plena remissio quæ est effectus proprius Passionis Dominicæ, hominem totum animo & corpore à plaga peccati vindicans ac perfectum reddens, quando tradiderit Filius regnum Deo Patri, & posuerit omnes inimicos suos scabellum pedū suorum. quod non fecit Passione adhuc currēte, aut statim post Passionem (licèt in generali & sufficienti causa id totum tum meruerit) *sed expectat* (inquit Apostolus) *de cætero donec ponantur inimici sui, &c.* Qui status beatissimus rerum appellatur à Paulo *Nouum Testamentum*, quia proprius effectus est gratiæ noui Testamenti, vacabitq; oblatione pro peccatis, carebit Sacramentis & doctrina & reliquis huius vitæ quibus colitur Deus mortalibus officijs. Hunc enim putamus esse sensum eius diuinissimi loci Apostoli, vbi hæc omnia simul complectitur, *Vna oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos*, & in ea hominum consummatione cōtestatum esse Spiritum sanctum, fore, vt dentur Legis Dei in cordibus hominum & in

Quando cessabit omnis oblatio.

1. Cor. 15.

Heb. 10.

Heb. 8.

mentibus eorum superscribantur, nec vlterius iam se recordaturum peccatorum, & ex consequente nullam deinceps futuram ad peccata dimittenda oblationem.

Sed replicabit hîc aduersarius Hæreticus, hæc quoq; efficere non minus contra Sacrificium Missę, cùm illud cõsimili planè antithesi Sacrificio crucis contraponi possit. Sicut enim illa Leuitica non consummabant: ita neque ista Ecclesiastica absoluunt, consummant, redimunt, exhauriunt peccata, aperiunt cœlum, aut totum hominem in sempiternũ perficiunt. Quare si Pauli comparatio & omnis ratiocinatio quicquã valeat contra sacrificia Legis, certè vt Sacrificia Ecclesiastica similiter euertat, est necesse. Responsio ad hanc cauillationẽ multum lucis adferet toti causæ & disputationi Paulinæ. Notandum igitur primùm, non esse denegandum, quin oppositio penè similis possit constitui inter ipsam oblationem Cœnæ & oblationem Crucis, cùm certum sit, illa esse diuersi generis, vnum scilicet absolutum Sacrificiũ ac independens, alterũ commemoratiuum & significatiuum, sicut sacrificia Iudaica. Ex qua differentia omnis reliqua oppositio procederet, nisi illa exacta vnitas hostiæ vtriusq; Sacrificij & reliqua similitudo, quam declarauimus, faceret ne omnibus numeris tam perfecta sit antithesis. Secundò notandum, non esse eam antithesin institutam ab Apostolo inter sacrificia vetera, & vnicum Sacrificium Crucis in eum finem, vt altera pars collata probaretur non existere, vel non verè esse quod dicitur. Non enim sic argumentari voluit Paulus: Sacrificium Crucis est illud vnicum quo omnia sunt remissa & consummata: ergo non debebat esse sacrificium in Lege. Vel sic: ergo Legis sacrificia non fuerunt vera sacrificia. quomodo Hæretici falso fingunt, ab assertione sacrificij Passionis tolli illud quocum comparatur. Confert quidem Apostolus Sacrificium mortis ad sacrificia Legis, sed non ex eo vult efficere, vt illa sacrificia non fuerint: cùm comparatio non versetur circa alterutrius existentiam, vel non existentiam, sed circa vim, efficaciam, dependentiam, & differentem

Cur non æque valeat contra Sacrificium Missæ.

rentem

rentem modum vnius ab altero, & excellentiam vnius præ altero. Quamobrem etsi accipiatur Sacrificium Eucharisticum in antithesis alteram partem, & Sacrificio Crucis conferatur: tamen non erit quæstio de existentia, vtrùm consistat Missæ veritas cũ Sacrificio Crucis cui confertur; sed quęstio erit tantummodo, Vtrùm vim omnem nõ capiat à Sacrificio Crucis, vtrùm ab ipso nõ depẽdeat, an per se absolutè sine respectu ad Crucem peccata dimittat, an sit illud vnicũ Sacrificium quo ꝑ Orbis peccatis omnibus est satisfactum. Nam si hoc argumentum Hæreticorum valeret, Christus vnica oblatione consummauit omnes sanctificatos, ergo nullum est aliud Sacrificium necessarium: profectò tolleret veritatem omniũ aliorum sacrificiorũ ante Passionem, non minùs quàm nostrorum post Passionem, cùm omnes Patres sint sanctificati ex illa eâdem oblatione. quod Paulus in ipsa collatione non conticuit, apertè instituens antithesin inter mortem Christi & sacrificia vetera, non quatenus iam cessarunt, sed inter illam & omnia sacrificia ab origine mundi etiam tum, quando extiterunt, & ex Dei mandato viguerunt. *Alioquin* (inquit) *oporteret eum frequenter Pati ab origine mundi.* & ibidem cap. 8. Mortem Christi fuisse etiam *propter Redemptionem earum præuaricationum quæ erant sub priori Testamento.* Vbi nemo tam insanit vt exponat, Apostolum Sacrificium Crucis ad omnia illa vetera, & Naturæ, & Legis, sic comparasse, vt ad constituendum illud vnicum, reliqua vniuersa nulla fuisse sacrificia iudicauerit. Imò illud contrà in hac re, ne Hæreticorum vel ignorantia vel versutia capiatis, obseruandum est, sacrificia Iudaica ne tum quidem, cum per mortem Christi sublata sunt, propterea corruisse quia sacrificia erant, aut quia non poterant sacrificia consistere cum Sacrificio Crucis, aut quia ibi non erat necessarium sacrificium vbi Passio vim suam exercuerat, cùm illis quoque vigentibus, Passionis virtus nullo loco exclusa fuerit. Nam Christi Sacerdotium (teste Hieronymo ad Euagrium) fuit æternum etiam respectu priorũ seculorum.

Nota. | Heb. 9.

Non ergo quia sacrificia erant, cessarunt: aut quia multa cum vno vel peracto vel peragendo consistere non poterant; sed solùm sicut cætera Sacra, Sacramēta, & Cæremoniæ propter adiunctam conditionem significationis futuræ Passionis. qui modus significandi non quadrabat, vbi id præterijt quod ipsa innuebant futurum. Hac (inquam) de causa, & propter rerum ipsarum quæ offerebantur vilitatem & infirmitatem nō tam cessarunt, quàm melioribus Sacris cesserunt.

Ex his omnibus liquet, Paulum non disputasse simpliciter contra sacrificia Iudaica, nec cōtra numerum sacerdotum, nec repetitionem oblationum, sed tantùm ex his cōditionibus cōtra Iudæos disputasse, illa eorum non fuisse sacrificia independentia, absoluta, & per se cōsummatiua. Proinde si in Christianis quisquam esset eo errore imbutus, vt opinaretur Sacrificium Missæ esse absolutum & independens Sacrificium, nec referendum ad sacrificiorum vnicum fontem, mortem Dominicam, ijsdem penè Pauli argumentis refutandus esset, vtut nostrum aliàs infinitis nominibus illorum sacrificijs præstet. Sed nemo vnquam mortalium post lucem Euangelij imbutus ea falsa persuasione legitur, vt crederet, sacrificiū Eucharistię non dependēre à Passione Dominica. Diuina enim prouidentia factum est illud, vt cùm cætera Sacra ac Sacramenta omnia nouæ Legis haberent expressa signa Passionis & Crucis, tum maximè Sacrificium hoc nec institueretur, nec fieret, nisi apertissimis & verbis & actionibus mortem Domini planè exhibentibus.

Denique quod communissimè in hoc argumento tractando Aduersarij hîc etiam clamitant, Christi Passionem nō fuisse satis copiosam Redemptionem, nec per se sufficientem ad peccata mundi tollenda, si aliud subsidiarium Sacrificium comminiscamur: friuolum est, & non minùs valet contra omnia Sacramenta, & omnia opera, ipsamq; fidem Christianam quibus ad nos deducimus ac applicamus thesaurum illum immēsum Redemptionis nostræ. Sinant nos isti apprehendere per Sacri-

ficium diuinissimum à Christo institutum Passionem Seruatoris, cuius beneficium omne à se falsa Speciali conficta fide, vanissimo spectro, apprehendi gloriantur. Vt ergo semel finiam,& vt infinitæ perfidiæ, apostasiæ, planeque abominationis desolationis,ab hostibus Religionis,in loco sancto, hoc argumento signum erectum intelligas, obserua & obstupesce, nihil esse in omni hæresi stultius,nihil in Atheismo horribili*, nihil ad omnem impietatem potẽtius,quàm per ipsam Passionem Domini,qua sola omnis Religio & rectus Dei cultus cõtinetur,summum & vnicum soliquc deo & semper ex ipsa Naturæ Lege proprium ac debitum cultum sublatum esse,impiè velle prætexere. Et de his hactenus.

De vsu Eucharistiæ,& sacramenti & sacrificij, deinceps dicendum esse; & quo ordine.

CAP. XXIIII.

HIc locus & tractationis ordo postulat, vt postquam de magni Mysterij ratione ac substãtia satis disputatum est, de eius quoque vsu, fructu, fine, & his coniunctis rebus eò breuius dicimus,quò minùs in hac parte Hæretici (contra quos hæc disputatio instituta est)versantur:aut quia si quid hîc quoque impediant, facilè ex superioribus reprimi possunt: & quò magis hîc Catholici catechistæ elaborarunt, qui nihil penè prętermiserunt eorum quæ in hoc argumento homini aut Pastori Christiano scitu necessaria esse videantur. Nos ergo abstrusiora quæque & ad hæresin expugnandam commodiora tantùm consectabimur. Et quia omnis quæstio de Eucharistia duplex est,vna Sacrificij, altera Sacramenti, sicut superiori disputatione de vtroque seorsim egimus, ita quoq; hic tractatio vtriusque licet sæpe permixta est tamẽ quodammodo diuersa. Ordo verò disciplinæ hîc erit alius. Nam illic, propterea quòd Sacramenti ratio erat nobis notior quã Sacrificij,de illo priùs, de hoc posteriùs dicendum fuit, licet natura reque ipsa Sacrificium Sacramento præexistat.Nam qui faciunt sacrificationẽ

CAP. XXV.

VSvs igitur Sacrificij, ficut cæterarum ferè rerum quę actione & motu fiunt, atq; tranfeunt, à fine propter quem inftituitur, non differt: vt hîc quæftio de vfu, explicatione finium determinetur. In rebus verò ftabili fubftantia confiftentibus, vfus planè diftinguitur à rebus ipfis. Eft enim applicatio rei antè exiftentis ad varios fines, quomodo Communio eft aliud quàm Euchariftiæ fubftantia & pofterius quiddã quo accommodatur ad perfonę fufcipientis vfum: cùm Sacrificium actione, qua fit, trãfiens, eodem momẽto & motu quo peragitur, applicetur etiã ad omnes vfus inftitutiõis fuæ. Nam pofterior illa participatio corporalis totius rei facrificatę vel alicui⁹ particulæ in cõmunione, licet fit vlterior quædã quafi infemptio Sacrificij, tamẽ illa actio propriè pertinet ad Sacramẽtũ. Hoftia enim relicta à facrificio hominibus applicãda fæpiffimè habet rationẽ & effectũ Sacramenti: ita tamẽ, vt in hoc Myfterio vis facrificalis ac efficacia facramentalis valde coniunctę videantur & indifferenter ad vnum effectum producendum excellenter cõcurrere. Neq; enim mihi perfuadere poffum, quin illa conditio hoftiæ, huic foli Sacramento nũc annexa (nam in Lege plura fimilia erant) tribuat ipfi aliquid fingulare præ omnibus alijs Sacramentis. Vt, cùm hîc Chrifti Sanguis & Caro applicentur fumentibus vt Sacramentum, gratiam quidem eis conferant: tamen vt facramentum etiam, magis fingulariter id præftant, quia funt *Caro & Sanguis facrificij*, ficut Auguft. lib. 4. de Trinit. cap. 14. & alibi appellat: quomodo rectè etiam dixeris hoc fingulare myfterium, *Sacramentum Sacrificij*.

Ad rem ergo vt reuertamur, vfus noftri Sacrificij idem eft qui & omnium cæterorum facrificiorum vbicunq; rectè inftitutorum, idemque qui fingebatur omnium falforum gentilitiorum facrificiorum. Prorfus enim tam latè patet vfus huius vnius, quàm reliquorum vniuerforum: cùm ad quofcunque fines illorum aliquod referretur, ad eofdem planè omnes hoc noftrum iuftiffimè accommodetur. Iftud his rationibus demon-

demonstrabis: si doceas ex priori libro, esse verum sacrificium; si deinde probes, nullum nunc existere aliud, hocque vnicum successisse omnib' omnium generum sacrificijs, hoc nimirum esse nostrum iuge Sacrificium, hoc esse matutinum & vespertinum, hoc esse immaculatum, hoc libamen, hoc victimã, hoc holocaustum, hoc pacificum, hoc Pascha, hoc Pro peccato, hoc deniq; esse instar omnium & loco omnium. Quod passim Auctores superius allegati confirmant, maximè Aug. lib. 17. de Ciuit. Dei ca 20. & D. Leo ser. 8 de Passione, his verbis: *Carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum vna Corporis & Sanguinis tui implet oblatio.* Et Ecclesia in quadã Liturgica oratione, *Deus qui legalium hostiarum differẽtias vnius Sacrificij perfectione sanxisti, &c.* Ex quibus sequitur, ad eos effectus Missam institutam, ad quos illorum quodlibet accommodari potuit aut solebat. Quod adhuc magis confirmatur quod hoc nostrum Sacrificium idem sit cum ipsa Passione Dominica, eius actionem mirabiliter imitans, & hostiam prorsus eandem continẽs; proptereaque ad eos omnes fines applicandum, ad quos Sacrificium Crucis generali sufficientia Dei voluntate determinata valere comprobatur. quod solum cùm omnibus officijs humanis in Deum, omnibusque necessitatibus corporalibus & spiritualibus abundè sufficiat, vt ad eadem quoque vniuersa Ecclesiasticum Sacrificium valeat & accommodetur, est omnino consentaneum.

Aug. Leo.

Dominica 7. post Pentecost.

Latria cultus præstantissimus exhibetur Deo per hoc Sacrificium: fauentibus bonis omnibus, impijs autem cum Dæmonibus inuidentibus.

CAP. XXVI.

ET vt singillatim dicamus, primus ac proprius Sacrificij vsus est externa exhibitio cultus, nominis Diuini sanctificatio & glorificatio, beneficiorum eius ampla recordatio, eius in nos supremi Dominij agnitio, & naturæ ab eo acceptæ quasi quotidianum tributum & pensio, illaque Deo soli debita

debita inuocatio & peculiaris honor, quem Ecclesiastici Scriptores verbo *Latria* exprimunt. Quem vsum tùm cęterorum, tùm maximè nostri Sacrificij innuebat Psalmista Psal. 28 dicens: *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius, tollite hostias, adorate Deum in aula sancta eius.* Et Psal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem Salutaris accipiam & nomen Domini inuocabo.* Et Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* & Malachias magnum fore nomen Domini ex Sacrificio Gentium prędixit. Vnde factum est, vt omne sacrificium licet propter aliam adiunctam conditionem vocetur propitiatorium vel aliquid aliud: tamen semper sit eucharisticum, ac laudis sacrificium, cùm cultus Dei sit magis propriè & primariè annexus cuilibet sacrificio, quàm quiduis aliud specialiter pro hominis bono ex eodē officio intentum. Hic ergo vsus à nullo sacrificio excluditur, nec absoluto, quale fuit Christi in Cruce; nec commemoratiuo, qualia fuerunt alia post peccatum omnia; nec ab ipsis sacrificijs status innocentiæ, si in eo vlla fuissent. Quem totum locum de primario Sacrificij vsu, ita variè & eleganter tractat multis in locis Augustinus, vt ea breuiter commemorare libeat.

Psal. 28. Psal. 115. Ps. 49. Mal. 1. Aug.

Docet enim propter hunc vsum honoris Dæmones præ omnibus alijs officijs ita hoc expetere incredibiliter, ita illud inuidere Deo, vt nihil tentarint frequentiùs, quàm vt vel sibi illud attribui, vel prorsus tolli curarent. Sic maximè Epist. 49. ad Deogratias, quæst. 3. Idem declarat hunc vsum effecisse, ne Sancti vlli vel homines vel Angeli aut hoc officium à mortalibus expetant, aut oblatum acceptent. Præcipueq; istud in nostro Sacrificio vero & singulari ab Ecclesiæ praxi ostēdit, nunquam illud fuisse oblatum homini vel angelo. Sic ait lib 8. de Ciu. cap. vltimo. *Quis audiuit aliquando fidelium sacerdotem stantem ad Altare, etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumq; cōstructum, dicere in precibus, offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum Memorias offeratur? Non enim ista esse Sacrificia Martyrum nouit, qui nouit vnum quod Deo*

Hhhh *illic of-*

illic offertur Sacrificium Christianorum,&c. Rursus ex hoc vsu docet lib.10.cap.5. nulla nec adulatione mortalium eò deuētum esse, vt Sacrificia vel ijs Tyrannis, qui aliàs pro Dijs haberi voluerunt, fierēt. Epistola verò iam commemorata, & sæpe aliâs, ostendit etiam, nec Deum quidem indigere hoc nostro officio laudis aut gratiarum actionis, sed hæc illi fieri ad illorum tantùm qui tribuunt commoditatem. Postremò propter hunc sacrificalem honorem asserendum, refutat eos qui volebant hæc externa Sacrificia Deo non esse honorifica, sed sola interna. Extat pulcher locus lib.10.de ciu.Dei cap.19. *Qui autem putant* (inquit) *visibilia sacrificia Dijs alijs potiùs congruere, illi verò tanquam inuisibili inuisibilia, maiori ac meliori maiora atque meliora, qualia sunt puræ mentis & bonæ voluntatis officia, profectò nesciunt, hæc ita esse signa illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum.* pulchrè prosequens, omnes iustas creaturas omnibus modis vitasse, propter adiunctum cultum, ne hæc etiam externa sacrificia sibi exhiberentur. Ex quibus omnibus liquet, summam seruitutem singularemque cultum Dei sic esse in hoc Sacrificio positum, vt eo vnico obsequio humano plus colatur, honoretur, rectiùs & vtiliùs inuocetur, quàm alio vllo externo vel Sacramentorum, vel operum nostrorum, ieiuniorum, eleemosynarum, aut quarumcunque aliarum rerum officio, quod à mortalibus ad eius venerationem proficisci potest. Missam itaque nostram, quæ omnibus alijs sacramentis incomparabiliter antecellit; audacter dico, plus sanctificationis, laudis, ac glorificationis ad singula administrationum momenta Diuinæ Maiestati offerre, quàm ab omnibus reliquis actibus aut hominum aut angelorum prouenire queant.

Propter hoc totius cultus Christiani firmamentum & nominis Diuini singularem professionem rumpuntur cum Dæmonibus Hæretici & impij omnes, vt Lucianus, qui blasphemat, Christum Dominum meritò Cruci damnatum, quòd nouam τελετὴν inuexerit in Palæstinam, & cultum veterem immutarit. Propter eundem cultum, ne Sacrificium Ecclesiasticum

Luciani blasphemia.

cum

cum quouis loco extaret in Imperio, laborauit Apostata Iulianus, quemadmodum apud Chrysostomum in vita Iuuenci & Maximi Martyrum reperitur. Quod etiã Antichristus ad summam desolationem & ad Atheismum constituendum tandem effecturus putatur à multis. Et ita sentit Hippolytus Martyr in lib. de Antichristo, quem Hieronymus in Danielem citat: licèt alij, Ecclesia & Deo stantibus, quia hic cultus est seruitutis humanæ proprium obsequium, nũquam in vniuersum eum è mundo sublatum iri putent; qui illud totum vaticinium Danielis de auferendo iugi Sacrificio ad desolationem inuectam per Antiochum referunt. Vtcunque sit, certè vt impij & athei omnes hîc studiosissimè laborarunt, ne tali supereminenti actione daretur gloria Deo; ita contrà vt quisque sanctior ac diuini honoris magis zelator extitit, eò huius cultus desolationem tulit indigniùs, & deplorauit vehementiùs, zelo zelatus super domum Dei. Nam propter hunc cultum, conqueritur suffossa altaria Elias Reg. 3. cap. 19. Basilius, Ecclesias per Arianos vacare cultu sacrificali, quem *spiritualem* vocat, luget Epist. 70. & 72. Gregorius Nazianz. Orat. de laudibus Heronis flebiliter narrat, quomodo suo tempore inimici Domini gloriati sint in Sancto, & extulerint caput, qui oderunt nomen eius, in medio solemnitatis suæ: quomodo pedibus & pudendis membris & motibus, obscænisque cantibus in contemptum nominis Dei, quod eo loco inuocatum est, omnia liturgica vasa ipsaque altaria contaminauerint: Et (quod his etiam calamitosis tempestatibus vidimus, quodque omnem impietatem superat) ipsa Mysteria κωμῳδούμενα, id est, irrisa & in comœdias conuersa: vt in quo genere supereminens cultus constitutus esset; in eodem (proh nefas) Deus noster irrideretur. Omitto similem desolationem Diuini cultus depictam ab Optato lib. 6. contra Parmenianum. Qui plura cupit, legat Claudium de Sainctes in Præfatione ad Liturgica Græca. Nobis satis est, tractationem huius loci indicasse.

Iulian. Apostata.

Antichristus

In Dan. 9.

Elias.

Basil.

Naz.

Psal. 73.

Missa Comœdiata.

Optatus.

Ad hoc Sacrificium fiunt Conuentus fidelium propter cultum Dei, & non solùm propter communionem Sacramenti, sicut patet per alia plurima, ad quæ per Sacrificium peragenda aut impetranda, ita conueniunt.

CAP. XXVII.

EX hoc nunc primario vſu Sacrificij certũ eſt venire, quòd omnes fideles adoratum veniant ad huius potius Myſterij celebrationem, quàm ad vllum aliud Officium Eccleſiaſticum, & ſuper eo, quatenus Sacrificium eſt, & non quatenus Sacramentum propriè, collectas & cœtus Eccleſiaſticos fieri. Neque enim Sacramenti ratio poſita in Euchariſtia, ſicut nec cæterorum Sacramentorum adminiſtratio, efficit, vt populus ſtatis temporibus ad cultum externũ & ſua ſumma vota deo exhibenda religioſè concurrat. Baptiſmus enim, Pœnitentia, Sacerdotũ Conſecratio, confirmatio, & id genus alia, Chriſtianos ordinariè in vnum, Religionis ergò, non cogunt. ſed ad Sacrificium laudis & ad Calicem Salutaris reddit populus *vota ſua de die in diem*, iuxta Prophetam, *Vota mea reddam in conſpectu populi eius, in atrijs domus Domini, in medio tuî, Hieruſalem.* Vnde & fideles in veteres Teſtamento à Ciuitate ſancta remotiores, ad ſtatas Sacrificiorum ſolennitates ad Templum ſanctũ venerunt, & attulerunt hoſtias in atria eius, & *adorauerunt in loco vbi ſteterunt pedes eius*, & vbi Maieſtas ac præſentia Domini propter illud ſummum humanæ ſeruitutis ſacrificale obſequium, ſe expreſſerat, vt auguſtior fieret Domino ibi exhibita à ſuis obſeruantia. Nam ſacrificiorum loca imaginem gerentia illius auguſtiſſimi Templi quod eſt futurum in cœlo, cùm Deus glorioſè in omnibus electis habitabit, cumq; illi erimus ſanctiſſimum & templum & ſacrificium, ſemper habuerũt maieſtatem præſentem, ſicut fuit ille terribilis locus à Iacobo Patriarcha Geneſ. 28. deſignatus ad ſacrificium, in quo verè Deus erat & Angelorum innumerabilium obſequium.

Pſal. 60. & 115.

Pſal. 131.

Sed hîc ita excellit noſtrum Sacrificium, vt vbi ad illud adoras, nõ iam adores vbi tantùm ſteterũt pedes eius, vbi externis quibuſ-

quibusdam visis ac signis gloriam suæ Maiestatis ostendit: sed prorsus ad ipsam Personam Filij Dei, corporaliter ex Sacrificio factam præsentem, ad admirabilem commoditatem cultus ipsius quem Deus à suis in nouo Testamento requirit. vt iam non tantùm in Hierusalem sit adorationis locus, sed vbique Hymnum gloriæ suę cantemus, *Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius*, vbique præsens in singulis Sacrificijs & Altaribus corporaliter ad eminentissimam latriam ab Ecclesia acceptandam. In hoc ergo Mysterio, maximeque vt est Sacrificium, positum est fundamentum omnis cultus, omnisque celebris coitionis in populo ad adorandum. Hinc ex Epist. priori ad Corinthios cap. 11. videmus statim post Ecclesiam constitutam, destinata fuisse publica ad celebrandum & cultus causa coëundum loca, nec hoc Sacramentum, sicut alia in ædibus profanis aut priuatis, seorsim ab ijs locis vbi conuentus seu collectę Christianorum fieri consueuerunt, administratum fuisse. Item ex Actis Apostolicis, *fractionem panis* (sic enim Paulus vocabat Mysterij celebrationem) fuisse causam cõuentus fidelium illius solẽnis qui fiebat iam tum vna sabbatorum, vel prima sabbathi, hoc est, die Dominico. Quod & Iustinus in fine Apologiæ. 2. factitatum narrat, cùm dicit: *Die solis cœtus vrbanorum & rusticorum omnium Christianorum fieri ad preces & sacra Mysteria.* & Cyrillus lib. 11. in Ioã. cap. 58. eàdem de causa fieri congregationes die octauo commemorat. Quo etiam tempore cùm adhuc res Ecclesiasticæ propter ministrorum paucitatem, aut alias causas, non essent satis constitutæ, numerus Sacrificiorum definiebatur numero cõuentuum, vt toties noua fierent Mysteria, quoties recens fideliũ concursus ad cultum superuenisse conspiceretur. quod omnes Liturgicę ceremoniæ ac solennes voces declarant, quæ populum præsentem nunc salutant, nunc benedicunt, nunc ad laudandum, nunc ad eleuanda corda, nunc ad comprecandum, nunc ad simul offerendum, nunc ad discedendum solenniter admonent.

Loca sacra.

Act. 20.

Dies Dominica.

Leo Ep. 79.

In quibus conuentibus licet primi Christiani sępissimè etiã

Conuentus non propter solam communionem.

communicarent omnes, cùm Religio adhuc & vitæ puritas summæ deuotioni essent coniunctæ: tamen propter communionem solam non est coitum ad Mysteria, sed nec maximè quidem propter eam, vt fallò Hæretici sentiunt: cum etiam ipsa perceptio non solùm propter Sacramentum, sed etiam ad Sacrificii, cuius causa tum conuenerant, participationem ampliorem, fieret: & postquam cessatum est à frequenti Communione, puritate & deuotione fidelium labascente, permansit tamen coëundi ad sacrificia quotidiana tam populi sanctum studium quàm Ecclesiæ præceptio: Vt vbi continua communio desierit vulgò, necessarius cultus ad adorationem & sacrificiũ non cessaret. Certè enim si tàntùm fuisset Sacramẽti ratio habita in hoc Mysterio ita concelebrãdo, nulla fuit causa cur Ecclesia suos instituerit, vt ad exordia omnium penè actionum & ad maximas quasque res siue priuatim, siue publicè gerendas, imò penè ad omnia momenta actionum profanarum & sacrarum, vota ac preces facerẽt peculiariter per huius Mysterii administrationem: Facta sunt enim antiquitus in ipsa quoq; Lege Naturæ, operum humanorum auspicia in Sacrificiis, non in Sacramentis. Sic illius obseruatio circunstantiæ quam Apostolus. 1. Cor. 10. vult omnibus Christianis actibus adiungi, vt quæcunque scilicet faciunt, in Dei gloriam & honorẽ faciant, hoc singulari laudis & gratiarum actionis genere, quod per Sacrificium exhibetur, congruentissimè constituta est. Quod propterea in ipsa etiam administratione cæterorum Sacramẽtorum omnium obseruatum est, vt eorum penè nullum esset, quod olim hoc Sacrificio non perficeretur. Hoc terminabatur Baptismus, perficiebatur Confirmatio, celebrabatur Consecratio Sacerdotum, Monachorum, Virginum, & omne munus hierarchicũ, inquit S. Dionysius in Eccles. Hierarch. de Synaxi in principio. Denique ad omnes publicas congregationes sacras, & cum ordimur quicquã, cum nouum vitæ statum ingredimur, vel de eo cogitamus quidem, cũ magistratum inimus, cum Matrimonium contrahimus, ad itinera, ad pacta cõuenta, ad De-

Eucharistia ad omnia Sacramenta.

ad Dedicationes, ad Anniuersaria, ad Natalitia & nostra & aliorum, ad omnia læta & tristia, semper hoc Sacrificium adhibendum esse, ex antiquissimis Tertulliano & Origene varijs locis perspicere licet. Proinde non miror perspicaciã quorundam Hæreticorũ, exactũ Caluinismũ sequentiũ, qui videntes, hunc generalissimũ vsum huius Mysterij ad omnes Religionis & vitæ actus præseferre quiddã aliud quàm quod positũ est in Sacraměti ratione, cùm sit applicabile ad omne illud per quod vel propter quod honoratur, laudatur, ac inuocatur Deus; contendunt cõtra socios suos Hæreticos, nedum contra Catholicos, Eucharistię actionẽ à reliquis Officijs, Sacraměntis, & ritib⁹ amouendam esse, vt quæ sit per se seiunctum Sacramentũ, ad Christianę vitę & fidei obsequia cætera non pertinens: ne hoc pacto, communi ac publico cultu, generalibusq; votis & inuocationibus in eo constitutis, videretur quiddam aliud existere, quàm merum Sacramentum, planeq; aliquid Sacrificij simile. Acutè, inquam, isti hoc esse consequens aduerterunt. Ideoque nos, quia Sacrificium est, adhibendum dicimus omnibus functionibus ac operibus nostris, quasi omnium aliorũ operũ sanctificatiuũ. Vnde Ecclesia in sancta Secreta actione sacris Quadragesimalibus diebus sic orat: *Ieiunia nostra quæsumus, Domine, hoc Sacrificio sanctifica, &c.* Quomodo etiam sæpe precatur de eleemosynis ijs maximè quæ tempore Offertorii olim donabantur Deo, vt per Sacrificium hoc sanctificatę priùs, postea pauperibus aut Ministris distribuerentur. Vnde quoque planũ est, preces etiã nostras tam illas sacrificales, quã alias quascũq;, siue pro temporalibus, siue ꝓ æternis, siue ꝓ nobis, siue ꝓ aliis, siue pro viuis, siue ꝓ defunctis, per Sacrificiũ hoc sanctificari, & exauditione dignas fieri: hocq; genus precũ quod Sacrificio iungimus, esse incomparabiliter præstantius quibuscunq; aliis priuatis aut etiam publicis orationibus, si cætera paria sint. quod Chrysostomus agnouit, quando verendo Sacrificio proposito dicit, quiduis pro defunctorũ liberatiõe nos impetraturos, Hom. 3 ad Philip. Atq; id Ecclesia ꝑ spiritũ sanctũ pulchrè perspi-

Sanctificatio precum.

Chrys.

perſpiciens, omne genus petitionis intra Miſſę fines complexa eſt. vt Auguſtinus Epiſt. 59. ad Paulinum notauit. Nihil hîc dico de prædicationis ſacro munere, quod & ipſum in antiquiſſimis Eccleſijs ſemper factum eſt inter ipſa Miſſarum ſolennia, quòd fides & probitas, quę ſunt concionum ſacrarum fines, ſæpius & potius ipſo Sacrificio quàm ſermone animis hominum ingenerentur; quodque verbum concionantis ſanctificatũ Sacrificio, gratiam & efficaciam acquirat. Vt iam Chriſtiano homini mirum eſſe non poſſit. cur potius ad huius, quàm ad aliorum Sacramentorum celebrationem ſingulis diebus cætus fidelium fiant; & cur tantopere contendant, vt ſummo mane antequam quicquam operis aggrediantur, Sacramentum hoc vel faciant, vel procurent, vel adeant & deuotè audiant: cùm in eo omnis cultus Dei vitæque noſtræ ſanctificatio indubiè conſtituatur. Et hæc quidem omnia ad vſum Sacrificiorum pertinuiſſent, etiamſi homo nunquam peccaſſet. Reliqui verò fines, de quibus nunc dicemus, acceſſerunt ad Sacrificia poſt lapſum.

Aug.

Cultus Dei in hoc Sacrificio per Commemorationem & Mortis Chriſti, & Sanctorum eius omnium.

CAP. XXVIII.

IN quibus præcipuus eſt commemoratio Mortis Domini, quæ fuit ſuo modo adiuncta omnibus ſacrificijs antiquis, ſed nunc poſt beneficium ipſum præſtitum expreſſiùs eſt mandata, & noſtro Sacrificio præ omnib' alijs ſingulariter cõnexa. Voluit enim Deus nunc non alio penè officio externo ſummè coli & adorari, quàm illius ineffabilis meriti recordatiõe quod ſuperat omnia alia in nos collata bona. qui pro ſua miſericordia omnia ſibi à nobis ſummè tribui iudicat, ſi repræſentemus illi per hoc Myſterium, verè Euchariſticum ſuum donum datum hominibus per Paſſionem Filij ſui. Eſt enim omnium diuinorum meritorum compendium, epitome vniuerſorum quę ille nobis vel per ſe in creatiõe, vel per Humanitatem Domini noſtri

Mors Chriſti.

nostri in Redemptione præstitit. Et hæc omnia pertinere ad vsum Sacrificij sanctissimi Magister apertè expressit, cum Sacrificium ipse simul existens,& instituens,& faciens dixit, *Hoc facite in meis commemorationem.* Quibus autem maximè partibus ille cultus memoriæ & recordationis suî consistat, diuinè nos docet tremenda Actio desinens in hæc verb.: *Vnde & memores Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta eiusdem Christi Filij tui tam beatæ Passionis, quàm & ab inferis Resurrectionis, & in cælos gloriosæ Ascensionis, offerimus præclaræ Maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, &c.* Et quoad cultum quidem hic ferè est vniuersus vsus Sacrificij. Mat. 26.

Illud verò hîc prætermittendum non est, quòd Sanctorum quoque memoria semper in Sacrificio hoc (teste Aug. 22. ciu. Dei, cap. 10.) locum habuit, vt ex ipsorum gloria glorificetur Deus in Sanctis suis per Filium suum, per cuius mortem ita exaltati ac beati sunt. Sic enim cultus hic noster sacrificalis in maiorem laudem ac gloriam Diuini nominis cedit, dum vnà cum Christo capite totum hoc Ecclesiæ Sanctorum per Sacrificiũ Crucis sanctificatum corpus, quasi in quodam triumpho ipsi Deo repræsentatur. Ideo, inquam, Ecclesia tota cum Christo capite vt coniunctissimum sibi corpus offertur; Augustino lib. 10. ciu. Dei. cap. 6. sic dicente: *Sacrificium Christianorum multi vnum corpus, vbi demonstratur quod in ea oblatione quam Ecclesia offert, ipsa offeratur.* quod & Chrysosto. Hom. 21. in Acta contestans: *Martyribus* (inquit) *magnus honor nominari præsente Domino, dum mors illa perficitur & horrendum Sacrificium. Maximus honor omnibus in memoria haberi, quando annunciatur horrendum Sacramentum quod pro mundo dedit seipsum Deus.* Quo tempore Sacrificij *etiam tempestiuè memoria fit eorum qui peccarũt. Sicut enim quando Regum trophæa statuuntur, vnà celebrantur quidem & quicunque victoriæ socij fuerunt; & dimittuntur vincti, vt communis sit ouatio omnium: ita Sacrificij celebratio est trophæorũ & celebrandæ victoriæ opportunum tempus.* Sic dicit ille. & plura in hanc sententiam diuinissima Hom. 25. in Matth. & Hom. 2. in Ep. 2. ad Aug. Chrysost.

 Corinth.

Corinth. explicans quomodo in omni congregatione Ecclesiæ celebretur Eucharistia ad solennem & festiuam gratulationem, atque recordationem beneficiorum toti orbi impensorum, tam in viuis, quàm in defunctis suis. de quo postea. Hinc factum est, vt Ecclesia antiqua semper curauerit nomina Episcoporum defunctorum, aliorumque etiam Deo gratorum virorum inter Sacrificij complexum referri, & sacrorum Diptychorum catalogo inscribi. Sic appellabant publicas tabulas nominum ad Missam memoratorũ, quod nos *Missale* (vt ita dicã) *Memento* appellamus. Hinc quoque inoleuit mos ille Sacrificium non faciendi in quibusdam solennioribus ieiunijs, ac pœnitentiæ & luctus temporibus; maximè apud Græcos, qui rarissimè immolabant in Quadragesima, quia Sacrificium est actus solennis festiuus, lætus, triumphũ & gloriã Christi, Sanctorũq; suorum omniũ, atq; Redemptionis nostræ lætissima beneficia perfectissimè complectens & proponens. Et hæc hactenus.

Diptycha.

Valet Sacrificium hoc pro omnibus Hominibus, sicut & Sacrificium Crucis, solis Damnatis exceptis.

CAP. XXIX.

Sed quia in Sacrificio constituitur sanctissimum quoddam commercium inter Deum & hominem, vt in Secreta Feriæ quartæ Hebdomadæ secundæ Quadragesimę habetur; & quia (vt inquit Chrysostom. Hom. 26. in Genes.) Deus pręcipit per hoc Sacrificium laudem & gratiarum actionẽ sibi fieri, non quod ea opus habeat, sed vt quicquid id lucri est, iterum ad nos redeat: constat eodem officio exhibendo nos vicissim ab illo pluribus beari bonis. De quibus nunc agendum est, vt qui sit vsus Sacrificij respectu nostri nostrarumque commoditatum, intelligamus. Et huc pertinet, vt pro quibus rebus & personis sacrificandum sit, & quid ex eo fructus rationibus fidelium obueniat, ostendamus.

Latissimè autem patet quoad nos Sacrificij vsus, omnium officiorum Religionis, eorum (inquam) quæ valent ex opere

operato. Nam cætera omnia siue sacramenta, siue sacramentalia, vel pro seipso tantùm, vel pro alio tantùm, vel pro corporaliter participantibus tantùm, vel pro præsentibus tantùm, vel pro iustis tantùm, vel pro peccatoribus tantùm, vel pro viatoribus tantùm, vel pro viuis tantùm, vel pro ijs mortuis tantùm qui adhuc desiderant beatitudinem, vel pro fidelibus tantùm efficacia sunt. Solum Sacrificiū licet non omnibus æqualiter & eodem modo, tamen his vniuersis applicatur non sine ingenti fructu. Nec est quisquā ferè cui non possit aliquo modo vtiliter accommodari, siue electorum siue etiam præscitorum, modò vel sint actu membra Christi eiusq; corporis mystici, vel in eis existat vlla potentia atque capacitas, vt inserantur ac fiant membra eiusdem.

Solis verò damnatis non videtur prorsus applicabile. Hinc Augustinus de æternùm condemnatis intelligens dixit, lib. 1. de orig. animæ cap. 9. ad Renatum: malè illum affirmasse, Sacrificia sacerdotum offerenda esse pro defunctis paruulis non baptizatis: *Cùm nemo* (inquit) *offerat Corpus Christi, nisi pro eis qui membra sint Christi.* Et postea 11. cap. docet, Pelagianos malè allegare factum Iudę Maccabæi procurantis oblationē pro defunctis peccatoribus, ad conuincendū, paruulos sine Baptismo discedētes esse sacrificiorū participes, & oblationibus sacerdotum posse saluari: cùm nō possit ostendi, Iudam pro illis peccatoribus defunctis procurasse sacrificia qui ante obitū nō erant circūcisi. *Nam si qui* (inquit) *circumcisi non fuerant, his sacrificia nō profuerunt.* Hinc Chrysostomus Hom. 3. ad Philip. *Catechumenos defunctos* (inquit) *Sacrificij solatio nō dignamur, sed omni huiusmodi auxilio destituti sunt illi.* Sic dixit. Cur autē eodē loco mox addat, eosdem catechumenos eleemosynis nōnihil refrigerari, alterius loci est. Illud potius huc pertinet, cur D. August. Enchirid. ca. 109. tradēs, sacrificādum esse pro omnibus baptizatis mortuis, tandē tamen cōcludat, oblationes sacrificiorū quibusdam etiā prodesse defunctis, *vt illorum tolerabilior fiat damnatio.* Vnde & doctis quibusdā & sanctis hominibus visus est dixisse,

De damnatis.
Aug.
2. Mac. 12.
Chrys.
Aug.

Sacrificia non esse inutilia prorsus ne ipsis quidem damnatis. quem sensum inter alios Thomas etiam Vvaldēsis secutus est. Sed id non sensisse Augustinum, vel ex ijs quæ antè attulimus perspicuum est, & hoc eodem loco signanter scripsit, *pro baptizatis defunctis omnibus* Ecclesiam offerre: indicans, pro ijs quos constat propter defectum voluntaris, vel Baptismi, vel etiam Martyrij (nam illud quoq; addidit loco commemorato ad Renatum) esse damnatos, nunquam sactificatum fuisse. Nam si quid emolumenti aut refrigerij damnatis ex Sacrificio accederet, id profectò infantibus solo sine sua culpa sacramento regenerationis carentibus, & vnico tātùm originalis peccati vinculo astrictis obueniret, magis quàm ijs, qui suæ præterea voluntatis impietate damnati sunt. Proinde rectissimè exponemus Augustinum, si dicamus, locutum eum de condemnatione ad pœnam Purgatorij temporalem. quam meritò & nō impropriè *damnationem* appellat, quomodo & ad carcerem, & ad metalla, & capitis hominem damnari latinè dicimus. licèt plærunque quasi extremum omnium pœnarū æternam mortem simpliciter *damnationem* vocemus. Ea ergo teneatur sententia, damnatis æterna morte nec ad liberationem, nec ad refrigerium, nec ad vllum temporis aut miseriarū leuamē, quicquam aut Sacrificium, aut quoduis aliud officium ordinaria lege valere posse: cùm nec ipsa, cuius beneficium spatiosissimum est, Passio Dominica, quam nostrum Sacrificiū imitatur, quicquam iuuerit tales. Quos vt prorsus inconsolabiles etiam in inferno existens Dominus, spoliaturus inferos, prætermisit. qua de re vide Augustinum Epist. *99*.

Damnatio.

His ergo miseris exceptis, valebit oblatio pro omnibus in vniuersum, quomodo & ipsa mors Domini: cum cùm hęc actio sit iugis memoria & propriè instituta ad applicationem copiosissimę Redemptionis eiusdem omnibus eis quibus vllo modo esset accommodabilis: profectò quicunque quomodolibet capaces existunt fructus Passionis Dominicæ, eis ille per hoc Sacrificium commodissimè dispēsari potest. Semper enim ex na-

tute & sufficientia Sacrificij Crucis metimur efficaciam nostri ipsum exprimentis. Pro omnibus ergo mortalibus, viatoribus & beatis, & ad beatitatē tendentibus accōmodatur. Sic Chrysostomus Hom. 26. in Matth. definiens latitudinem huius oblationis, inquit: *Sacerdos assistens Altari, pro vniuerso orbe terrarū, pro absentibus atque præsentibus, imò pro ijs qui ante nos fuerunt, & pro ijs qui postea futuri sunt, Sacrificio isto iubet nos gratias offerre.* Vides à nullo homine, non solùm qui est, sed nec ab aliquo qui ante nos fuit, aut post nos erit vsque ad finem seculi, excludi oblationis vsum. ita latitudinem Passionis per omnia insequitur.

Chrys.

Valet Sacrificium Missæ pro Defunctis, siue in Cœlo, siue in Purgatorio.

CAP. XXX.

ET vt de singulis statibus seu ordinibus hominum aliquid dicam, ipsis in cœlo Sanctis Missa est accommodabilis, nō tantùm ex eo quod paulò antè ex eodem Chrysostomo commemorauimus, *maximum scilicet esse honorem Beatis, quod vel nominentur in hoc Sacrificio, præsente Domino:* sed idem etiam ex Cypriano conuincitur, qui lib. 4. Epist. 5. dicit *nos offerre Sacrificium pro Sanctis Martyribus, quoties eorum dies anniuersaria commemoratione celebramus.* Ita ille. Ingentem capiunt indubiè illi ex hoc Sacrificio accidentariæ gloriæ accessionem, inenarrabilemque lætitiam, maiorem certè quàm ex omnibus alijs humanis bonis aut officijs: vbi & ipsi vnà cum suis corporibus sub spe resurrectionis cum Christo capite per Sacrificium sistuntur Deo.

Chrys.

Cyp.

Quòd offerendum sit deinde pro defunctis reliquis nōdum plenè absolutis, ex eo constat, quòd Crucis oblatio valuerit etiam pro eisdem; & quòd succedat sacrificijs omnibus Iudaicis quorum vnum genus erat pro peccatis mortuorum: sicut patet Maccab. lib. 2. ca. 12. consentiente Augustino lib. 1. de orig. animæ, ca. 11. Qui & sæpè docet, non posse esse otiosum, quòd

De purgatorio.

2. Mac. 12.

Aug.

De Cur. pro mor. ca. 1. & vlt. omnes fideles appetant memoriam suî fieri post mortem, aut ipsum etiam corpus deponi apud Altare Dei: quòdque Ecclesia generalissima consuetudine dederit locum in Sacrificio defunctis. illudque ab Apostolis profectum esse declarat Chrysostomus Hom. *69.* ad Pop. Antiochenū. & Damascenus ex Gregorio Nysseno ser. pro defunctis. Nec vnquam extitit aliquis ritus liturgicus aut Apostolorum, aut Patrum siue Syrorum, siue Græcorum, siue Latinorum, in quo non sit expressa commendatio defunctorū in ipsis medijs Sacrificijs. Inter Scriptores vero Tertullianus de coron. militis: *Oblationes* (inquit) *pro defunctis annua die facimus.* Cyprianus lib. 1. Ep. *9.* in pœnam peccati iubet, ne pro dormitione Gemini Faustini offeratur sacrificium. Athanasius variarum quæstionum 34. pro defunctis incruentam immolationem salutariter fieri demōstrat. Nyssenus offert Sacrificium pro sorore Macrina, in Epist. ad Olympium. Ambrosius pro fratre Satyro defuncto testatur se fraternum munus sacerdotale Sacrificium obtulisse. Idem Epist 8. admonet Faustinum, vt sororem suam non lachrymis, sed oblationibus frequentet. Item moriens iam mater Augustini petit suî memoriam frequentem teneri apud Altare, cum pretium nostrum dispensatur: & pro eius voto factum est, lib. *9.* confess. cap. 11. 12. & 13. doctissimo sanctissimoque filio per Christum solenni etiam scripto petente ab omnibus legentibus, & præsertim confratribus suis sacerdotibus, vt velint ad Altare Dei meminisse vtriusque parentis sui, Patricij & Monicæ. Pro ipso etiam Augustino oblatum est in die depositionis suæ Sacrificium, vt refert Possidonius, qui & ipse præsens fuit. Denique (omnia enim persequi longum esset) *Clamat sacerdos quotidie* (inquit Chrysostomus Hom. 41. in 1. Cor.) *inter horrenda Mysteria pro omnibus in Christo dormientibus.* Ex quibus efficitur, Sacrificium nostrum applicandum esse defunctis, & contrariam sententiam iam olim damnatam in Aërio Hæretico apud Epiphanium lib. *3.* hæres. *75.* esse traditioni Ecclesiasticæ & Scripturis aduersam.

[Margin notes: Chrys. Nyss. Damasc. — Tertul. — Cyp. — Athan. — Nyss. — Amb. — Aug. — Possid. in vita Aug. ca. 31. — Chrys. — Hæresis Aërij.]

Valet

Valet hoc Sacrificium pro viuis omnibus, bonis & malis, prædestinatis & reprobis, fidelibus & infidelibus; sed non eodem ordine pro his omnibus.

CAP. XXXI.

IAM verò de viuis omnibus, multò magis liquet ad eorum commoditates Sacrificium multipliciter offerri posse: nec quantumuis impijs, nec (quod Vviclefus contendit) ipsis pręscitis, nec (in quo multi lapsi videntur) ipsis Ethnicis, Iudæis, Hæreticis, vel Apostatis exceptis. De illis prioribus nemo potest dubitare, qui non nescit, non solùm malos, sed ipsos etiam reprobos sæpe ad Ecclesiam, hoc est corpus Christi pertinere, & nonnunquam diu in gratia existere, omnibusque bonis Ecclesiæ frui: vt propter iustam ex meritis damnationem præfinitam aut præuisam à Sacrificij aut Sacramentorum vsu repelli non possint. De infidelibus maior dubitatio existeret, nisi videremus Sacrificij potentissimo suffragio Iudęos, Paganos, atque Hæreticos plurimos ad Catholicam redire. Vnde non inanes ostenduntur esse illæ orationes, quæ in Missæ sacratissima actione pro talium liberatione fundũtur. Deinde nõ tantùm gratiæ aut vitæ æternę acquirendæ causa Sacrificia celebrantur, sed etiam pro temporalibus bonis, quę nõ modò fideles, sed & infideles à Deo obtinent. Rectè enim Onias Sacerdos Maccab. 2. cap. 3. pro salute Heliodori gentilis & sacrilegi hostiã salutarẽ obtulit, vitamq; ipsi obtinuit. Erant quoq; Spartiatæ gentiles & infideles, licet de genere Abrahæ oriundi: quorum tamen lib. 1. Maccab. cap. 12. Ionathas & Onias Sacerdotes affirmant se singulis diebus memoriam facere in sacrificijs & obseruationibus sanctis apud Templum Domini. Apostolus etiã 1. Timoth. 2. loquens de suffragijs sacrificalibus, vel de ipsa oblatione (interprete Augustino Epist. 59.) iubet illa ꝓ omnibus hominibus fieri, cuiuscũq; cõditionis: quod & ex eo efficit, quia Sacrificiũ Crucis pro omnibus factũ est. *Dedit* (inquit) *se Redemptionem pro omnibus. Ne humanæ cogitationis infirmitas* (inquit August.) *existimaret, non esse ista facienda pro ijs, à qui-*

De præscitis

De infidelibus.

2. Mac. 3.

1. Mac. 12.

1. Tim. 2.

Aug.

à quibus Ecclesia persecutionē patiebatur, cùm membra Christi etiam ex talibus essent colligenda, &c. Vbi innuere vult Apostolum, nō tantùm pro membris Christi, sed pro his, ex quibus membra Christi fieri possint, sacrificandū esse. & Ambrosi⁹ vel Prosper lib. 1. de Vocatione Gentium ca. 4. *hanc legem supplicationis ita omnium Sacerdotum & Fidelium deuotione teneri* asserit, *vt nulla pars mundi sit, in qua huiusmodi non celebrantur à populis Christianis pro omnibus hominum conditionibus.* Et Chrysostomus Hom. 6. in hunc locum, dicit hoc pręceptum Apostoli seruari in obsequio quotidiano, perpetuoque diuinæ Religionis ritu, *vt norunt* (inquit) *fideles.* Et inferiùs: *Pro gentili Rege Sacramentorum tempore oportet offerri.* Ita omnes illud, quod Paulus scripsit de *oratione*, referunt ad Sacrificium, vt pro quocūq; orare debeas, pro eodē & sacrificare tenearis. Horum enim eadem est, quoad personas obiectas, ratio Et probabiliter colligunt Catholici Scriptores recentiores, sæpe promiscuum esse in Scripturis vsum vtriusque vocabuli, sicut & *adorationis*. vt illic: *Domus mea domus orationis.* Et ibi, *Vos autem dicitis, quod Hierosolymis est locus vbi adorare oportet* pro *sacrificare* vtrobique dictum est: quia alioqui orare & adorare vbique licebat, sacrificare verò nō nisi in Templo. propter quod officium, solum Templum & locus sacrificandi propriè dicebatur *Domus dei* & *Domus orationis.* Et Apostolus. 5. Hebr. dicens, *Sacerdotis esse offerre pro se & pro populo*, putatur illum locum Leuitici ca. 16. *Sacerdos orabit pro se & pro domo sua*, expressisse. Vtut sit illud, certè oratio & oblatio vsu & effectu sunt vicinissima: cùm nemo sit omnium pro quo orare possis, quin ꝓ eodem offerre queas. Et quia passim Paulus ad Hebræos, inculcat, sacerdotibus offerendum esse tam ꝓ se, quàm pro alijs; docemur, Sacrificiorum vsum multò latius patêre, quàm Sacramentorum. quæ quidem, vt Sacramenta sunt, nunquam valent propriè nisi ijs, quibus corporaliter applicantur.

Prosper. *Chrysost.* *Oratio.* *Mat. 21.* *Io. 4.*

Dubitatio. Quia tamen hîc meritò quæri potest, quomodo dicamus Sacrificium nostrum valere etiam pro paganis Principibus & reliquis

reliquis impijs atque infidelibus hominibus, cùm Theologi scholastici ferè omnes dicant post Augustinum lib.1. de orig. animæ cap.9.& præsertim Gabriel lect.24. super Canonē, nō esse offerendum nisi pro membris Christi, saltem fide capiti coniunctis:hac de re paulò fusiùs differendum est. Nam & hęc sententia videtur vsu Ecclesiæ esse corroborata, quæ in sacro Canone tantùm *pro omnibus orthodoxis atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus* hostiam sacram suā acceptari rogat. Estq; illud præcepto Ecclesiæ consentaneum,quo vetat, & (vt iudicatur)sub peccato mortali,ne quis in Missę sacra memoria pro homine excommunicato peculiariter precetur. quod etiam si faceret,nec quicquam illi prodesset,cùm à spiritualium bonorum communione extorris sit factus, sicut infideles omnes, qui nutrimenti spiritalis influxus,scilicet vitæ,sensus,& motus ad vitaliter operandum,à capite Christo separati, omnino capaces non existunt. Et canonicæ in Sacrificio precis hac in rę simillima videtur illa diuinissima Domini oratio habita in sermone sanctæ Cœnæ Ioā.17. vbi paulò postquàm rogasset pro Petro tanquam Capite nostro, Vicario suo, non aliter quàm nos nunc pro Pontifice, statim precatur summo cum affectu pro Discipulis suis,vt seruet eos Pater, vt sanctificet eos, vt vnum faciat,vt à mundo & à malo liberet, sicut nunc in Canone, vt Ecclesiam regere, sanctificare, adunare velit Deus, per propositum Sacrificium petimus. Et addit Dominus: *Non pro eis rogo tantùm, sed pro ijs qui credituri sunt per verbum eorum in me,&c.* Vnde videri queat,excepisse eos qui non erant prędestinati,reliquosque omnes qui non erant credituri Apostolicę prædicationi. Ad hanc rem quoque extat Decretum Leonis Magni ad Anatholium de nominibus Dioscori, Iuuenalis, Eustathij, aliorumque Hæreticorum ac persecutorum ad Altare non recitandis. Ex quibus omnibus videtur, Sacrificium omnibus non esse applicabile.

Obseruandum igitur, sacram Missam nō prodesse omnibus *Solutio.* eodem modo, nec æqualiter, nec eadem ratione applicari aut

offerri pro vniuersis. Quidam sunt qui condignè merentur vt pro eis offeratur, & vt ex oblatione fructum percipiant. Pro alijs valet tanquam suffragium seu efficax quædam oratio congruè quidem, sed non per exactam iustitiam, cùm illi verè non mereantur Sacrificij fructum aut participationē. In primo ordine sunt deuoti Christiani Deoque grati, Missam vel facientes, vel procurantes, & astantes, vel coadiutores, de quibus dicitur peculiariter: *Quorū tibi fides cognita est & nota deuotio*: pro quibus tanquam hoc bono dignissimis, & ad frugem ex eo percipiendam maximè accōmodatis singulariter sacrificatur. Tales enim soli sunt, quibus in Liturgijs Græcorum clamatur, *Sancta sanctis*. solique isti videntur maximè idonei & planè digni hac oblatione, qui sunt ad ipsam communionē Mysteriorum satis dispositi. licèt posterioris conditionis homines, mali inquā Christiani, ꝓpter participiū Sacrificij nō sic peccāt, sicut ꝓpter perceptionē Sacramenti. nec Ecclesia peccat ꝓ eis offerendo, sed misericorditer ac plus quàm ꝓ eorū merito facit, & sæpe etiā ꝓ talibus plus quàm merētur, impetrat tam spiritaliū quàm temporaliū bonorū. Nam & isti licèt nō planè idonei aut digni existant, tamē sunt capaces suo modo sacrificalis fructus, & procurādo Sacrificia benefaciūt, licèt Sacrificiū immediatè & directè in tales nō agat, sed mediantibus alijs Sacramētis & cōuersionis medijs, maximeq; pœnitētia. Pro his ergo etiā tum cū cognoscuntur esse peccatores, siue occultè illi sint, siue palàm impij, offerre specialiter nō prohibemur, quin potius charitate cōpellente iubemur, quia hoc Sacrificium (vt postea fusiùs declarabimus) etiam pro peccatis est. Tertius ordo fideliū est & peccatorū, sed excommunicatorū. qui cùm alioquin sint capaces, sicut cęteri peccatores, oblationum: nūc tamē Ecclesiastica disciplina, quę sæpe arcet suos in pœnā peccati à spiritalibus bonis, redduntur per excommunicationem inhabiles. & pro talibus prohibemur offerre. Aliquando autem idem fieri vetat Ecclesia propter aliquod peccatū publicum, nonnunquam etiam remissum. Quod obseruat quoque in de-

1. Deuoti.

2. Peccatores.

Inf. cap. 33.

3. Excommunicati.

in defunctis, quibus aliàs Sacrificia prodessent, si pro eis offerre per Ecclesiæ disciplinã liceret. Notus est locus Cypriani iubentis de sententia concilij, ne quis pro dormitione Gemini Faustini Sacrificium faceret. Simile est apud Gregoriũ de quodam Monacho defuncto, qui contra Regulã aliquot nummos sibi proprios Prælato nescio detinuerat. Simile de duabus Monialibus apud eundem lib.2.dial.ca.23. quæ propter sentẽtiam Excommunicationis nõ latam, sed comminatã cùm adhuc viuerent, iam defunctæ cum pro illis oblationes fiebãt, visę sunt semper ad illam solennem vocem, *Si quis non communicat, det locum*, prodire de sepulchris & foras exire. eo miraculo ostendentes, se propter publicam loquacitatem & comminatã excommunicationem, redditas fuisse ineptas ad Sacrificia, licèt in charitate & gratia defunctę fuerint, nec per se inidoneę extiterint. Quo modo etiam cùm multi excõmunicati, antequã absoluantur, per vehementem contritionem Deo reconciliati sint, & ita ad percipiendum Sacrificij fructum accommodati, tamen propter disciplinã permissum non est, vt pro talibus adhuc specialiter offeratur. qui tamẽ etiam tum cum pro eis nominatim non offertur, capiunt nihilominus ex Sacrificio non mediocre commodum, sicut & catechumeni fideles antequã baptizentur, qui generaliter in ipso Sacrificio temporibus Chrysostomi in memoria habebantur. Vltimus ordo & remotissimus viuentium est infidelium, qui nunquã fuerunt coniuncti Christo: & Apostatarum atque Hæreticorũ, qui suo iudicio se condemnarunt & excommunicauerunt. Qui omnes indignissimi sunt hoc Sacrificio, planeq; (quantum in ipsis est) maximè incapaces & inepti vt ab illo iuuentur. Nec tamen isti sunt prorsus Sacrificij Ecclesiastici exortes, licèt nostra peculiari applicatione directa eis non accommodetur: partim quia immediatè in tales non operatur sicut in Fideles; partim quia per disciplinam Ecclesiasticam, quæ nunc posuit modum & ordinem actionibus, & intentionibus offerentium, non licet nominatim pro eis sacrificare: partim quia

Lib.1. Ep.9.

Lib.4. Dial. ca.55.

In Missa Chrys.

4. Infideles.

non offerunt cum ſacerdotibus vt Sacrificiorum comparticipes eſſe poſſint, ſed renituntur maximè; & præſertim miſerrimi Hæretici huius temporis, qui cõtrà ferè quàm vlli vnquam alii Hæretici,& ſuprà quàm Pagani ac Iudęi,ipſum quoque Sacrificium execrabili proſequuntur odio: partim deniq; ex ordine charitatis,qua iubemur *bonum facere ad omnes, ſed maximè ad domeſticos fidei.*

Gal.6.

In ſumma igitur habet Sacrificium hoc vnum peculiarem vſum in rebus fidelium, & maximè iuſtorum: quibus ſpeciali inſtitutione Chriſti, & applicatione Eccleſiæ, ac offerentium intentione per ſe directè & immediatè valet. Sed præter hoc peculiare,habet etiam mira imitatione Sacrificij Crucis, ex ſe & ex ipſo opere, ſine noſtra peculiari intentione vel accommodatione, vt ſit commune quoddam ſuffragium ac medium ad mortis Dominicæ fructum applicãdum eis omnibus in quibus illa effectum vllum quomodolibet habere queat. *Quo Sacrificio* tanquam vniuerſali cauſa *procuratur omne bonum generaliter omnibus hominibus in orbe terrarum*, vt ait Chryſoſtomus Hom.77.in Ioã.Ex qua generali efficacia & cauſalitate factum eſt,vt Eccleſia olim nominatim oraſſe putetur ꝓ Paganis Principibus: &, quòd Sacerdotes (vt ait Chryſoſtomus Hom. de Adam & Eua) *poſtularent, vt infidelibus donetur fides, vt ab idololatria & erroribus liberentur, vt Iudæis cordis velamen auferatur, vt Hæretici reſipiſcant, Schiſmatici ſpiritum charitatis accipiant.* Cuiuſmodi preces generales nunc tantummodo fundit Eccleſia in Feria ſexta Paſſionis Dominicæ. Quæ etiam eadem licet non nominatim, indirectè & occultè tamen petuntur in ſingulis Miſſis noſtris & aliarumGentium.In Iacobi Liturgia, quando oratur *pro extirpanda hæreſi*: in noſtra,quando oramus *pro pacificanda & adunanda Eccleſia*; & *vt Calix Salutaris in conſpectu diuinæ maieſtatis pro noſtra & totius mundi ſalute cum odore ſuauitatis aſcendat*: in Miſſa Baſilij & Chryſoſtomi, quando dicitur, *Amplius, Domine, memento orbis terrarum, omnium miſerere, malos fac bonos, errantes reuoca, diſperſos congrega, coaduna.*

Pro infidelibus quomodo olim & quomodo nunc.

Et poſt

Et postea, *Offerimus hanc rationabilem hostiam pro toto orbe terrarum.*

Circa præscitos verò sic operatur hoc sacrificium sicut ipsa oblatio Crucis, in quibus licèt non sortiatur effectum æternæ salutis, tamen plurima tùm temporalia bona, tùm spiritualia, quibus salui esse possent si ipsi vellent, eis impertit, & sępe peccata minuit vnde minus damnentur. Cæterùm cum de vita æterna poscenda agitur, quæ est proprius finis & fructus huius Sacrificij, eam absoluta voluntate nec per preces, nec per mortem, nec per Missam, nec per aliquod aliud suffragium præscitis petijt Dominus: cùm eius oratio & actio omnis conformis fuerit Diuinæ voluntati. Quare vt D. Thomas q. 20. 3. p. explicuit, ipse nec orauit, nec sacrificauit, pro omnibus crucifigentibus, nec pro omnibus credentibus, sed pro prædestinatis tantùm, si efficientiam salutis tanquam principalem finem omniũ operationum suarum respicias. licet voluntate signi, per quam sufficientia media omnibus ad saluationem tribuit, & Redemptionis maximè merito sufficientissimo, & Sacrificij Ecclesiastici commodissimo adiumẽto, omnes sine exceptione seruari possint. Nos autem, qui propositum beneplaciti aut iusti iudicij in prædestinatis aut damnatis non discernimus sicut Christus Dominus, eius externam præceptionem sequi tenemur, vt indifferenter pro omnibus oremus & sacrificemus.

Quomodo pro præscitis.

Si hîc porrò cupias scire, quem ordinem sequatur Ecclesia in recitãdis nominibus eorum quibus peculiariter vel sua, vel Ministrorum intentione applicat hostiam, praxis Catholicorum Sacerdotum facilè docebit, licèt aliquantùm dissimilis actioni Chrysostomi & Basilij: Vbi non solùm Sacerdos ipse, sicut modò secretè, sed etiam Diaconus clara voce nomina eorum, pro quibus offerendum erat, recitare solebat. Videlicet *pro vniuersali Papa sanctissimo Nicolao, cui det Deus longa tempora*: pro *Archiepiscopo nostro tali, cui etiam Deus det lõga tempora.* Item *pro præcipuis Patriarchis orbis terrarum*, Alexandrino, Antiocheno, Ierosolymitano: quibus etiã inclamabãt, *longa tempora.*

In Memento quomodo olim & quomodo nunc.

Deinde *pro Sacerdote offerente hac sancta munera, & toto venerabili Presbyterio administrationis Christi, & omni sacerdotali Ordine*. Tum nominabant *Imperatorem & eius palatium atque exercitum*. Deinde (inquit) *ciuitatem istam in qua habitamus; & eos qui munera sua ad Altare obtulerunt, & per quos, & pro quibus ea obtulerunt.* Deinceps *omnium circunstantium*, porrò *Eremitarum, & propter persecutiones degentium in speluncis ac cauernis terræ, & pro fide incarceratorum, Virginum item, viduarum, Monachorum, & omnium benè operātium in sancta Ecclesia, pauperumq́; patronorum, omnium denique fidelium.* Sic olim publicè. Nos eadem penè, si volumus, sicut velle debemus, in secreto memoriali obseruare possumus. Nam D. Hieronymus in 18. cap. Ezechielis reprehendit, quod cùm sua tempestate Diaconus nouo more in Sacrificio publicè recitaret populo nomina offerentium, cum significatione quantum quisque dederit, vel etiam pollicitus fuerit se daturum: *tantum obtulit illa, tantum vouit ille*; placerent sibi inde offerentes *ad plausum populi, torquente eos conscientia* peccatorum. Et rursus in 11. Ieremiæ: falsè dicit, *nunc recitantur offerentium nomina publicè, & redemptio peccatorum mutatur in laudem: nec meminerunt &c.* Sed de personis pro quibus sit offerendum, satis.

Hier.

Valet Missæ Sacrificium pro Rebus omnibus humanis, etiam Temporalibus.

CAP. XXXII.

NVNC pro quibus maximè rebus & causis humanis hoc Sacrificium offeratur aut institutum sit, videamus. Nunquam enim pro rebus externis offerimus, nisi quatenus in hominum commodis diuino beneficio concessis numerantur. Sacrificamus igitur simpliciter pro omnib᷒ rebus nostris, bonis ac malis, vel acquirendis, vel propulsandis, pro corporalibus & spiritalib᷒, temporalibus & ęternis, pro omnib᷒ animę & corporis necessitatib᷒ & nostris & aliorũ. Pro ꝓsperitate itineris & negotiorũ successu sacrificia obtulit Iacob, Genes. 28. Pro par-

Scriptura.

Pro parta victoria fecit sacrificium Melchisedec, Genes. 14. liberatus à periculo fecit sacrificium Noë, Genes. 8. Pro felici statu & pro præseruatione filiorum in gratia obtulit Iob, ca. 1. Offert Salomon per ministros Templi pro consecratione & dedicatione Domus Dei 3. Reg. 8. Lex passim præscribit sacrificia pro purgatiōe mulierū, pro partu, pro indulgētia variorū peccatorum, & pœnarum, pro mundatione à lepra, ac sanitate corporum, varijsque immunditiarum purificationibus. Tertullianus oblationis meminit pro natalitijs lib. de corona Militis. Chrysostomus, pro frugibus, pro vbertate, ac plenitudine agrorum, aërisque temperie, Hom. 21. in Acta. August. lib. 22. cap. 8. de Ciuit. Dei, & Prosper cap. 6. dimidij temporis, pro hominibus vel domibus infestatis à malignis spiritibus. Ecclesia denique sic ordinauit, vt contra hostes, bella, terrores, seditiones, schismata, Hæreses, Paganismum, persecutiones, tentationes, ciuiles aut Ecclesiasticas seditiones, pro pace orbis, pro sospitate ægrorum, pro incolumitate omnium, pro Imperijs firmandis, pro sistenda peste aut contagione siue hominum, siue animalium, peculiariter hoc Sacrificio litetur. Vbi coram Deo non est magis ridiculum, vt paupercula procuret Sacrificium pro gallina, quàm Rex pro Imperio: cùm Christiani à minimo ad maximum dicere debeant: *Pro omnibus quæ retribuisti mihi, Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Cùm nullum sit beneficium tam minutum quod ex omnibus Dei creaturis accipimus, pro quo non teneamur Deum latria colere. Sed notandum est, quòd in his omnibus externis, temporalibus, ac corporalibus bonis, de quibus & Deo cura est minor, & nostra solicitudo debet esse posterior, (res enim temporales nō cadunt per se sub meritū de condigno, nec quibuscunque officijs etiam valentibus ex opere operato certò & infallibiliter acquiruntur) Sacrificium non habet tam certum effectum, quàm habet in salutis nostræ negotijs. Pro talibus ergo offerendum est non nisi cum conditione conformitatis nostræ ad diuinam voluntatem.

Tertul. Chrys. Aug. Prosper. Ecclesia. Psal. 115.

Quoad

Quoad Spiritualia: valet pro Peccatis, etiam mortalibus; & non pro pœnis tantùm. quanquam & pro pœnis; & pro augmento gratiæ, denique pro omnibus pro quibus & Preces.

CAP. XXXIII.

IGITVR de his quæ hominum ſpiritalem vitam & beatitatem propriè concernunt, latiùs differẽdum eſt. De his enim alia ratio eſt, eaque ſunt pro quibus inprimis Sacrificia ſunt procuranda, & in quibus ſacrificij vſus maximè cernitur, ac nõ minima difficultas & pręclara cognitio exiſtit. Vbi primùm docendum eſt, quòd valeat pro peccatorum ſeu pœnarum remiſſione, purgatione, ac ſatiſfactione: tum deinceps quę beneficia gratiæ conferat. Et quia hîc Hæretici magis quàm in vlla ferè alia cauſa reſiſtunt, (hæc enim tractatio eſt coniuncta vel potius eadem cum ea quęſtione, An Miſſa ſit Sacrificium propitiatorium) antiquitatis ſenſum diligenter exquiremus.

Canon Miſſæ. Latinus ergo Canon, qui indubiè venit ab Apoſtolis, & nõ à recentioribus Pontificibus, Gelaſio, Gregorio, aut alijs, vt accuratè docet Vvaldenſis ex Iſidoro, Tom. 3. cap. 36. licèt nomina Sanctorum pro ratione temporũ quando emigrarunt plura ſint addita, non ſine exemplo aut mandato Apoſtolorum: ſicut & quędam clauſulę ſanctiſſimę. hic ergo Canon indicat pro peccatis offerri, cùm dicit: *Quam tibi offerunt hoſtiam pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ.* & antè in Offertorio: *Quam tibi offero pro innumerabilibus peccatis, & offenſionibus, & negligentijs meis.* & in Secreta ſancta Fer. 4. hebdomadę. 4. Quadrageſimę ſic orat Eccleſia: *Te rogamus, omnipotens Deus, vt his Sacrificijs peccata noſtra mundentur, quia tunc veram nobis tribuis mentis & corporis ſanitatem.* Vnde Venerabilis Beda lib. 4. hiſtor. gentis ſuę cap. 22. aſſerit miraculis comprobatum eſſe, *quòd hoc Sacrificium ſalutare valeat ad redemptionem animæ & corporis ſempiternam.* Simile habet Gregorius lib. 4. Dialog. ca. 58. *Hæc* (inquit) *ſalutaris victima ſingulariter ab æterno interitu animam ſaluat.* & probat, *quia mortem vnigeniti in nobis*

[Margin: Pro peccatis. Canon. — Beda. — Greg. P.]

nobis quotidie reparat, & pro absolutione nostra Passionē eius semper imitatur, vt qui non confiteatur Missam offerri pro peccatis, idem neget Christum mortuum esse pro peccatis. Cuius veritatis commonemur satis vel ex ipsis verbis Sacrificij, vbi dicitur: *Corpus pro nobis tradi, & Sanguinem fundi in remissionem peccatorum.* Quæ sanè clausula non additur tam ad exprimendam conditionem Sacrificij Crucis, quàm ad vsum declarandum illius actionis quæ tum in Cœna peragebatur. Vel etiam ex eo solo, quòd nostri sacerdotes non habeant aliud Sacrificiū quod possint offerre pro peccatis, cùm tamen Paulus ad Hebr. 5. generaliter tradat, *omnem Pontificem constitutum esse vt offerat dona ac Sacrificia pro peccatis.* Illud omitto, quòd Patres Græci & Latini ad 7. & 9 huius Epistolæ necessitatem quotidiani Sacrificij ostendant ex eo quòd quotidiè peccamus & indies indigemus remedio sacrificali; quod vanum esset, si ad peccatorum remissionem applicari non posset. Vide Chrysostomum Hom. 17. & Theophylactum, & reliquos in hanc Epistolam. D. Martialis Epist. ad Burdegalenses dicit, *hoc vnico remedio ex ara sanctificata fugari mortem, & vitam præstari.* Origenes Hom. 13. in Leuiticum asserit, hanc commemorationem mortis Dominicæ *facere Deum hominibus propitium.* D. Cyprianus de Cœn. Domini apertè dicit, esse expiationem peccatorum, *medicamentum & holocaustum ad infirmitates sanandas & iniquitates purgandas.* Neque hæc omnia intelligenda sunt de venialibus tantùm, licèt ea magis immediatè & directè tollat, & solùm ea, si defunctos respicias, de quibus peccatis leuioribus Augustinus dixisse videtur lib. 20. de Ciu. Dei. cap 25. & 26. *Omnem sacerdotem licèt iustiorem cæteris, tamen offerre in hac vita in peccatis pro peccatis.* & cum ait Enchirid. ca. 110. hostiam hanc *pro non valdè malis propitiationem esse.* Sicut dixit etiam Athanasius citatus à Damasceno Oratione pro defunctis, *incruentam oblationem propitiationem esse.* Sed non tantummodo (inquam) pro horum remissione valet, sed etiam pro omnibus grauissimis peccatis, cùm Patres quos commemorauimus omnino sine exceptiõe,

Mat. 26. Heb. 5. Heb. 7. 9. Chrys. Theophy. Martial. Orig. Cyp. Non pro venialibus tantum. Aug. Athan. Damas.

pro iniquitatibus, pro depellenda æterna morte, pro sempiterna redemptione, pro vita ac salute acquirenda offerri dicant; & Ecclesia oret, *vt sit ablutio scelerum*; quæ de peccatis venialibus dici nō possunt. Et Alexander primus Epist. ad omnes Orthodoxos, asserit, *crimina & peccata his Sacrificijs deleri, talibusq́; hostijs placari Deum, & crimina dimitti ingentia.* Iulius item primus, vt habetur de Consecrat. Dist. 2. cap. Omne: *Omne* (inquit) *crimen & peccatum Sacrificijs Deo oblatis deletur.* Quam Missæ salutarem operationem qui negat, is graues peccatores vno omnium remediorum prętantissimo, & vnde eis spes maxima misericordiæ existat, depriuat. Ego verò nunquam inuenio vsum huius Sacrificij à Patribus ad pauciora restringi peccata, quàm ipsa immolatio Crucis.

Alex. P.

Iulius P.

Proinde admonendi sunt peccatores omnes, etiam cùm adhuc peccandi affectū non exuerint, vel qui ex infirmitate continuò offendunt lætaliter, vt Altare tamen non deserant, sed frequentissimè Sacrificium pro remissione ac cōuersione procurent. multoque magis amici & sacerdotes pij hortandi sunt, vt tales iuuent continuis oblationibus, etiam tum cum ipsi scelere cooperti, sacrificio fortassis non delectentur. Nam melius est omnibus alijs officijs humanis, & indubiè habet clamorem validissimum tanquam ipsius Christi, & conuertit plures quàm vel ieiuniū, vel oratio, vel eleemosyna, aut quiduis aliud. Quem effectum habet etiam ex opere operato, cùm illud faciat per applicationem Passionis Christi: licèt non immediatè, quemadmodum Sacramenta, primam gratiam tribuat. Atque hîc notent cōfratres mei Sacerdotes, quibus maximè seruio, quòd sicut Deus voluit esse quędam genera oblationū pro peccatis populi & communitatis in veteri Lege: ita hoc Sacrificium à nobis diligentissimè fieri voluit inprimis pro peccatis Reipub. in quibus perpetrandis multorum solet esse cōsensio. Cuiusmodi, nunc his, nūc alijs, sæpè videmus ciuitates aut Regna, & nonnunquam familias quasi quodā graui contagio infici. Quę licèt in singulis nonnunquam tantùm sint venialia aut

leuia,

leuia, tamen in vniuerso populo grauissima apud Deum habentur,& vindicanda acerbis plagis,sicut & magnis sæpe calamitatibus propter talia Respublicas affligit. In hoc igitur genere qui optimè consultum velit communi bono,victimam sacram indesinenter adhibeat. Sacerdos enim est minister publicus inter Deum & populum tanquam Aaron constitutus; sicut Missa, id est, Liturgia, est publicum pro peccatis ministerium.Itaque væ nobis,si pro eo quòd peccata populi comedere & sacrificijs digerere deberemus, ad eorum iniquitates etiam nos ipsi animas nostras eadem perpetrando leuemus.

Ose. 4.

Ex his conuincuntur etiam ij, qui putant Sacrificia nõ pertinere ad ipsa peccata purganda, sed dici propitiatoria aut expiatoria, quia pœnas tantùm, reliquias aut immunditias ex peccato remanentes auferant aut imminuant: cùm reuera propter pœnarum tantùm exolutionem propitiatorium Sacrificium non dicatur, sed satisfactorium potius. Et apertum est, Legem ordinasse Sacrificia pro ipsarum culparum ac personarum peccãtium varietate: itemque Iob pro ipsis filiorum ac amicorum in Deum delictis obtulisse:multoq; magis Christum Dominum sacrificasse in Cruce, id est, mortuum esse pro ipsis peccatis & culparum reatu. Valuit enim eius oblatio in totum peccati dominium, eiusque effectus omnes tam quoad culpã,quàm quoad pœnam. Certè Paulus ad Hebręos, instituit comparationem noui Sacerdotij ac Sacrificij ad vetus ex ea remissione peccatorum, quam nostrum præ illo singulariter contulisse creditur, & non ex pœnarum solutione tantùm. Quæ veritas tam erat olim perspicua Patribus, vt August. lib. 4. Trin. cap. 14. scripserit, omnes qui pro se cupiunt offerri Sacrificium, id facere, *vt per illud à vitijs mundentur*. Et sancta Ephesina Synodus in hunc sensum negat Christum pro se obtulisse, qui peccatum non habebat, cui expiando Sacrificium ordinatur. Sed totam hanc causam accuratè definiuit Concil. Tridentinum Sess. 22. cap. 1. *Incruento* (inquit) *Sacrificio virtus Passionis appli-*

Non propœnis tantum.

Aug.

Con. Ephes.

Trid.

applicatur in remissionem peccatorum quæ quotidie à nobis committuntur. Quomodo autem in mortalium remissione operetur, tradit deinde cap. 2. his verbis: *Hac oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Vnde planum quoque est (quod obseruari inprimis volo) hoc Sacrificio primam gratiam tribui aut procurari, sine qua huiusmodi peccatorum non fit vnquam condonatio. Et can. 3. *Qui negat hoc Sacrificium esse propitiatorium, aut pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri, anathema sit.* Quibus verbis distinctè ponit, peccata primùm, postea pœnas, vt vtrique generi hostiam hanc applicandam esse scias.

Pro pœnis. Et quòd pro pœnis peccatorum iam antè remissorum præscito etiam valeat & offerendum sit, nemo negauit vnquam, qui non negauit esse Sacrificium: siue loquamur de ijs quas in hac vita voluntariè pro peccatis sustinere oportuit, quæ propriè satisfactiones dicuntur: siue de illis, quæ hîc, aut in Purgatorio, nobis nil agentibus, sed patientibus, à Deo irrogantur; aut nunc debentur, postea infligendæ. Ad quod totum genus debitorum soluendorum immediatè & propriè agit officium Missæ, quia per hoc Sacrificium maximè applicantur pœnæ & satisfactiones Dominicę ijs, pro quibus offertur (cùm offerre sit ad nostra debita imminuenda sistere solutionem Passionis eius) nec vllum sit Religionis opus ad redemptionis dispensationem institutum, quin hoc inprimis habeat, vt aliquam partem pœnarum debitarum pro hominibus præstet. Hoc enim & multa sacramentalia, & omnia Sacramenta, & maximè Sacrificium tanquam præ cæteris Dominicæ mortis repræsentatiuum & applicatiuum, quin & eleemosynæ, & cætera opera nostra, tanquam leuissimum & facillimũ effectum consequuntur. Et hic est effectus, propter quem tãtopere obtulit antiqua Ecclesia pro defunctis. qui licèt leuibus culpis non semper careant, tamen sępiùs & diutiùs reatu pœnarum quàm culparum detinentur. ad quarum diminutionem multum applicatione

sacræ

sacræ hostiæ præstari nō dubitamus. Vide D. Gregorium lib. 4. dialog. à 40. capite vsq; ad finem. Propter quam causam etiam fideles viuentes, remissis licèt peccatis, tam studiosi sunt Sacrificij huius, vt Altari (sicut Augustinus de matre sua scriptum reliquit lib. 9. confess. cap. 14) nullius diei prætermissione seruiant. Et tunc indubiè lachrymę ad purgationem priorum peccatorum inenarrabiliter valent plurimum, quando Dominicis Passionibus per huius Sacrificij operationem permiscentur. Pro quibus pœnis sic precamur in Sacrificio, vt Deus *nos à peccatis exuat, & à pœnis quas pro ijs meremur eripiat.* Talibusque hominibus tanquam optimè dispositis ex Sacrificio eâdem operà augetur etiam gratia, deuotio, ac feruor charitatis, variaq; Sp. sancti dona tribuuntur. Hæc enim effecta qui concedunt omnibus Sacramentis, omnibusq; humanis operibus ex charitate proficiscentibus, cur non multò æquius concedant summo Sacrificio ad omnes Passionis effectus accommodādos peculiariter instituto, non video. Vt semel finiam, sit certa regula, pro his omnibus rebus valere & offerri hostiam, pro quibus impetrandis preces, vel aliàs, vel maximè in Missa facimus. Quicquid enim in precibus voce, id in Sacrificio, ipso opere quoque geritur. Et hucusque de vsu & fructu Sacrificij ferè ex antiquitate, & Concilij præsertim Tridentini definitione.

Greg.

Pro augmēto gratiæ.

Nota.

Vnamquamque Missam non omnibus prodesse æqualiter; aliumq; ex opere operato, alium ex opere operantis habere valorem.

CAP. XXXIIII.

RELIQVA quę de valore singularum Missarum erga singulos pro quibus offeruntur, & de modo quo hæc effecta operantur, hoc loco à Theologis disseruntur, Patres sanè non attigerunt. Nunc partim hominum bonorum sancta curiositas & cura salutis, partim ipsorum sacerdotum laudabilis diligentia, vt sciant quomodo suum sanctissimum officium ad maiorem commoditatem populi exequi possint, partim

contraria hæresis posteriorum temporum effecit, vt exactius & subtiliùs exquirantur. Quanquam in hac causa non putem aliud esse scitu necessarium, quàm vt credamus, Missam offerendam pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, omnibusque necessitatibus spiritualibus & corporalibus. Tamen quia operæ pretium est, indicabo breuiter, quid mihi probabilius videatur in summa scholasticæ explicationis varietate. Nam illius disputationis omnia argumenta huc adferre laboriosum & inutile videretur.

Vt ergo valorem, pretium seu æstimationem spiritualem huius Sacrificij, vnà cum modo operationis, intelligas: obseruandū est, hęc omnia varia esse pro diuersitate personarū offerentium, seu pro quibus offertur, nonnunquam autē & ex alijs causis. Quidam sunt pro quibus offertur qui non sunt offerentes ipsi, vt infantes, & exiſtētes in Purgatorio, & viui etiam adulti (quod sæpe accidit) nescientes pro se offerri, atque deinde Ethnici, Iudæi, Hæretici, ac quidam mali Christiani etiam nolentes pro se offerri, multique alij pro quibus sæpe sacerdotes vel generali, vel speciali intētione offerunt, illis nihil agentibus nec intelligentibus. Alij sunt pro quibus offertur, qui sunt ipsi quoque offerentes: in quibus primus est Presbyter (nam de Christo summo Sacerdote semper offerente nihil dico) qui est immediatus minister & instrumentum faciendi Sacrificium. Hic enim semper simul est offerēs, & pro quo offertur, semperq; (nisi valdè indignus sit) habet potiores partes sui Sacrificij. In secundo ordine sunt illi qui inseruiunt actui sacrificali, inprimis Diaconus, Subdiaconus, cæteriq; vel ex deuotione, vel ex officio, Choro ac Altari inseruiētes, sacrificioque astātes, vel ministrū bonis suis temporalibus ad hoc officiū sustentātes, aut illū peculiariter ꝓ se sacrificare procurātes. itēq; parochiani illi quibus ex officio pastorali tenetur inseruire, & reliqui omnes qui ex singulari deuotiōe vel ad pręceptū Ecclesię implendū veniūt auditū sacrū, vel aliàs specialiter afficiūtur erga sacrū tale, etiā cum fortasse per ęgritudinē aut alias causas

Differentia offerentium.

adesse

adesse non possunt. Hos enim omnes esse offerentes, & pro quibus offertur, diuinus Canon significat, cùm dicitur: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro se suisq́ omnibus, &c.* In tertio ordine est tota Ecclesia vniuersusque populus Christianus, qui in communi offert per Sacerdotes in singulis Missis, iuxta illud Exod. 5. *Dimitte populum vt sacrificet mihi in deserto*, id est, Ecclesiam. Et ea etiam est, pro qua in singulis Sacris offerimus semper. Venit rursus ex intentione Sacerdotis magna differentia inter ipsos pro quibus offertur. Sunt enim, pro quibus, licèt nominatim, tamē generaliter tātùm sacrificatur, & nō peculiari intētione, vt pro Ecclesia vniuersali, pro Pōtifice Maximo, ꝓ Episcopo, pro Rege. Magis autē specialiter ex charitate naturali ipsi Sacerdotes ꝓ seipsis offerūt. Itē specialiùs quibusdā in *Memento* aut peculiarib⁹ orationib⁹ Sacrificiū applicare intendūt. Specialissimè verò ꝓ his offertur, qui ꝓcurant à sacerdote vt ꝓ se hoc Sacrificiū faciat.

Differentiæ eorum pro quibus offertur.

Pro his ergo omnibus differentijs, tam offerentium, quàm eorum pro quibus offertur, certum est aliquod discrimen existere, nec idem lucrum, nec eadem ratione obuenire omnibus. Nam in illo primo gradu, eorū (inquam) pro quibus offertur, sed pro se nō offerunt ipsi, nō ita Sacrificiū valet licèt boni sint, sicut in eis qui ipsi offerunt cum sacerdote. Nec tantum indignis quantum dignis, nec tantum nolentibus quantū nescientibus. Et eorū qui sunt in Purgatorio, nō tantū ijs, qui amicorū aut Ecclesię misericordia tantummodo, ipsis id peculiariter cùm viuerent nō petentibus, in memoria habētur: quātum prodest eis, qui dum viuerēt hoc officiū suis bonis cōpararunt. Rursus inter eos qui & ipsi offerentes sunt, & pro quibus offertur, alio modo & gradu prodest primario offerenti sacerdoti, aliter circunstantibus ac cæteris deuotè concurrentibus, aliter & magis ijs ꝓ quib⁹ intēdit sacrificus singulariter offerre, aliter & minus toti Ecclesię atq; ijs pro quibus ordinariè ac cōmuni pręcepto tantū offerimus, vt ꝓ Rege, Imperatore, Episcopo & cęt. Hi enim licèt nominētur in Missa, tamē nō habēt illam pecu-

peculiarem commoditatem & integrum fructum, quem alij in Missa speciali intentione commendati, aut quem ipsi haberent, si Missa (vt sæpe fit) pro ipsis peculiariter offerretur. Quẽadmodum sacerdos ipse semper in hoc quod est minister (si nõ sit in peccato mortali) habet aliquam portionem sui Sacrificij, non eam tamen quam haberet (& habet quoties id facit) si peculiariter pro seipso, aut pro suis peccatis offerret. Hæ ergo & similes differentiæ sunt ex parte personarum offerentium, vel pro quibus offertur.

Nunc verò ex parte quoque Sacrificij (vt de precibus illi actui adiunctis nihil dicam) existit varia quoque consideratio & estimationis determinatio. Valor enim eius oritur ex duobus. Primo, ex ipso per se Sacrificio: secundò, ex parte offerentis ipsum. & per *offerentem* intelligo cum Sacerdote etiam reliquos offerentes. Vt quando munus alicui pręsentamus, duo spectari solent: & ipsum donum, & animus, amor, ac voluntas donantis. Et quando donum est paruum & indignum illo cui offertur, tunc respicitur animus tribuentis, id est, ipse dator præcipuè, munus verò secundariò. Contrà autem quando donum est excellens & incomparabile, ibi superat voluntatem ipsum munus, & magis spectatur quàm animus tribuẽtis, licèt vtrunque placeat, & cõiunctim sint maioris valoris. Ita Genes. 4. respexit Dominus in sacrificio Abelis ad duo: ad Abelem primùm, tum ad munus eius. quia munus hîc erat minus per se quàm charitas offerentis. quia caro & sanguis pecudis erat res contemptibilis, & quia nõ poterat ante Christum aliquid vim habere ex opere operato per applicationem Passionis, quæ adhuc non extiterat, vt aliàs declarauimus. Proinde quòd ipsum munus sacrificij Abelis & Noë acceptaretur, pendebat illud ex fide & iustitia Patriarcharum. Nunc verò contrà, licèt sit summa gratia & charitas offerentis seu dantis, tamen non est comparabilis ipsi dono huius Sacrificij nostri considerati per se & in seipso, quod citra omnem controuersiam pluris valet ex parte operis ipsius, quàm ex parte offerentis. Quod ergo efficit ra-

Lib. de Sacramentis in genere. cap. 39.

ficit ratione ipsius Corporis Christi & actionis mysticæ circa ipsum, hoc dicitur operari *ex opere operato:* quando nimirum ipsum opus quod fit, ex Christi institutione, & non ex voluntate aut bonitate agentis efficax est, quatenus constituitur instrumentum Passionis Dominicæ applicandæ. Valdè enim errarunt, qui non intellexerunt, Sacrificium aliter operari quàm ex merito operantis. Nec potest ferri, præsertim nūc post Concilij Tridentini definitionem, vbi Missa apertè ponitur pro vno medio seu instrumento ex institutione Christi valente ad applicationem effectorum suæ mortis. Quod nisi ponamus, præter cætera absurda plurima illud sequetur, Missam nūquam fore valentem pro ijs quibus applicatur viuis vel defunctis, nisi sacerdotes & offerentes sint in gratia, atque extra peccatum mortale. itemque illud, singulare Sacrificium non alio modo valere, neque requirendum à fidelibus vt pro se celebretur, quàm ieiunium, eleemosyna, vel oratio: quorum vnumquodq; tantum valet, quanta est facientium deuotio. Nec à Christiano populo & Patribus tam præstantia vnquā iudicata aut tantopere desiderata sunt, atque hæc sancta & per se illibata Sacrificia; quorum oblatio propterea apud Malachiam *munda* dicitur, indignitate sacerdotum non conspurcabilis. Secundaria verò æstimatio Sacrificij est ex voluntate & deuotione offerentis, & hæc esse dicitur *ex opere operantis.* Est enim valor oblationis, quatenus procedit à Ministri & cæterorū vnà offerentium deuotione: ex qua parte si Sacerdos esset in peccato mortali, aut reliqui offerentes extra gratiam, non haberēt valorem vllum, cùm tamen Sacrificium ipsum ex dignitate sui operis non destitueretur valore proprio ad quoscūque effectus. Nam ex parte operis, Missa mali sacerdotis non minus valet quàm boni; nec procurata à peccatore ꝑ aliquo viuo, minus prodest eidem, quàm si offerentes essent in gratia, licèt nihil iuuerit offerentium deuotio, vel preces priuatæ coniunctæ. De publicis precibus sacrificalibus alia est ratio, quæ partim sunt vocales interpretationes eius quod geritur in opere Sacrificij, & sic ad

Mal. 1.

Missa mali Sacerdotis.

ipſum opus aliquo modo pertinent,nec alium valorem habēt. partim proficiſcuntur à miniſtro, non vt priuato, ſed vt gerit perſonam Eccleſiæ, & ſic valent ex opere Eccleſiæ operantis, quomodo & ipſum Sacrificium. Quæ ſemper cùm ſit ſancta & bona in innumeris membris ſuis, nunquam deſtituit fideles operationis ac deuotionis ſuæ beneficio. licèt multi exiſtiment, eius quoq; operationē alio & alio tempore plus minusúe eſſe valentē pro numero & menſura iuſtorū ac deuotionis eorum. Ad hanc partem valoris,quę procedit ex opere operantis,pertinet etiam Sanctorum auxilium ſiue hominum,ſiue Angelorum, plurimumque iuuat. quod Eccleſia in ſanctis Liturgicis orationib⁹ innuit,dum ſæpius orat, vt *hoſtias noſtras oratio Sanctorum*,quos eo die colimus,*proſequatur.* & aliàs,*vt interceſſione talis Sancti nobis proſit oblatio.* Quare incredibile eſt adiumentum ad hunc valorem ex opere operantis,qui eſt quaſi accidentarius ipſi Sacrificio,amplificandum,Miſſam de Sanctis facere; quorum merita vel preces huic immolationi coniuncta ineffabilem vim habent. Hæc tria ergo propriè accidentarium valorem vel maiorem,vel minorem faciunt,nimirum offerētium charitas & deuotio,ſecundò Sanctorum auxilium ſacrę actioni coniunctum,tertiò certę formulæ actionis aut precum adiunctarum ad rerum & perſonarum pro quibus ſacrificatur vtilitatem magis accommodatę. Sic pro defunctis,Miſſa & preces *de Requiem:* ad auſpicia rerum agendarum, *de Sp.ſancto:* ad gratiarum actionem, *de Trinitate:* pro peccatis hæc,pro beneficijs illa,pro iter agentibus iſta, pro pace alia,&cæt. In quibus formularum differentijs minimum momentum pono,multoque minus quàm vulgus,cui⁹ deuotio eſt ſæpè in hac re(niſi fallor) nimis delicata, adeò vt aliquoties cupiat & curet in maximis Feſtis Miſſam *de Requiem* vel de Paſſione Dominica; vnde & admoneri debent,ſi quid ſit peculiaris adiumēti ex hoc potius quàm ex illo genere(vt certè eſt aliquādo,nam cæteris paribus Officium de *Requiem* eſt vtilius defunctis,quam alterius generis quoduis) ſed ſi quid, inquam, eſt: id abundè recompenſari

Nota

celebri

celebri alicuius Festi aut Sancti memoria. In omnibus ergo istis vtut varietur, maiorque vel minor fiat valor Missę, tamen ex opere operato idem semper ex se valet.

Missa igitur valet tam ex opere ipso Sacrificij, quàm ex opere sacrificantis: & vtrinq; rursus tripliciter, per modum meriti, per satisfactionis modum, & per impetrationē. Primo modo, quia Christus meruit à Patre suo, vt per hoc Sacrificium remissionem peccatorum & gratiam consequamur, & (de congruo quidem) bona temporalia. Secundò satisfactoriè, quia valet ex Christi Passione pro debitorum ac pœnarū relictarum persolutione. Tertiò impetratoriè, quia sacrificatio est validissimum genus precis, maxima quæque ad salutem conducibilia procurans. Neque enim quod per modum suffragij operatur, ab eo distinguitur semper quod agit ex opere operato, vt quidam vitiosè partiuntur. & hoc postremo modo valet tùm pro viuis, tùm pro defunctis maximè.

Et hæc quidem omnia huc vsque ferè certa esse videntur. Sed iam peculiariùs ista & distinctius tradere si volemus, atque in certarum personarum causis certā Sacrificij æstimationem ac fructus quantitatem definire: non tam certa loquemur, quia ad ista particularia nec Scripturæ, nec Patres quicquam conferunt, nec fortassis minutiora huiusmodi in his maximis Mysterijs necessaria cognitu iudicabuntur. Quare ne curiosiores esse videamur, probabiliora tantùm apponemus, rationiq; ac fidei analogiæ magis consentanea.

Cùm Missæ valor non videatur esse infinitus, quotam quisque portionem eius acquirat: &, an non maiorem in speciali, quam in generali applicatione.

CAP. XXXV.

HIc igitur si quærat aliquis, quotam pœnę partem tollat, quantam gratiam donet quælibet Missa; & deinde, an tantam cum pro pluribus, quantam cum pro vno particulari offertur: sunt qui iudicent nihil esse discriminis, perin-

deque fore,siue pro vno,siue pro duobus, siue pro tota Ecclesia,siue pro certis hominibus offeratur: Alij verò id meritò negant. Nos hæc ad lucem rei obscurissimę adferendam, breuiter subijcimus. Primùm, Sacrificium hoc habere limitatum & definitum effectum,& non infinitum; licèt Christus ipse qui offertur sit infinitæ dignitatis. In causa illud est,quòd hic sicut existit modo sacramentali,ita offertur sacramentaliter, & non in propria specie, nec eis conditionibus quibus offerebatur in Cruce. Omnem enim gratiam effectumque sacramentalem limitauit. Quare sicut ex communione non datur omnis gratia ad quam est sufficiens Passio Christi, neque ex Baptismo totus effectus qui ex Passione acquiri possit, sed certus & definitus pro voluntate instituentis: ita indubiè opus Sacrificij habet ex se certum & circunscriptum effectum. Nam aliàs superaret ipsum Sacrificium Crucis; quod licet ex se infiniti valoris esset, tamen omnem valorem non applicauit; vbi hoc nostrum si infinitum esset, infinitatem quoque applicaret. quo vno semel facto, omnia alia officia superflua viderentur. Secundò, si pretium Missæ determinatum est, valet profectò tantùm ad certam mensuram sui effectus, applicatque Crucem ad certam quantitatem; vt sic quælibet Missa, quantum ad ipsum opus Sacrificij, vnum & determinatum gradum gratiæ donet, & certum gradum pœnæ à Dominica Passione decidat, vnde pro nobis satisfiat. Ex quo mihi videtur plusquàm probabile (hîc enim nihil definio) quòd oblatum Sacrificium pro pluribus, minus valeat singulis ex opere operato, quàm si pro vno tantùm offerretur. Nam si certam quantitatem pœnæ Dominicæ vel meriti eiusdem applicet, profectò illa inter plures dispensata, singulis erit minor. Neque cum quibusdam Theologis videtur dici posse probabiliter, quòd pro numero offerentium concurrentium, aut comprecantium, eorumúe pro quibus offertur, augeatur virtus ac valor Sacrificij. Tum enim non haberet ex ipso opere assignatum valoris gradum, sed tota res esset variabilis ac incerta ab astantium vel absentiū participum

numero

numero ac conditione dependens. quod est contra rationem omnium operum Ecclesiasticorum, quæ ex ipsa virtute actionis valent. vt in Sacramentis patet, quorum vnumquodq; certum & definitum gradum gratiæ & satisfactionis certam portionem a Dominica Passione decidit atque dispensat, cuius quisque idoneus æqualiter particeps est, quia illa portio inuariabilis existit, nec vllius deuotione accrescit, licèt ex opere operantis fructus accidentarius maior accedat. Sed inter Sacramentum & Sacrificium hoc interest, quòd in illo quisque percipit integrum fructum ipsius, quia plures nunquam percipiũt vnum numero Sacramentum, sed singuli singula. Nam multiplicantur ex percipientibus: vt cum duo vel tres communicãt, quisque Sacramentum aliud & aliud percipit. & cum duo vna aspersione, eademque verborũ forma baptizantur, duo tamen Sacramenta numero & materia distincta accipiunt, vt proinde dubium non sit, quin quilibet integrum charactêrem suum, ęqualem gratiam, sed suam, paremque condonationem acquirat. In Sacrificio autem alia est ratio, quia vnum existẽs, in plures diuisum est, nec multiplicatur in se participantium multitudine: cui proinde vni operi cum respõdeat determinatus valor vnus, planè non video quomodo oblatum Sacrificium pro pluribus, ex ipsa operis efficacia & quantitate nõ minus valeat & satisfaciat, quàm pro singulis. Si quis tamen mallet, non impedio quò minùs sentiat, valorem Missæ augeri ad numerũ offerentiũ, vt ita integer fructus totius oblationis ab vnoquoque accipiatur, quemadmodum totus & integer Christus tùm pro omnibus, tùm pro singulis offertur, præsertim si intelligas de communiori illa totius Ecclesiæ intentione, qua ad omnes ordines, omnesque penè fideles singulas Missas generatim accommodat. Et pro eo videtur facere illud Hieronymi vulgare verbum de consecrat. dist. 5. cap. *Non mediocriter*, sic loquentis: *cùm pro cunctis animabus Psalmus vel Missa dicitur, nihil minus quàm si pro vnoquolibet ipsorum diceretur, accipitur, &c.* Sed nõ ęst sermo de fructu percipiendo à singulis pro quibus offertur

Hier.

vel oratur, ſed de merito & charitate offerentis Miſſam vel Pſalmum. ac ſi diceret, ſacerdotẽ rem æquè gratam facere Deo ſi generaliter pro Eccleſia oret, ac ſi pro quibuſdam in particulari idem faceret. Non autem volebat dicere, idem eſſe orare pro vno aut altero ſpecialiter, & pro iiſdem in communi. Eodem enim modo loquitur de oratiõe & de Sacrificio. Communisque ſententia Theologorum eſt, etiam orationem omneque opus operantis minus valere pro ſingulis, quando pro pluribus exhibetur.

Et ex contraria ſententia grauiſſimi in Religione errores exiſterent. Efficeret enim, ne ſpecialis oratio vni applicata plus proſit eidem, quàm generalis. Efficeret deinde, ne quis vel pro ſeipſo in particulari, vel pro altero aut Sacrificium, aut eleemoſynam, aut ieiunium faciat aut fieri procuret. Porrò tolleret omne ſtudium fidelium ſe nominatim conſtituendi in memoriali ſacræ Miſſæ: euerteret Eccleſiaſticam regulam & Paulinam de habendo in memoria Præpoſitos noſtros ac Reges in orationibus ſacrificalibus: omnemque diſciplinam religioſarum Societatum, vbi ſemper antiquiſſimo more Maiorum fit applicatio officiorum omnis generis ad certas perſonas; deleret funditus, vnà cum eleemôſynis ad hoc inſtitutis. eſtque damnatum iſtud in Vvicleffo concluſione 19. per ſynodum Cantuarienſem. de quibus rebus contra eundem egregiè differit Vvaldenſis lib. de Sacramentalibus, cap. 105. Et quod de Pſalmo dicitur, indubiè multò magis de Miſſa affirmatur, ſingulare (inquam) beneficium eſſe pro ſeipſo, vel alio, in particulari plus quàm in communi fieri. quod non eſſet, niſi plus prodeſſet vna vni in ſpeciali, quàm indifferenter pluribus. Puto ergo eſſe rem fidei, poſt prædictum damnatum Hæreticum petulanter reprehendentem Religioſos, quaſi contra charitatem pro lucro ſuo augendo generales preces applicarent certis quibuſdam hominibus: vel potius ſemper fuit erroneum in fide, cùm & ſacrificia, & oratiões citra vllam offenſionem charitatis cõmunis, tam in veteri, quàm in nouo

Vvicleff. *Tho. Vvald.*

Teſta-

Testamento separatim certis certarum personarum necessitatibus applicata fuerint: quod tamen inutile fuisset planè, si nihil conducat magis quando pro vno tantùm, nec obsit quicquam quando pro pluribus offertur aut oratur.

Igitur de ista peculiari applicatione facienda per voluntatem ministri offerentis ad certas nominatim personas, non est mihi dubium, quin minus obueniat singulis si pro pluribus offeras, aut in communi tantùm pro vniuersa Ecclesia. proindeq; iniustos ac iniquos esse sacerdotes, qui cùm teneantur aliqua obligatione pro certa persona in speciali offerre aut orare, tamen in consortium Sacrificij, in consimili ordine particularis applicationis, alteram vel tertiam aut quartam personam admittunt, ab ijs quoque eleemosyna aut alio beneficio vitæ accepto. Nec vnquam fuisse aliquem pium hominē, qui non putaret se obligatum esse pro seipso ac pro parentibus & charis aliquādo specialissimè offerre, hoc est, sic facere sacrum vel procurare, vt ipsis solis vel omnem, vel præcipuam valoris partem, quæ ministri applicationi ac dispensationi concredita est, ex peculiari intentione tribueret. Et ne cuiquam vanum esse videatur quod de applicatione ad certas personas disseruimus, sciat D. Paulum de sacrificalibus orationibus 1. Timoth. 2. ita præscribere, vt fiant cùm pro omnibus, tùm particulariter pro certis. Quam rationem Ecclesia obseruans in Sacrificio, præscripsit Sacerdoti, vt primùm offerat pro tota Ecclesia Catholica; tum statim addat eorum nomina pro quibus Ecclesiæ instituto tenetur: tertiò pro quibus sua intentione speciali sacrificare cupit. Sic Paulus ad Hebr. 13. præter communes orationes pro Ecclesia, iubet particulariter Præpositorum meminisse. Et ad Ephes. 6. *Orate* (inquit) *pro omnib⁹ sanctis, & pro me.* Vbi Hieronymus notauit, Apostolum petijsse præter communes preces seorsim pro se supplicari. Ex Act. autem Apostolicorum ca. 12. quomodo tota Ecclesia applicauerit orationem (indubiè & Sacrificium) specialiter Petro in vinculis detento, nemo ignorat. Ex quibus manifestum est, etiam

1. Tim. 2.

Heb. 13.

Eph. 6.

Act. 12.

intentio-

intentionem facientis posse accommodare officium suum ad beneficium cuiuscunq; voluerit, idque sine omni offensa communis charitatis, cùm non excludamus reliquos sanctos, quando particulariter laboramus in Missa pro certis.
Ac ne quis putet, communem applicationem incommodare particulari, aut contrà; obseruandum est, Ecclesiam tum in cęteris omnibus religionis ac pietatis officijs, tùm maximè in Sacrificio vnà cum ministro & per ipsum offerre, & proinde in eo dispensando pro iure suo valoris partem sibi pro sua intentione applicādam toti communitati ac præcipuis fidelium membris vendicare. Cuius partis cùm minister etiam sit sacerdos, tamen non potest cōferre in priuatos quosque pro libito suo, sed ex mandato & præscripto Ecclesiæ in illustriores causas & personas. Sed hac parte excepta, reliqua committitur sibi ipsi iure sui ministerij, vt eam vel sibi, vel alijs certis aut personis aut causis accommodet. Sicut etiam in orationibus partim inseruimus intentioni Ecclesiæ, dum precamur pro omnibus fidelibus aut generalibus necessitatibus totius orbis: partim pro iure nostro, quatenus sumus dispensatores Mysteriorum Dei, satisfacimus intentioni nostrę per quam peculiariter huius vel illius recordamur. Neque verò (inquam) intentio Ecclesię, iuxta quam applicatur Missa toti communioni Fidelium aut pręcipuis membris, alteri intētioni sacerdotis peculiari, per quam confertur hominibus certis, quicquam officit: quoniā huic duplici intentioni putatur destinari alia atque alia portio valoris distribuendi. Vt sic nihil habeat minus is pro quo particulariter offertur, quia in altero genere offertur etiam pro omnibus fidelibus, cùm valor vnius ordinis proprius nō minuatur ex eo quòd pro pluribus offeratur id quod est alterius ordinis. At verò valoris ea pars quæ ministro particulariter distribuēda committitur, quò in plures diuiditur, eò certè minor accedit singulis. Et proinde iniustè feceris, si quod vni vel alteri, vt parentibus, vel parochianis, vel benefactoribus debes, illud concedas peculiariter alijs. Quod annotare debent ij qui habent curam

Nota.

animarum, ne putent nihil decedere suis quibus tenentur officio pastorali, si Sacrificia & suffragia sua non minùs specialiter alijs præstent. Et sicut de sacerdotali portione hæc certa esse censeo, ita mihi quoque videtur, licet aliqui id negent, de Ecclesiæ ea parte quam diximus destinatam esse communiter omnibus Fidelibus vel illustrioribus personis Ecclesiæ, eam nimirum quanta quanta sit (nam largissimam esse certè iudicandum est) eò esse minorem singulis, quò plures sint fideles in quos dispensanda est, aut quo plures sumit Ecclesia in eiusdem participium. vt si velit, sicut nunc fit Pontificis, Episcopi, & in multis gentibus Regis etiam proprij nominatio in Canone, ita addi quoque Imperatorem ac regem Galliarum, eò minus accessurum reliquis probabiliter iudicatur. Tamen hęc res non videtur mihi tam certa, quàm illa altera de particulari ministri intentione & portione, licèt ratio planè eadem esse videatur. Sicut nec tam certò ausim definire, quò plures sint in vna Parochia, eò minus ex opere operato Sacrificij pastoralis obuenire singulis; minusque semper ex solemniori Missa vbi multi conueniunt, quàm ex priuata, vbi solus vel cum paucis astas. Hæc (inquam) Deo soli cognita temerè non assero. Hoc confidentiùs dico, vtcunque vni alicui sit destinatum hoc Sacrificium, siue mortuo, siue viuo; tamen alios non esse arcendos qui velint idem sacrum audire, sed plures potius inuitandos esse qui simul adsint & comprecentur, idque simpliciter vtrique parti vtilius esse. sicut quoque vtilius videtur interesse solemniori sacro in quo plures adsunt, quàm alteri (vt sic vocē) priuato, vel in minori Parochia, vbi pauciores audituri conueniunt; licèt ex ipsius operis operati virtute per se tantum lucri non proueniat singulis in magna participantium multitudine quantum in conuentu minùs frequenti: vt proinde consultius fortasse videatur, si solum opus operatum consideres, audire peculiare sacrum, quàm commune; tibi peculiariter procuratum, quàm alteri vel pluribus. Sed quia Sacrificium hoc mirū in modum valet etiam ex opere operantis, hoc est ex deuotione, me-

ne,meritis,& precibus non solùm sacerdotis, sed omnium cooperantium,coastanrium,comprecantiumque, fit vt quò plures ferè sint astantes, eò opus quod appellamus operantis sit gratius,latius,pluribusque sufficiens. ex cuius amplitudine facilè compensatur id quod fortasse deficit ex opere ipsius Sacrificij in plures diuiso. Nam licèt valor Missæ etiam ex opere operantis,nõ minus quam ille qui est ex opere operato, cùm sit finitus & diuisus in multos, singulis minor euadat: tamen hoc inter vtrunque genus interest,quòd illud idẽ semper existẽs in omnibus Missis,pro numero offerentiũ aut astantiũ nõ crescit: hoc verò quia conflatur ex precibus, meritis, ac deuotionibus cooperantium, ex coniunctione multorum accrescit in maiorem valoris cumulum,vt sic possit sine cuiusuis vnius detrimẽto,eo extendi ad plures,quò plures & deuotiores concurrunt. Quare ex hac parte semper Missa est melior, quò sanctior est sacerdos,quò astantium numerus est maior, Deoque gratior, quò plures boni in tota Ecclesia vel in Parochia aliqua existunt,quò Festum etiam est maius, & Sanctorum adiumentis ac memoria celebrius.

Multiplicatio Missarũ.

Vnde pulchrè ac planè diuinitus in Ecclesia fidelibus prospectum esse iudico, vt nunc maximè cùm gratia & charitas multorum frigeant, longeque pauciores boni ac fideles inueniantur in orbe quàm olim, vnde minuitur valdè sine controuersia valor huius Sacrificij ex opere operantis, vt propterea (inquam) his posterioribus seculis ipsa Sacrificia multiplicarentur: vt ita saltem in salutis nostræ procuratione, ipsius Sacrificij opere ac virtute, modò non essemus nimis indigni, assequeremur misericorditer quod deuotione nostra aut offerentium mereri non valuimus. Quæ etiam res iustissimè commouit fideles, vt non contenti (vt olim) quotidie audire commune sacrum, putarint etiam sanctissimè procurandas sibi esse & suis Missas peculiares, in quibus operis operati maxima ratio haberi putatur. Quod autem ad Ecclesiæ præceptum de audienda Missa diebus Festis attinet, solemnisne

nisne sit an peculiaris, plures an pauciores adsint, alicui destinata peculiariter an non destinata, nihil interest. Nam illud mandatum fit propter cultum sacrificalem maximè, qui idem est in vtroque genere: quæstio valoris ad omnes pertinet, siue præsentes, siue absentes. Et hactenus de vsu & fructu Missæ.

De multiplicatione Missarum, & de lingua celebrationis, & de solitaria communione Sacerdotis.

CAP. XXXVI.

ATQVE hæc omnia quæ de natura, veritate, vi, ac vsu Sacrificij disputauimus, cùm ita se habeant, vanum erit verbosiùs cum Hæreticis contendere de quibusdam adiunctis, quæ ita accidentaria sunt, vt tamen certissima consequētia ducantur ex prioribus. Cuiusmodi sunt quæ contentiosè agitant circa numerum Missarum, circa idioma in quo Missa celebrari debeat, circa Missas quas illi angulares, quia ad minora altaria fiunt, appellant; itemque priuatas, quia solus sacerdos sine populo communicat. Si enim verè hoc est Sacrificium & opus Deo gratum, vt est: & si est plebi Christianę vtile ac salutare, certè rei sanctissimę frequentior iteratio nunquam offendere debebat: præsertim cùm non repugnet naturæ Sacrificij, vt sæpiùs repetatur, nec eodem, nec diuersis diebus; nec quicquam sit à Seruatore præceptum, quoties, quando, quo loco, quàm multis aut pręsentibus aut cōmunicantibus, qua lingua, aut qua cæremonia perageretur; & semper sit Ecclesiæ Prępositis, maximè in hoc Mysterio (teste Augustino) commissum à Domino, vt pro maximo fideliū bono, ac pro temporū varietate, ista omnia adiectitia sapienter moderarētur. Porrò si hoc Sacrificium non ad instructionē (vt falsò fingunt Hæretici) sed ad alios multiplices vsus, quos cōmemorauim', ex ipso opere, & nō ex sermone in quo celebratur, siue pręsentib', siue absentibus, siue corporaliter cōmunicātibus, siue nō cōmunicātib', siue intelligētib', siue nō intelligētib', siue viuis, siue mortuis,

Epist. 118. cap. 6.

valeat plurimùm: profectò ad rem ipſam nihil intereſſe poteſt, communicéntne alij cum ſacerdote an non communicent, intelligatur à populo an nō intelligatur. Nam quod valet abſenti, & infanti, & infirmo non cogitanti, & mortuo, illud non minus valebit præſenti & non intelligenti. Tridentinum certè Concilium ſeſſ. 22. cap. 6. nos docet, nullam eſſe Miſſam priuatam, ſed publicas omnes, eas etiam quæ ad minora altaria, ac in ædibus priuatis, paucisque pręſentibus fiunt, & in quibus ſolus communicat miniſter. cùm non modò non arceat quenquam Eccleſia ne vnà cum miniſtro communicet, ſed vt ſemper faciant multi, deſideret atque optet, non mediocriter etiam augeri fructum Sacrificij ex corporali perceptione declarans. id tamen iniquiſſimum ducens, vt propter negligentiam populi frequenter non accedentis, ſacerdotes ipſi & Eccleſia Dei & fideles omnes tanto tamque neceſſario Sacrificij bono carerent, ipſeq; proinde Deus ſuo ſingulari cultu priuaretur. multoque maximè, quòd nō ſola participatione corporali, ſed ſpiritali etiam, fideles fructum Sacrificij ingentem acquirāt. Neque verò decet Eccleſiam, inuitos quotidie ad communionem compellere cum ſacerdote, cùm neque hîc Chriſtus quicquam ſtatuerit, neque hi mores patiantur, & in veteri Eccleſia liberum fuerit Chriſtianis, vtrùm communicare vellēt indies néc- ne, ſicut ex varijs Auguſtini ſcriptis intelligere licet. Et licèt apud primos Chriſtianos cum & fideles pauci eſſent, & Templa rariora, & Altaria non multa, & ſacerdotes pauciſſimi, neceſſum ſit minimè frequentia fuiſſe Sacrificia: tamen & numerus Miſſarum apud antiquos non ita definiebatur, vt ſingulis tantùm diebus aut Feſtis ſingula Sacrificia eſſent. Nam nō ſolùm propter eos qui ſuperuenerant percepturi Sacramentū (quibus vtique extra Sacrum conſuli poterat ex reſeruatis, vt nunc plerunque fit) ſed maximè propter nouam populi ad Sacrificiū conuenientis multitudinem, quam locus prioris Sacrificij non capiebat, nouum ſemper fiebat ſacrum. *Toties* (inquit D. Leo Epiſt. 79. ad Dioſcorum) *indubitanter Sacrificij oblatio iteretur, quoties*

Ep. 118. ca. 2 & 3. Tract. 26. in Io.

Leo.

quoties Basilicam præsentia noua plebis impleuerit. Extat etiam in Conc. Altisiodorensi can. 10. decretum de pluribus Missis nō habendis in vno altari eodem die, & ne sacerdos Missam faceret super altari eo, in quo Episcopus eodem die antè consecrauerat. Vnde facilè videas, saltem in varijs Altaribus pluralitatem Missarum ante annos penè 1000 extitisse. Apud Prosperum etiam lib de Prędict. dimid. temporis cap. 6. occasione noui beneficij in puellam Dæmoniacam collati, iterum cōtinenter sacrificabatur in templo S. Stephani. Sacrificabatur etiam præter solenne Sacrum peculiariter ab amicis pro depositione cuiuscunque defuncti, vt colligere licet ex Augustini libro de cura pro mortuis agenda. Sacrificabatur item pro rerū necessitate etiam in ædibus priuatis, vt in domo quadam rustica, in fundo Hesperij, apud Augustinū lib. 22. ciuit. ca. 8. Vide quoq; Prudentium in Hippolyto. Denique frequentius iam tum sacrificari cœptum est ad varias Memorias Martyrum per diuersa altaria in maximis quibusque Ecclesijs dispositas. Id quod in Anglia nostra factum aliquando refert Beda in die S. Osvvaldi Regis, ipsorum Apostolorum Petri & Pauli mandato.

Con. Altis. Prosper. Aug. In epilogo. Prud. Bed. Hist. Ang. lib. 4. ca. 14.

De Communionis præcepto, quoad personas, loca, tempora, & frequentiam. Et, an necessaria sit infantibus.

CAP. XXXVII.

NVNC de vsu ac fructu Eucharistiæ, vt Sacramētum est, breuiter tradenda sunt quædam. Est enim locus à Theologis magis explicatus quam prior, & natura sua magis perspicuus, distinctam habens ab existentia Sacramenti tractationem. quod in alijs, quæ à suo vsu non differunt, non reperitur. Vsus ergo primarius est communio Corporis & Sanguinis Domini corporalis, commendatus in ipsa institutione Sacramenti & conditione elementorū ad sumptionem comparatorum, item pręceptione atque exemplo Dominico. Huc pertinet illud, *Nisi manducaueritis Carnem, &c.* certiùs istud, *Accipite & manducate.* Item, *Hoc facite in meam commemorationem.*

Io. 6. Mat. 26.

Quod cùm pertineat maximè ad potestatẽ sacerdotalem circa consecrandum & sacrificandum, tamen Apostolus 1. Cor. 11. refert quoque ad sumptionem siue Laicorum, siue Sacerdotum. Quod & Cyrillus facit in Ioan. lib. 12. cap. 58. & Basilius in Moralibus, Reg. 21. ca. 3. vt, *hoc facere*, pertineat ad totã actionem Eucharisticam à Christo factam, & tam à Presbyteris, quàm plebe postea faciendam; eodemque verbo inprimis potestas consecrandi & offerendi, deinde etiam mandatum sumendi tam sacerdotibus, quàm alijs fidelibus detur: cùm vtrũque suo modo, licèt priùs & exactiùs Sacrificium quàm sumptio, memoriam mortis Dominicæ contineat. Sic Numer. 9. & Exod. 12. & aliàs sæpe, simile mandatum de faciendo Phase pertinet & ad oblationem, & ad esum Agni Paschalis. & in vtroque illud sacrificium fuit huius totius Mysterij maximũ & planissimum Sacramentum. Capita autem tractationis huius loci posita sunt in personis & temporibus, quibus præcipitur cõmunio: deinde in dispositione tam animę, quàm corporis ad communionẽ requisita; & toto cõmunionis percipiẽdæ vel dispẽsandæ modo ac ritu, cęterisq; cõiunctis. In quibus omnibus non tam quid Scriptura aut Domini mandatum apertè pręscribit, vbi nihil ferè peculiariter traditur, explicandum est; quàm quid Ecclesiæ vsus aut præceptio ex eisdem Scripturis & Apostolica disciplina pro temporum ratione definiuit.

Quod ad primum attinet, in personis hæc differentia existit, vnde communionis præceptio varia iudicetur: quòd alij sint sacerdotes Sacramentum conficientes, alij non conficientes tam Laici, quàm Sacerdotes aut Clerici. quorum illi censentur iure diuino, quotiescunque consecrant, etiam communicare debere. quod Ecclesiæ etiã totius consuetudine cõfirmatum est. Contra quem morem cùm quidã venissent temporibus Caroli Magni & Toletani Concilij, eiusdem Concilij cap. 5. reprehendũtur, licèt dixerint quòd abstinuerint indignitatis suę conscientia. *Quale* (inquit) *est illud Sacrificium, cuius nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Et præter sacerdotes qui confi-

conficiebant, quorum perceptio pertinere ad complemētum Sacrificij ſemper iudicata eſt, primis quoque Eccleſiæ temporibus Laici interdum omnes cōmunicabant, quicunq; præſentes aderant, idq; quotidiē; ſępeq; etiam ad abſentes propter varios perſecutionis caſus, Diaconi, poſtquā pręſentes percepiſſent, Sacramentū deferebāt, vt D. Iuſtinus Apolog. 2. commemorat. Tandē fidelibus nō ita feruentibus, aut temporū neceſſitate & morū ratione nō id ita poſtulante, Eccleſia pro cōditione temporū ſuccedentiū varijs Decretis ad Communionis religionē & frequentem vſum fideles ſanctiſſimē excitauit. Et primū quidē Can. Apoſtolorū. 9. omnes altaris miniſtri, Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, totūq; ſacerdotale Collegiū pręſens peracto Sacrificio iubetur ſub pœna Excōmunicationis participare. Qua etiam de cauſa Diaconi iubētur ad Altare ieiuni ſemper accedere ca. 19. Altiſiodorēſis cōcilij. Ex quo videtur ꝑfectū, quòd hodie Romę, vbi veſtigia plurima antiquitatis ſanctę ſeruātur, Papa ſolēniter celebrāte, Cardinales etiā aſſiſtētes & miniſtri cōmunicēt. Cœpit verò ab initio ipſis Apoſtolorū temporib⁹ aliqua inter Cleri & populi cōmunionē eſſe diſtinctio. Nam iſtā laicā Communionē appellarūt, nō ꝙ fuerit ſemper vnius ſpeciei, ſed ꝙ vulgus extra locū ſacratiorē Sacrificij, vbi ſol⁹ ſacerdos cōficiens cū miniſtris vel clero cōmunicabat, ſeparatim percipiebat. Quę loci & cōmunionis diſtinctio adeò tum pertinebat ad dignitatē Clericorū, vt grauis pœnę ac ſupplicij loco depellerētur quidā extra ſepta ſacerdotalia, vt inter Laicos ſumerēt. Vide Euſeb. lib. 6. ca. 34. hiſtor. & antiquiſſima cōcilia, Ancyranū, Elibertinū, Sardicēſe, & Toletanū. 4. Neſcio an eadē fuerit illa quę olim quoq; dicebatur *peregrina Cōmunio.* Nam ad eam relegati ſunt nonnunquā etiam Preſbyteri peccantes, vt ex cap. 2. Agathēſis concilij conſtat. Illud autem obſeruandum in toto genere eius Communionis laicæ & cuiuſcunque alterius, præter eam quæ eſt ipſius ſacerdotis cōficientis, quòd ſemper potuit eſſe tempore & loco ſeparata à Sacrificio, tam illo in quo conſecrabatur, quàm alio quocunque.

Laica communio.

Peregrina communio.

Quod

Quod perſpicuum eſt ex communione Præſanctificatorum apud Græcos in Quadrageſima, & Latinorum in Paraſceue, itemque ex continua reſeruatione & ad abſentes delatione, maximeque ad ægrotos & ad moriẽtium viaticum. Vt improbè Hæretici Chriſtianis fidelibus infirmis negent Euchariſtiã, niſi commoditas celebrãdi ſacrum in ipſorum ædibus exiſtat: impieque iubeant eos eſſe contentos ſola memoria Communionis publicæ perceptæ; quaſi citra Sacrum communicãdum non eſſet, aut quaſi animarum præſtantiſſimum viaticum non eſſet: ſacrilegè denique communiſſimum Eccleſiæ ritum inſectentur, quòd diſpenſet Sacramentum alijs temporibus, ex alijs altaribus vel locis, quàm vbi Sacrum, in quo conſecrabatur, peragitur.

Sed vt ad propoſitum reuertar; vt antè commemorare cœpimus, primum de frequentiori communione præceptum, Eccleſiaſticorum ſocordiam caſtigauit tãtùm, populus diu libertati permittebatur ſuæ. qui & ipſe ab initio *cum Apoſtolis perſeuerabat quotidie in communione fractionis panis*, Act. 2. & temporibus Areopagitæ (vt cap. 3. hierar. Eccleſ. videmus) ad ſingula ſacra his verbis omnes inuitabãtur: *Venite fratres ad Communionem.* & apud Ignat. ad Epheſios, *feſtinate fratres ad Communionem.* Socordiores autem poſtea factos plæroſq; omnes Chryſoſtomus ſic arguit Hom. 61. ad pop. Antiochenum, & Hom. 3. ad Epheſios, & oratione in Martyrem Philogonium. *Quotidianum Sacrificium* (inquit) *in caſſum fit, nemo accedit.* & cęt. Frequẽſque eſt admonitio apud Veteres, hũc panem dici *quotidianum*, nec eſſe poſt mẽſes & annos accipiẽdum. Sic Ambroſius lib. 5. de Sacramentis ca. 4. *Accipe quotidie, quod quotidie proſit.* Et Auguſtinus ſer. 28. de Verbis Domini: *Quotidie peccas? quotidie ſume.* Et rurſum: *Sic viue, vt quotidie poſsis ſumere.* Et Tertullianus lib. de Oratione. & Cyprianus ſer. 6. de Oratione, & Epiſt. 6. lib. 4. & Hieronymus contra Pelagianos, ex verbo *quotidianum* in Oratione Dominica, participationem frequẽtem commendarunt plebi. Non quòd neceſſarium iudicatum ſit vnquam

De frequẽte communione plebis. Act. 2. *Dionyſ.* *Ignat.* *Chryſ.* *Amb.* *Aug.* *Tertul.* *Cyp.* *Hier.*

quotidie

quotidie percipere, sed quòd natura huius Sacramenti in animi alimento ac nutrimento positi, ita videatur communiter exigere quotidianam communionem ad cibum spiritus, sicut corporale nutrimentum ad corporis necessariam refectionem frequentissimè experi videmus. licèt similitudo vndequaque non quadret; quia non sic animus hoc vno viuit Sacramento, sicut ordinariè corpus solo alimento. Caue tamen putes (quod malè senserunt nonnulli) sic esse pręceptum, de Communione his verbis, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, vt illi satisfiat, si semel in vita tantùm communicaueris: sicut simili mandato *nisi quis renatus fuerit*, vnico baptismo facis satis. Verborum quidem eadem est forma, sed ex rerum (de quibus agitur) natura oritur discrimen: cùm semel nascamur vt simus, sæpiùs comedamus vt viuamus. Vellem ergo frequentissimè; sed (vt nunc sunt res) fortassis generaliter non esset consentaneum quotidie communicare: cùm temporibus suis Augustin^ multò melioribus illud in totum nec laudet, nec reprehendat; vt de Conf. dist. 2. cap. *quotidiè* cōmemoratur. Atqui etiam vt nunc sunt rationes hominum, id est certum, consultius esse multò, sæpiùs communicare, quàm ex lege Ecclesiastica tenearis, quæ olim iussit ter quotannis fieri ca. 81. Agathensis concilij, & Decreto Fabiani apud Gratianum Dist. 3. de Conf. cap. *Et si non.* Nunc indulgentiùs semel tantùm, per concilium Lateranense. licèt si vel id quod præceptum est solùm obserues, non pecces mortaliter. Est enim nūc præceptum Communionis simile illius de comedendo Agno Numer. 9. *Qui non fecerit Phase tempore suo, exterminabitur de populis suis.* Vtrùm autem singulis mensibus, hebdomadibus, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præscribi nō potest. Forte Religiosi quotidie possent commodissimè: studiosi & benè informati omnes qui in liberalioribus scientijs educantur, & in otio honesto ac in vrbibus (præsertim cœlibes) viuunt, singulis Festis possent. Homines negotiosi, vt mercatores & id genus alij, singulis opinor mēsibus:

Io. 6.

Io. 3.

Ep. 118. ca. 2. & 3.

Ter in anno.

Semel.

ſtupidiores,vt ruſtici qui Myſteria non capiunt,deberent diutius(niſi fallor)abſtinere. Sed penes Eccleſiam iudicium eſto. certè peccatum fuit multùm à Maioribus noſtris, quod hæc pars Religionis nõ fuerit ſatis culta Nam in illis maximè gentibus videmus nunc hæreſin (proh dolor) vigere maximè, vbi maximè deſitum eſt frequenter, & cœptum eſt negligenter communicari.Eſt hoc ſanctiſſimum Religionis exercitium ſæpiſſimè ſanè capiendum, etiam tum cum te vel tepiditate, vel ſpiritus torpore laborare ſentias, etiam tum quando nõ tantopere expetis quantum expetere velle debebis,etiam nonnunquam cũ vel timiditate tua,vel Dæmonis arte ſcrupuli aduerſi iniecti videntur.Neq; enim hoc alimẽtum habet ex nimio vſu faſtidiũ,ſicut corporalis cib⁹,ſed quò frequẽtiùs illud adhibes, eo ardẽtiùs expetes,vitaq; erit tibi magis vitalis,ac guſtus Domini indies magis ac magis ſuauis,& cõſciẽtia multò pacatior.

Infantum communio. Tam fuit olim viſa Euchariſtiæ perceptio corporalis vel neceſſaria,vel vtilis omnibus,vt etiam infantibus daretur temporibus Areopagitæ cap.7. Eccleſ. Hierar. & Cypriani ſer.5. de lapſis: atque etiam Auguſtini, vtcunque is ſenſerit de neceſſitate Sacramenti erga tales.Græci & Armeni(vt D.Thomæ ac Vvaldenſi placet)iudicarunt eſſe neceſſarium,quod & Boëmi Huſſitę in hunc diem ſequũtur, qui pane & vino temperatam Euchariſtiam paruulis adminiſtrant, ex eo loco decepti, *Niſi manducaueritis Carnem*,&cæt.de quo loco & Auguſtini ſententia aliàs diſputauimus. *Sup. li.1. cap.31.* Scriptura ſanè magis prohibet quàm præcipit Communionem infantum. Nam in talibus elemẽtis conſtituit Sacramentum, quę recens nati percipere non poſſunt: *1.Cor.11.* mulrò minùs poſſunt ſe *probare*, *vt ſic de illo pane edant*: maximè,quòd nec illo cibo indigent,vtpote quibus ſpiritualis virtutis nihil ex ſpiritus & carnis pugna pereat, quod reparandum ſit. Habebat Eccleſia vetus ſuas indubiè rationes cur ſæpe daret infantibus: fortaſſis vt ita abduceret ſuos à mẽſa Dæmoniorũ:quia tunc temporis partem idolothyti etiã talibus in os ingerebãt impij: vel certè quia incredibiliter affecti dulcedine cœ-

dine cœlestis cibi, nolebant paruulos propter innocentiam ex Baptismo verè mundos, tanto bono carere, præsertim cùm gratiam sacramentalem ex eo percepto assequerētur. sicut & nūc facerent, si illis minister vel sua, vel Ecclesiæ voluntate, vellet administrare: licèt illud Caietano non placeat. Ergo potuit (inquā) iustas causas habere primitiua Ecclesia: sed longè maiores tùm ex natura, tùm ex reuerentia Sacramenti, tùm ex longa Christianarum rerum obseruatione secuta est posterior Ecclesia, quę aliquot seculis iam vetuit dari infantibus, morionibus, insanis, alijsque similibus, qui aut se dignè probare, aut Corpus Domini rectè iudicare non possint.

Qua præparatione opus sit ad Communionem.
CAP. XXXVIII.

IAM differendum, qua dispositione vel pręparatione mentis & corporis opus sit communicaturo. Sanè ad diuinissimam mensam *nisi lotis pedibus*, nisi cum *veste nuptiali* accedere nō debemus. Vt deponamus inprimis odiū fraternū, vt recōciliationem expetamus, & *Domini admonitione*, & hoc summo pacis ac amoris pignore docemur. Vt deinde dijudicemus Corpus Domini, est Pauli doctrina, hoc est (vt exponit Augustin⁹ Tract. 62. in Ioannē) *discernamus ab alijs cibis veneratione singulariter debita.* Imò necessariū est vt intelligamus, indignos ad hoc Mysteriū accedētes, id est, conscios peccati mortalis, nō solùm impios esse in gratiā Christi & in vnū Sacramentum (nam sic sunt & illi, qui quoduis aliud ex septem vel suscipiūt, vel dispēsant cum voluntate peccandi) sed etiam pręter rationē Sacramenti violati, in ipsam Christi personam corporaliter pręsentem, sicut Iudas cùm tradidit, & crucifixores cùm occiderunt, esse iniquos & sceleratos. Apostolus ergo ab hoc sacrilegio fideles deterret exemplis multorum quos iam tum vel graui ægritudine, vel etiam morte per diuinā vltionē narrat affectos; & consilio saluberrimo de suę cuiusq; conscientię ante perceptionem examine ac probatione instituit. Et ad hoc examen

Io. 13. Mat. 22. Mat. 5. Epist. 118. cap. 3. 1. Cor. 11. Probatio qualis.

Paulinum non solùm probationem fidei nostræ esse satis, sicut Lutherus ac Caluinus dicũt, sed etiam veram de peccatis omnibus grauioribus pœnitentiam ac confessionem requiri, tùm ex patribus, Cypriano Lib.1.Ep.3.Lib.3.Ep.5.14.15. & sequẽtibus, Chrysostomo Hom.10.in Matth.Hom.30.in Genes. & Hom.de Saul, Augustino Epist.118. alijsque similibus: qui licèt non semper expressè de Confessione loquantur, tamen de reconciliatione ac pœnitẽtia, quæ sine Confessione nunquam fuit, agunt apertè: tùm ex his (inquam) tùm verò maximè ex definitione concilij Tridentini contra Hæreticos Sess.13.cap.7.constat. vbi non tantùm declarat, probationem Apostoli intelligendam de Confessione, sed præterea propter quosdam (vt videtur) Scholasticos ac Iurisconsultos pontificios parùm prudenter asserentes contritionem sufficere cũ proposito confitendi, decernit neminem posse quantumcũque sibi videatur contritus, non confessum accedere; excepto eo, quòd celebraturus ex necessitate pastoralis officij, & iam ingressus celebrationem diuini officij (cùm hic propter scãdalum officium cœptum intermittere non debeat, ille nonnunquam sacerdotem cui confiteatur habere non queat) possint sola contritione & confitendi proposito, cùm primùm dabitur occasio, complendo, Communionem & sumere, & ministrare. Porrò ne fortè quis esset suæ salutis & dignitatis Sacramẽti immemor, Ecclesia ipsa olim Dæmoniacos & publicè pœnitentes, nunc etiam publicos vsurarios, meretrices, histriones, omnesque excommunicatos arcet à sacra Synaxi. Nam occultos peccatores admonere poteris & debes, ne ad suî perniciem accedant, repellere tamen nõ licet. Vide Dist.2.de cons.cap. *Pro dilectione tua*, & cap. *Non prohibeat*. Denique tanta mundities mentis & carnis decet hoc Sacramentum percepturos, vt Veteres ex traditione Apostolica (sicut Augustinus iudicat) non nisi ieiunos admittendos senserint, sæpe etiam triduanum antè ieiunium requirentes; libidinem verò ac carnis spurcitiem omnem ita non esse maiestati ac sanctitati Sacramenti consentaneam, vt

Ep.118.ca.6 & 7.

nec si-

nec ſine culpa nocturno pollutus fluxu, nec vel actu caſtiſſimi coniugij ſordidatus, niſi graues cauſæ exiſterent, accederet: cùm nec panes veteris Legis niſi mundis ab heri & nudiuſtertius concedendi viderentur. 1.Reg.21.

De ritibus communicandi.
CAP. XXXIX.

SED de ritu adminiſtrandæ Euchariſtiæ pauca notemus. In eo id ſeruatum eſt antiquitùs, ſicut & nunc, vt primùm ſacerdos ſe communicaret ipſe. Quam rationem cùm nonnulli improbarent, quaſi cõtra vſum Sacramentorum reliquorum, in quibus nullum penè eſt quod quiſquam poſſit ſibi miniſtrare, ſed ab alio ſemper accipi debeat, concilium Tridentinum probauit Eccleſiaſticum morem, & Anathemate damnauit contrariam ſententiam Can. 10. Seſſ. 13. idque iuſtiſſimè: cùm Chriſtus ipſe credatur ſe communicaſſe, licèt à ſe baptizatus non fuerit: neque rationi Sacramenti repugnet, vt idem ſit miniſter qui & percipiens, quomodo in Matrimonio. Quanquam in hoc Sacramento illud eſt ſingulare, quòd alium habere poſſit miniſtrum conſecrationis, alium diſpenſationis. Solus enim ſacerdos conſecrans eſt Sacramenti conficiendi miniſter: diſtributor verò non ſolùm is eſt, ſed alius quiuis ſacerdos, ſæpe etiam alij vel Clerici, vel Laici, maximeque Diaconi. Fuit tamen ſemper celebrior ritus diſpẽſationis, vt ſacerdos daret Corpus, & Diaconus Sanguinem: ſicut ex Cypriano ſer. de lapſis, & ex Ambroſio lib 1. Off. ca 41. eſt perſpicuum. Et ſi qui debebant communicare abſentes, ijs etiam Diaconi deferebant, teſte Iuſtino in fine Apologiæ 2. circa quos abuſus quidam caſtigatur cap. 14. concilij Niceni. Cùm enim quidam Diaconi auſi eſſent Preſbyteris diſpenſare, & ante ipſos communicare, vult Concilium eos ſuo loco poſt Epiſcopos & Sacerdotes percipere; & non niſi abſentibus Preſbyteris, ſeipſos, vel alios communicare. Iidemque quia in primitiua Eccleſia ferè diſpenſabant poſteriorem partem Sacramenti in ſolemni-

bus ſacris, dicebantur *Conſummatores, Confirmatores*, ac ſemel apud Ambroſium *Conſecratores* Sacramenti, niſi vitium ſit in lectione. Iam verò paulò ante diſpenſationem clamatum eſt, *Sancta ſanctis*. Dum autem porrigebatur, Sacerdos dicere ſolebat ad primam ſpeciem, *Corpus Chriſti:* & Diaconus ad poſteriorem, *Sanguis Chriſti, Calix vitæ:* ac vtrobique à percipientibus reſpondebatur, *Amen*. Interim cantabatur Pſalmus 33. vt ex Clemente lib. 8. Conſtitut. ca. 20. & Ambroſio 4. de Sacramentis, & ex Cyrillo Hieroſolymitano, myſtagogica. 5. didicimus. Hinc Auguſtinus ſer. 244. de Tempore, reprehendit inſolentiam multorum, quòd immodeſtè, ſordida conſcientia, & pollutis manibus, tractarint & quaſi inuolarint in Corpus Domini. Reliquię poſt communionem tum nonnunquam dabantur innocentibus infantibus conſumendę, nonnunquã cremabantur igne, ſępiſſimè deferebantur in paſtophorium. Vide Heſychium lib. 2. in cap. 8. Leuit. & Clementem loco iam commemorato. Nunc autem poſt longam rerum & periculorum omnium obſeruationem atque Sp. ſancti ſuggeſtionem, ſapientiſſima Mater communis optimam & diuiniſſimam rationem reſeruandi & communicandi plebem tenet, quam vt notiſſimam prætermitto.

Off. lib. 1. cap. 41.

De fructu Communionis.

CAP. XL.

HOc loco de fructu quẽ ex Sacramenti huius digna perceptione capiunt Fideles, hoc eſt, de gratia quã peculiariter Euchariſtia cõfert, diſſerendũ eſſet, niſi quòd hoc argumentũ ſit tractatiõe multorũ explicatiſſimũ. Et ſi omnia cætera Sacramenta vtcunq; in viliſſimis ac infirmiſſimis per ſe elemẽtis cõſtituta, vel eo ſolo nomine, quòd facta ſint ſingulari quadã ratione inſtrumẽta Paſſionis Dominicæ, gratiã conferant rectè accipiẽtibus: quãtò magis hoc diuiniſſimũ Myſteriũ, ipſum Corpus paſſum, omniſq; gratię fontem continẽs, omni benedictione & gratia cœleſti participantes imbuet ac replebit? eſt-

bit? estque id ipsum ex tota nostra disputatione clarissimum. Vt paucis cuncta complectar; quod facit in hac corporali vita alimentum, quod fecit in Deserto populo deficienti Manna, quod mel de petra, quod subcineritius panis Eliç, quod lignum vitæ in Paradiso, quod aqua vitæ Samaritanæ indicata, quod panes propositionis esurienti Dauidi, quicquid illa omnia præstabant in corpore roborando, viuificando, sustentando, reparando, confirmando, augendo, recreando, exhilarando: hoc totum, & incomparabiliter maius quiddam & excellentius, operatur hic cibus in spiritali vita ac gratia procuranda atque amplificanda. Vt propterea in difficillimo gratiæ ac vitę statu existat, cui hic panis non placeat; valdeque perniciosa fuerit hęresis Messalianorum apud Theodoretum lib.4. cap.11. Historiæ suę, dicentium, Eucharistię perceptionem nec obesse, nec prodesse cuiquam. Imò cogitet quisque secum, quantum & quid capiāt animę & Angeli in cœlo beati ex pręsentia ac fruitione sanctissimę Trinitatis, vel ipsius Humanitatis Saluatoris: cogitet, quantum Ecclesia tota ex Passione Christi, Resurrectione, Ascensione, & omnibus alijs officijs charitatis suę capiat: tantum profectò, pro ratione status huius in quo adhuc permanemus, à sanctissimo Sacramento hoc percipimus. Est enim planè cœlum Ecclesię, est cuique Passio Dominica applicata, & attemperata, est Resurrectionis nostrę semen, est Manna absconditum, est certissimum pacis atque reconciliationis nostrę signum & pignus, Afris & Augustino est vita, Chrysostomo est omne bonum, est planè nobiscum Deus.

Messaliani.

Si quis fortè hîc quęrat, num perceptio huius Sacramenti peccata etiam remittat: sicut certum est (ex ser. Christi Ioā.6. & Paulinis verbis) cōferre gratiā vnionis, ita certū est, venialia remittere, fomitē imminuere, pœnas etiā debitas vel ex se, vel ex adiūcto deuotionis feruore, exoluere. Nec nos quidē dubitam*, quin ex sancta cōmunione etiā prima tribuatur obicē nō ponēti gratia, & remittātur mortalia peccata, si quę fortè oblita, vel ex pręcedēte Confessiōe ꝑpter insufficiētē dispositionē

1.Cor.10.

non re-

non remiſſa extiterint: inſuper & in eo, qui debet neceſſariò facere ſacrum tum cum careat confeſſore. Hi enim caſus quãdo incidunt, puto omnia Sacramenta conferre primam gratiam, multò magis hoc, de quo in quadam prece Eccleſiaſtica poſt Communionem ita dicitur, *ſit ablutio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium*, &c.

De circumgeſtatione, adoratione, totoq́; Eccleſiaſtico vſu Corporis Chriſti.

CAP. XLI.

SED hîc Aduerſarij Hæretici obſtrepunt. Si hic (inquiunt) eſt vſus Euchariſtię vt manducetur & bibatur, vt certè eſt; &, ſi hic ex manducatione ſit fructus: quare ergo abutimini hoc pane ad ſpectacula, ad circungeſtationem, ad adorationem, ad exorciſmos, ad benedictiones, idque ſine mandato Chriſti, ſine exemplo Apoſtolorum, ſine ratione, ſine vtilitate? Reſpondemus, hæc quidem abſurda exiſtimari apud eos, qui nihil ſublimius ſapiunt de maximo Myſterio, quàm de pane & vino; progredique argumentationem iſtam ex falſis & irreligioſis præmiſſis contra realem præſentiam ac tranſſubſtantiationem. quam ſi confiterentur Hæretici, nunquam ſtudium Eccleſiæ in Sacramento colendo, omnium temporum & Patrum exemplis (vt aliàs declarauimus) approbatum, condemnarent. At (inquiunt Lutherani) vtcunque ſit abſens aut præſens, non in hunc finem eſt præſens vt colatur aut circunferatur, ſed vt comedatur. Planè pueriliter. Chriſtus non fuit incarnatus in eum finem vt adoraretur, tamen Pater introducẽs eum in orbem dixit (inquit Paulus. 1. ad Hebræos) *Adorent eum omnes Angeli eius*. Proindeque adorabant eum paſtores, Mater, Magi, Apoſtoli: impoſuerunt eum ſuper aſinum, exceperunt eum in triumpho, ſtrauerunt vias & iumentum veſtibus ac arborum ramis, acclamationibus populi & puerorum in ciuitatem deduxerunt. non tamen fuit incarnatus propter hæc. Fideliſſimi quique & ſanctiſſimi vſi ſunt eius veſte, voce, virtute,

Sup. li. 1. cap. 30.

Pſ. 96.

virtute, ſigno, nomine, ad ſanitatem procurandam, eijciendos Dæmones, & morbos depellendos; hic tamen non fuit primarius vſus Humanitatis & aduentus Chriſti. Hæc enim officia omnia debebantur ipſius Perſonæ, & talia ſunt vt conſequantur ad quamcunque corporalem & perſonalem Domini præſentiam: licèt propter illa præcipuè ipſe ſe præſentem vel per Incarnationem, vel per tranſſubſtantiationem nõ faciat. Nam quomodocunq; introducat Deus primogenitum ſuum in Eccleſiam, aut quibuſcunque de cauſis, certè & Angeli, & homines, & omnes creaturæ adorabunt eum. Olim Moſes Arcam ædificauit vt ſtatueretur in loco quem elegit Dominus ad cultum. poſtea tamen videntes ſacerdotes Maieſtatem Dei & protectionem ibi reſidere, religioſè vſi ſunt ea ad varia Diuinę potentiæ ſigna edenda. Per eam enim circungeſtatam exiccarunt Iordanem, Ioſue 3. & muros Iericho euerterunt, Ioſue 6. Deinde temporibus Heli in caſtra portata eſt, variaque & inter ſuos, & apud externos miracula fecit, iſtos cum ſuis Dijs grauiſſimis plagis, illos & inprimis domum Obed-Edom Gethæi, vbi quieuerat aliquandiu, omni benedictione amplificãs. Quam deinde Dauid, etiam irridente Michol vxore, ſumma lætitia, tripudijs, & ſanctiſſima pompa tranſtulit in Hieruſalem. Et ſi hæc quidem tum geſta ſunt in vno tantùm Religionis licèt magno quidem monumento, quid (malum) Michol aut procax hæreſis audebit obijcere, quòd circungeſtemus, & toto corde adoremus omnis Religionis caput, totius ſacrificalis ſeruitutis fontem, omnium donorum Dei diuiniſſimum, beneficiorum maximum, Myſteriorum ſanctiſſimum, miraculorum admirabiliſſimum, vniuerſorum quæ extant vel in cœlo vel in terra optimum, Sanctum ſanctorum, Dominum noſtrum & Deum noſtrum? qui Maieſtate & præſentia ſua vbicunque per viſibiles ſpecies aut exiſtit, aut circunfertur, aut adoratur, aut manducatur: omnes tanta gratia dignos cœleſti benedictione beat, atque ſanctificat.

Pſal. 96. Heb. 1.

Ergo, Optime Maxime Chriſte, conſerua æternùm contra impios & irreligioſos hoc ſummum mortalium te colentium bonum, vt per illud adiuuetur ac pacificetur Eccleſia, atque in vnum ſanctè ſemper coaleſcant fideles, vt vnus panis, vnum corpus multi ſimus, qui de vno hoc cœleſti Pane participamus. Inſeramur in vitalem carnem tuam inſeparabiliter, vt ex illa viuamus ac reſurgamus ad immortalitatem: vt ſicut tu viuis in Patre, & propter Patrem: ſic tuam ſanctiſſimam ſubſtantiam manducantes viuamus propter te. Honorem Sacrificij & æterni Sacerdotij tui tuêre in terra, nihil proficiat inimicus contra hoc ſalutare Dei noſtri, nihil altare Hæreticorum contra te ſuperbè erectum, nihil contra Sanguinem noui Teſtamenti tui calix dæmoniorum, nihil pollutus panis Schiſmaticorum, nihil profana & diaria aduerſariorum communio. Senſus tuorum in obſequium tanti Sacramenti captiua, rationem repugnantem cohibe, ſapientiam philoſophicam retunde, rebelles cogitationes repelle, vaſa ſacerdotum & omnium puerorum tibi ſeruientium ſanctifica, vt ita totus redemptus populus dilectis Altaribus tuis caſtè ſemper adhæreat, vt hîc in conſpectu tuo manducent & adorent diuites plebis, pauperes comedant & ſaturentur, ac omnes, fide & ſimplicitate qua decet, tuæ Maieſtati nunc in Sacramento, & poſtea æternùm in cœlo acclamemus, *Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis.* AMEN.

Hi duo Libri de Euchariſtia, quia & eruditiſſimè, & orthodoxè per omnia ſcripti ſunt, tutò & ſumma cum Lectorum vtilitate typis excudi poſſe iudico.

Ego Thomas Stapletonius S. Theolo. Doctor & Profeſſor Regius, Duaci 27. Iulij. 1574.

IN-

INDEX EORVM, QVÆ HIS TRIBVS LIBRIS CONTINENTVR.

A.

B.

C.

Compara-

D.

Ebionitæ

E.

K.

L.

Magister

M.

quòd

Præscitis

soluuntur

F I N I S.

Errata sic corrigantur.

Pag. 12. vers. 18. Baptisma p. 77 v. 14. fixus p. 85 v. 23. effectiuū p. 117. v. 25. 5 p. 119. v. 21. cinis p. 194. v. 33. melius et sanctius p. 215 v. 30 fit 217. 7. placenta 311. 11. innocationes Pag 377. ver. 16. tractari 491 5. communionium 529. 32. asperso 593. 34. leges 600 1. priori, fiat, prādictu in bo. 602. 28. queat 604. 20. veteri.

DVACI,

EXCVDEBAT LVDOVICVS DE VVINDE,

CVRA ET IMPENSA IOHANNIS

FOVLERI.

AN. M. D. LXXVI.